This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 07437632 2

4/A

George Bancroft

up. to
Be Kept

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ J. LAFFITTE, banquier, rue du Mont-Blanc, n° 11.

N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

H. NICOLLE, libraire, rue de Seine, n° 12, F^bg. St-.Germ.

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, F^bg. St.-Germ.

P. DIDOT l'aîné, imprimeur du Roi, rue du Pont de Lodi, n° 6.

F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

C. L. F. PANCKOUCKE, imp. - lib., rue des Poitevins, n° 14.

AUG. RENOUARD, libraire, rue St.-André-des-Arcs, n° 55.

AL. EYMERY, libraire, rue Mazarine, n° 30.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

C. C. SALLUSTII

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

C. CRISPUS SALLUSTIUS.

L. J. J. Dubois del. *P. Audouin Sculp.*

[illegible]

[illegible]

[illegible] PARISINOS [illegible]

[illegible]

[illegible] NOVIS COMMENTARIIS

[illegible] JULIUS [illegible]

[illegible] EXPLORATO EMENDATUS

CURANTE

J. L. BURNOUF

[illegible]



PARISIIS

[illegible]

[illegible]

CAIUS CRISPUS SALLUSTIUS

AD CODICES PARISINOS RECENSITUS

CUM VARIETATE LECTIONUM

ET NOVIS COMMENTARIIS

ITEM JULIUS EXSUPERANTIUS

E CODICE NONDUM EXPLORATO EMENDATUS

CURANTE

J. L. BURNOUF

RHETORICES IN COLLEGIO LUDOVICI MAGNI, ET ELOQUENTIÆ LATINÆ IN REGIO FRANCIÆ COLLEGIO PROFESSORE

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXI

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

ERUDITO LECTORI ET BENEVOLO

S. P. D.

J. L. BURNOUF.

Non te longa præfatione morari consilium est, lector optime. Imo nihil essem præfatus, nisi te, quæ fuerit propositi mei ratio, admonitum voluissem. Quum vir mihi amicissimus et in suscepto opere indefatigabilis Classicæ hujus Collectionis editor a me petivit, ut in Sallustio meam qualemcumque operam sibi commodarem, id tantum postulabat, ut selectas aliorum adnotationes novis aliquibus et maxime necessariis supplerem, aliam quodammodo et locupletiorem *Variorum* editionem adornaturus. Et hac quidem mente ad illustrandum Catilinam accessi. Sed progredienti mox amplior patuit campus. Nec diu me fugit, ex tot interpretibus Sallustii, quamvis unusquisque propria laude non careat, nullum tamen esse qui promissum legentibus auxilium vere subministret; collectas autem ex universis notas molem addituras operi, non lucem allaturas.

Ne singulos, quod longius sit, recenseam, eminet inter omnes, optima fide et sedula opera commendabilis, Cortius. Sed is totus in confirmanda vocis uniuscujusque latinitate, et excutiendis codicum lectionibus, sæpe nullam, aliquando infelicem, in explanandis sententiis operam ponit. Ad hoc elegantiam negligit sæpius, grammaticam interdum. Nec medio-

cri tamen ille nobis adjumento fuit, præcipue accurata manuscriptorum recensione, et exemplorum copia; hicque profiteri libet multum nos illi debere, quamvis nihil fere ex eo exscribendum duxerimus.

Sequitur hunc ingenti duorum voluminum pondere gravis Havercampus; qui Wassium, non ignobilem illum quidem, sed longe inferiorem Cortio, collecta viginti aliorum supellectile oneravit. Ibi omnia fere invenias, præter id quod requires; nihil enim minus pensi habuit tantæ molis conditor, quam ut scriptoris sensum legentibus aperiret. Et hinc tamen, inter innumeros veterum recentiorumque locos, qui res a Sallustio narratas nulla ex parte contingunt, pauca exempla ad rem pertinentia expressimus. Sed maxime nobis profuit textus ejus editionis, pulcherrimus sane et emendatissimus.

Non amplior fuit usus editionis, quæ dicitur *Variorum*: minor etiam illius quam ad usum Delphini paraverat Crispinus, vir majoris, opinor, doctrinæ, quam quantum in illa sua opera ostendit. Recentissimus omnium Henr. Kunhardt, paucos ante annos, Catilinam et Jugurtham suis notis ornatos Lipsiæ edidit. Ex eo aliquot notulas, in primis Catilinæ paginis, mutuati sumus. Sed quia vir, judicio ceteroquin et ingenio egregius, ad usum maxime scholarum suæ commentationis modum contraxit, inclusa in arcto vestigia oportuit nos deserere.

Rem igitur proprio marte confecimus; et, si pauculas circa initium notas dempseris, novum omnino tibi, lector, commentarium offerimus. Nam si quando nobis de rebus ipsis cum Cortio convenit, at earum

expositio, seu bona, seu mala, certe nostra est. Allatos quidem e latinis græcisve auctoribus locos quis ante nos jam attulisset, nonnunquam supersedimus monere. Quid enim istud ad lectorem? hoc lector desiderat, ut sine errore indicetur, unde locus decerptus sit. Hoc diligenter cavimus. Dedimus operam, quoad saltem in nobis fuit, ut interpretatio nostra et res et verba comprehenderet. Igitur non modo singularum vocum et sententiarum vim, sed etiam ipsarum sententiarum inter se conjunctionem et rerum seriem ostendere studuimus. Item quod ad mores et historiam pertinet notavimus sedulo; qua in laboris nostri parte certissimum doctissimumque ducem habuimus (*le président De Brosses*) de cujus laudibus, licet gallica lingua scripserit, omnis tamen Europæ critici consentiunt. Quid multa? Alia aliis temporibus convenire, nec scriptum decimo nono sæculo commentarium similem esse iis oportere censuimus, qui decimo quinto scribebantur.

Huic præfationi subjecimus novam Sallustii vitam, cum publicis illius ævi negotiis magis conjunctam, quam quæ in ceteris editionibus leguntur. Et in hoc quoque dux scribentibus præivit *De Brosses*. Præfiximus Catilinæ et Jugurthæ argumenta capitum, ipsius, ut plurimum, Sallustii verbis compacta, quibus integra utriusque operis epitome continetur. Præterea chronologicas tabulas, seu fastos belli Catilinarii et Jugurthini addidimus, qui nulla in editione latina comparent. Ne quid ad noscendum Catilinam deesset, ejus vitam ante conjurationem, ex antiquis monumentis collectam, post Catilinarium bellum

exhibuimus. Fragmenta pene omnia, quem ad eventum quodque referri verisimile sit, exposuimus; viam quidem aperiente eodem *De Brosses*, sed quæ tamen res, nondum latine tentata, nonnullius certe laboris fuit. Denique duas ad Cæsarem Epistolas non grammatice tantum, sed etiam historice illustravimus, quod nemo adhuc interpretum fecerat. Quid vero tibi meam ego, erudite lector, operam venditem? habes ipse tu, unde judices. Silebo igitur de geographico et verborum Indicibus, qui omnino tibi novi proponuntur; et de Notitia litteraria, in qua nihil cognitione dignum omisit vir eruditissimus Ant. Alex. *Barbier*, Regiarum Bibliothecarum custos et administrator; veniamque ad ipsum auctoris textum.

Duæ mihi occurrebant rationes: una Havercampi, qui primis et vulgatis editionibus et codicibus plurimis propius accedit, sed spuria quædam et Sallustio perperam obtrusa retinet; altera Cortii, qui, studio adventitia resecandi, genuina interdum et vere Sallustiana recidit. Medium servat iter Bipontinus, Cortio tamen propior, et quædam ipse audens non feliciter aliquando, vel non necessario: nam ego quidem sic constitui, explicanda, non immutanda Veterum scripta. Hæc omnia contuli, et ex quinque antiquissimis Bibliothecæ Regiæ membranis recensui; qua diligentia, attente legentes æstimabunt. Dicere satis fuerit nihil me, omnino nihil, de meo dedisse; et quoties dubitationi locus fuit, rationem admissæ lectionis, vel in nota, vel in Variantium delectu ad calcem rejecto, exposuisse. Sic emendatum habes denuoque recensitum textum, nec ullis tamen occurrentibus

alibi lectionibus defraudaris. Si quid opus pergenti melius visum est, quam quod prius receperam (quum typis mandata corrigi non possent), in Variantibus monui; v. g. p. 528, ad illud, *circumveniri innocentes;* et 529, *veluti effeta parente.* Sed rara ejusmodi exempla, et leviora quam hæc duo. Dixi ad Catilinæ interpretationem accedenti nondum satis patuisse, qui cursus mihi peragendus esset. Quod illi operæ meæ initio deest, in addendis aliquatenus supplevi.

Neque vero abesse volui, quod in magnis Crispi editionibus legitur, Julii Exsuperantii, parvi licet ponderis, opusculum. Et illud eo recepi libentius, quod in manibus erat Regiæ Bibliothecæ codex nondum exploratus, ad cujus fidem lectiones apud ceteros manifesto corruptas emendavi.

Jam quod ad scripturæ rationem spectat, magna ex parte sequutus sum quod in Sallustio ab omnibus observari solet. Itaque scripsi *maxumus, paullo, caussa, litera, exsul, volgus, advorsum;* item *quis* et *dis,* sine accentus nota, pro *queis* et *diis.* Dedi etiam *omnis* pro *omnes,* Bipontino duce, quum locus sic exhibetur ab aliquo vetere grammatico. Sed non animus tulit, omnes accusativos in *is* refingere. Nam in ea re, quæ, teste Gellio, apud antiquos non certis regulis, sed ad aurium judicium dirigebatur, quo jure nos aliquid pronunciemus? Non scripsi *conligit, conlocat, inlecebras;* quæ formæ quid utilitatis habeant non video, nisi quod aures offendunt. Et quid detrimenti, quæso, patitur Sallustius, si non obsoleta, horrida, aspera, quam antiquam vocant, scriptura exaratus prodeat? In quibusdam, analogiæ ra-

tionem habui, ut in verbis *sequutus, loquutus, quum, nunciare* (quod ex eodem fonte est, quam *nuncupare*). Maxima vero diligentia adhibita est, ut semel recepta scribendi ratio ubique sibi constet. Non tamen in re molestiæ ac tædii plena fieri potuit, quin operæ bis terve aberrarent; et memini ubi relictum sit *paulo* pro *paullo*; *locutus* pro *loquutus*; *Muræna* pro *Murena*. Sed hæc indulgens lector eo facilius condonabit, quod confitemur. Restat ut moneam, in notis et quidquid ipsius Sallustii non est, tritam ac vulgarem orthographiam, «quæ et ipsa interdum pro illustratione esse potest» (inquit Heynius, Præfat. ad Virg. sec. ed.; Class. Coll. Virg. vol. I, p. 36) esse me sequutum. Nam scriptionem ad expediendum quod difficile est susceptam, quid ipsam difficultatibus impedire attinet?

Sed jam vale, lector humanissime; et ita operam meam acceptam habere velis, si eam pro una tua utilitate suscepi.

Notæ codicum Regiæ Bibliothecæ, ex quibus textum Sallustii recensuimus.

A. n° 5748. Is decimo sæculo exaratus videtur.
B. — 5752. Idem.
C. — 6085. Is undecimo sæculo exaratus videtur.
D. — 6086. Idem.
E. — 6088. Hunc ad tredecimum vulgo referunt.

Ceteri ejusdem Bibliothecæ codices recentiores, atque adeo levioris auctoritatis sunt.

VITA

C. CRISPI SALLUSTII.

Caius Crispus Sallustius natus est Amiterni, in agro Sabino, ex plebeia gente, anno U. C. 668, ante Christum 86, C. Mario septimum consule. Ateium Prætextatum, cognomine Philologum, Atheniensem, qui artem rhetoricam Romæ professus est, magistrum habuit jam adolescens; omnis scilicet disciplinæ studiosus, et ejus præsertim quæ in discenda aut scribenda historia versatur. Itaque omnes romanas res in unum quoddam breviarium redactas Ateius ei tradidit, quo paratior historiam scribere volenti materia foret[1].

Sed juvenilem animum sollicitabat ingens famæ amor, decusque ex adeptis honoribus plebeio homini venturum. A litterarum igitur studio animum ad reipublicæ munia convertit, ambitionis et honorum fastidium mox experturus, litterarum vero nunquam. Non defuere tamen petenti quos cupiebat honores. Quæstor fuit; quo ætatis suæ anno, parum constat: si legitimo, qui vigesimus septimus erat, conjici potest eum, Cæsare et Bibulo coss. quarto post Catilinariam conjurationem anno, U. C. 695, hunc magistratum adeptum esse.

Ceterum non multum fuit nomen ejus in republica ante annum 701, quo tribunus plebis creatus est. Quo tempore maximis Roma fervere discordiis; cunctis imperii cupidine flagrantibus, dum illi quam habent potesta-

1. Suetonius de Illustribus Grammaticis.

tem retinere volunt, alii habentibus eripere. Nam foris Cæsar rempublicam victoriis augendo, domi Pompeius callidiori ambitu, tyrannidem affectabant. Hic nempe, quo certius dictator fieret, dictaturæ contemptum præ se ferre; interea discordiarum causas occultus serere, ut turbulentæ libertatis tædium animos ad unius imperium avocaret. Jam eo conscio atque etiam auctore, jactari voces in vulgus, « nunquam quieturam romanam rem, nisi supra spem simul et metum elatus magistratus studia partium compesceret; nunc populum paucis seditiosis turbarum materiam fieri; terreri senatum; dilacerari rempublicam; esse tamen remedium tantis malis, dictaturam; esse, qui dictator nominetur. » Inter hæc ipse, in suburbano secessu, ut videbatur, otiosus, et quod flagrantissime cupiebat verbis recusans, temporibus reipublicæ insidiabatur. Sed pluribus terrorem injecerat dictaturæ nomen regno proximum, Syllæque adjutor quondam et quasi discipulus Pompeius.

Igitur Roma quotidianis motibus agitabatur, nec ullus a kalendis januariis usque ad quintilem mensem urbi fuerat magistratus. Hinc Clodius præturam, illinc Milo consulatum in annum sequentem petebant. Sed neutro rerum, quas gereret, futurum censorem ferente, magnæ et assiduæ cædes inter utriusque servos, quos ad justorum prope exercituum multitudinem secum ducebant, in ipso foro edebantur. Tandem alterius nece lis dijudicata est. Decimo tertio die ante kal. februarias anni 702, interficitur a Milone pessimus turbarum concitator Clodius; sed privata, non publica, ultione interceptus, non in finem turbarum cecidit, sed in novarum occasionem.

In has Sallustius totum se conjecit, mali sceleris malus castigator et vindex. Dum enim lacrimans Fulvia stantem circum interfecti conjugis cadaver plebem concitaret, cursitabat Sallustius socios et adjutores furori suo quærens; factoque ingenti concursu, ex rostris, in quibus nudum

cruentumque Clodii cadaver aspectabatur, in Milonem atroci oratione invectus est. Sequuta orationem haud impar rabies. Tollitur a plebe Clodii corpus, translatumque in curiam Hostiliam, busto ex senatorum subselliis facto, crematur; corruente inter flammas tanta æde, et basilicam Porciam, quæ propior incendio erat, continenti ruina trahente. Fuere tunc una cum Sallustio tribuni Pompeius Rufus, et Munatius Plancus, digni qui talia juvarent. Hujus Munatii Cicero, Milonem judicio defendens, intermortuas ambusti tribuni plebis conciones vocat. Et Sallustium quoque, in hac Tullii oratione, multa oblique petunt, sine indicio nominis[1].

Initium vero Sallustiani in Milonem odii non Sallustio magis quam Faustæ, quæ Syllæ filia Milonis uxor fuit, probrosum narratur. Scilicet deprehensum in adulterio a Milone Crispum, nec nisi magna pecunia mulctatum, et virgis crudeliter cæsum, ab eo dimissum fuisse[2]. Hæc fœda publici incendii causa. Qui fuerit istius dimicationis exitus, pulsumque in exilium, Tullio frustra dicente, Milonem, nemini prorsus ignotum. Sed brevem victoriæ lætitiam tulere mali cives, et in incensæ curiæ pœnam damnati sunt Rufus, Munatius, et Sextus Clodius, Clodiani quondam furoris dux atque signifer. Sallustius pœnam in præsentia effugit; sed anno 704, censores Appius Pulcher et Piso eum ob infamiam morum senatu moverunt.

Omnes fere interpretes, et præsertim vir optime inter nostrates de Sallustio meritus (*le Président De Brosses*) existimant Sallustium tunc temporis Catilinarium bellum scripsisse. Quam opinionem firmare videtur tertii capitis finis, quo principum malas artes et invidiam conqueritur. Attamen, quod in hac eadem historia Catonis et Cæsaris

1. Asconius, in Milon.
2. Acro, ad Horat. Sat. 1, 2, 41. Item Serv. Æneid. VI, 612.

mores et indolem descripsit, id non nisi utroque mortuo fecisse satis apparet. Sed respondet *De Brosses*, fieri potuisse, ut alio tempore historiam conjurationis, alio eloquentem hunc excursum conscripserit, qui certe non necessario admodum vinculo narrationi cohæret.

Ceterum ignominiæ suæ memoria, et inustæ a censoribus notæ dolor iratum animum incenderunt. Hinc forsan vehemens ista temporis sui morum insectatio; hinc tristis et asper in senatores animus, quum nihil istis ignosceret, qui nihil ipsi ignoverant. Sallustius tres et viginti annos natus, Catilinariæ conjurationi adfuerat spectator, non particeps. Quæ licet historiam scribere incipienti optima sit conditio, difficile tamen erat loqui de viventibus adhuc; quum præsertim posterioribus reipublicæ turbis immixtus fuisset, et iis plerumque adversus et infensus, quorum facta memorabat. Attamen nullum studii aut iræ indicium in ejus narratione apparet, nisi quod parcius et quasi ab invito laudatum Ciceronem merito reprehenderis. Optimum quidem consulem eum vocat; ait luculentam et utilem reipublicæ fuisse primam ejus in Catilinam orationem : nonne vero parum pro facto laudatus videbitur, qui rempublicam sine ulla cæde, præter quinque parricidarum supplicium, defendit ac conservavit? Patrem patriæ Ciceronem, audiente frequentissimo senatu, Q. Catulus et M. Cato nominaverunt; actæ sunt Ciceroni gratiæ verbis amplissimis, quod virtute, consilio, prudentia sua, rempublicam a maximis periculis liberasset. Decreta ejus nomine diis immortalibus supplicatio est, qui honos antea togato nemini contigerat; L. Gellius civicam ei coronam deberi dixit; statua illum inaurata Capuæ decuriones decorarunt, et patronum adoptarunt, propter salutem illius urbis consulatu servatam suo. Hæc omnes historici memoraverunt : solus Sallustius nihil ex iis refert. Unde illi in tanto laudum concentu silentium? Nihil quidem

narrat Sallustius quod non verum sit; sed non omnia dicit, quæ vera sunt; et hoc quoque mendacii genus est, vera reticere.

At enim non justam historiam et omnium, quæ quisque fecerit, curiosam scribere, sed perbrevem unius conjurationis imaginem adumbrare instituerat. Cur ergo eum removit ab oculis, quem ante omnes decuit eminere? Nonne, si Catilinam cædes et incendia patriæ minitantem ostendere debuit, ostendendus quoque erat patriæ servator Tullius? Intueri in promptu est atque odisse Gabinium, Cethegum, Lentulum nefando consilio quasi immortuos et in scelere consepultos suo; nusquamne vero tot facinorum spectaculo fessus animus inter meritas bono viro laudes et præmia virtuti debita conquiescet? Scelusne duntaxat videbimus, nusquam sceleris vindicati mercedem? Fateamur sane isto silentio argui tacitum invidentis odium, et ea, vivente Tullio, reticere volentis, quæ Tullio tam grata auditu fuissent. Quæ quidem opinio plurimum valebit apud Tullianæ indolis memores, nec oblitos quanto laudum amore tantus ille vir semper flagraverit.

Vix unum annum a negotiis Sallustius abfuerat, quum inquietum et otii impatientem in medias reipublicæ procellas novæ res immiserunt. Exarserat Pompeium inter et Cæsarem civile bellum, et intra sexaginta dierum spatium tota Italia in Cæsaris potestatem concesserat. Tum quieti omnino valedixit Sallustius: potiente enim rerum eo qui sibi jamdudum amicus foret, sperabat se brevi ad summa perventurum. Hoc tempore primam Epistolam de ordinanda republica, quam quidam falso secundam vocant, ad Cæsarem scripsisse eum recte conjicies, si modo has Epistolas, quod non levibus de causis affirmat vir historiæ romanæ et Sallustiani ingenii peritissimus (*le président De Brosses*), Sallustianas esse credideris.

Igitur favente Cæsare, anno U. C. 706, iterum quæstor

factus est, patuitque illi per hanc dignitatem ad senatum reditus. Quæsturam Romæ tum ille gerebat, quum hujus quem vicerat ultor Cæsar Pompeianam cædem Niliaca clade vindicaret. Tunc circa Alexandriæ obsidionem hærenti Sallustium alteram epistolam scripsisse putant. Sed paulo post, Ægypto victa, Cæsar Romam rediit anno U. C. 707, et tunc Sallustius prætor factus. Eo fere tempore, uxorem duxit Terentiam, quam redux ex Pompeii castris Tullius repudiarat, rei familiaris nimis incuriosam, Tulliolamque filiam durius habentem. Eam scilicet ex Tullii thalamis non puduit in Sallustii Tullio inimici nuptias prorumpere, recentis forsan injuriæ memoria, quum voluerit nomen et cubile cum eo consociare, quicum et iras posset. Quanquam non facile intelligi potest tam imparis matrimonii causa; quippe Terentia tanto dejecta conjugio in Sallustium devolvebatur; Sallustius affinitatem jungebat cum ea domo, cujus dedecus probrosæ immortalitati mandarat ipse, prodito, in historia conjurationis, Catilinæ stupro cum virgine vestali Fabia, quæ fuit Terentiæ soror. Ex quo, ut obiter dicamus, novum sumitur argumentum scriptam ante hoc tempus Catilinariam conjurationem[1]. Sin aliter, quomodo de Fabiæ dedecore non tacuisset, qui tam multa Catilinæ adolescentis flagitia silentio prætermiserat?

Interea Scipio et Cato, auxiliante Juba Mauritaniæ rege, reliquiis partium, quæ pro libertate pugnaverant, in Africa collectis, bellum civile de integro instaurabant. Renascentes male sopiti incendii flammas Cæsar exstincturus jus-

1. Restat tamen adhuc aliquis dubitandi locus; quod Cicero ne verbum quidem ullum de Sallustio fecerit in Bruto, ubi de inimicis etiam suis non reticere se multis exemplis docuit. Nisi forte Sallustium prætermiserit, quod is nullas dixisset causas et, scriptor licet præstantissimus, locum inter oratores non haberet. Ceterum existimat *Middleton*, Vit. Cic., Sallustiana opera, quocumque tempore composita fuerint, non ante Augusti principatum in lucem edita fuisse.

serat Sallustium aliquot legiones, quarum de fide securus erat, per Capuam ad mare ducere et eas navibus imponere. Sed fessi vulneribus præliisque milites, ubi pro laborum præmiis novos labores, et pro quiete adeunda rursus maris bellique pericula intellexere, despondent animos, et tandem fieri finem oportere conclamantes, in minas et apertam seditionem erumpunt. Cui sedandæ impar exercitum relinquere coactus est Sallustius. Milites viam reflexere; nec nisi Romam regressos, jamque stantes in Campo Martio, Cæsar ipse *quirites* vocando exauctorandoque sedavit. Qua ignominia ad vetus obsequium revocati mox in Africam transvehuntur. Inde Sallustium ad Cercinam insulam, quam adversarii tenebant, cum parte navium Cæsar ire jubet, quod ibi magnum numerum frumenti esse audiebat.

« Hæc ita imperabat (Bell. Afr. VIII, Cæsar. Collectionis, vol. II, p. 436,) ut, si fieri posset necne, locum excusatio nullum haberet, nec moram tergiversatio. » Nimirum in eo virtutem reique militaris peritiam agnoverat Cæsar, quem considerare vetabat, an res imperata fieri posset. Ceterum ea, nec magno quidem negotio, perfecta est. « Nam (ibid. XXXIV, p. 461,) Sallustii adventu C. Decimius quæstorius, qui ibi cum grandi familiæ suæ præsidio præerat commeatui, parvulum navigium nactus conscendit, ac se fugæ commendat. Sallustius interim prætor, a Cercinatibus receptus, magno numero frumenti invento, naves onerarias..... complet, atque in castra ad Cæsarem mittit. »

Confecto bello Cæsar, pacatæ Africæ Sallustium præfecit. Quod si Lenæo, Pompeii liberto, quem Suetonius contra Sallustium mordacem libellum scripsisse testatur, fides adhibenda sit, in ea hoc tantum reliquit, quod auferre non poterat. Ejusdem criminis reum facit Dio Cassius; neque id temere aut invidiose excogitatum videtur,

quum reversus domum, apud Cæsarem a Numidis accusatus fuerit. Apud amicum causam agens, nemine mirante absolutus est. Nec defuere qui dicerent eum prædæ partem judici dedisse, ut alteram servaret. Illud enim tunc temporis usitatissimum fuit, ut legati Romam reduces provinciarum spoliis innocentiam emerent, justissimis provincialium hominum querelis ne famam quidem spoliatoris lædentibus. Nam adeo vulgare erat crimen avaritiæ, ut non impunitum modo, sed vix animadversum transiret. Quanquam id Sallustio præter alios invidiosum fuisse verisimile est, utpote acerrimo alienorum flagitiorum insectatori; liberatusque sententia Cæsaris, graviori librorum suorum judicio damnabatur.

Sed ille vix pœnæ ignominiam absolutionis ignominia effugerat, quum Cæsar, idibus martiis, anno 710, in senatu confossus est. Tanto destitutus præsidio Sallustius otio se penitus, et in perpetuum, abdidit. Eo tempore Historiam belli Jugurthini conscripsit; quod jam ante, dum Numidiæ præesset, animo destinaverat. Quod opus longe pulcherrimum Sallustii habetur, et ipso Catilina præstantius. Catilinam enim legendo, unius tantum et in uno loco initæ atque oppressæ conjurationis historiam legas. Conjuratio quidem illa in urbem omnium gentium reginam parabatur; locus ille, Roma. Sed Jugurthino in bello, et Romæ quoque inter turbulentas populi conciones, et in Africæ desertis inter arma et insignes varia Romanorum Afrorumque fortuna pugnas versaris; dumque in senatu publica majestas auro venundatur, castra duos viros in patriæ decus simul et perniciem educant. Scilicet in Numidia primum monstrati fatis Marius et Sylla.

Neque quidquam Sallustius omisit ut rerum gravitatem, non ingenio solum, sed cura etiam assequeretur. Multa enim de Africæ populorum originibus ex Numidicis libris collegit, quos rex Hiempsal in unum corpus redigi cura-

verat. Eodem ferme tempore longiorem Historiam, cui inscribebatur titulus, « Historia rerum in republica romana gestarum, » conscripsit: quo opere quidquid Catilinariam conjurationem inter et Jugurthinum bellum actum erat, continebatur. Sed mutilæ tantum ejus reliquiæ et aliquot fragmenta supersunt, in quibus digna præcipue memoratu invenias quatuor orationes et duas epistolas, unam Pompeii ad senatum, alteram Mithridatis ad Arsacem. Istis adjutus fragmentis, magna ceteroquin doctrina instructus et mira præditus ingenii sagacitate, vir nunquam satis laudandus *De Brosses*, res Romæ septimo sæculo gestas perpetua, eaque accuratissima, narratione exsequutus est.

Jam reliquum vitæ Sallustius magnas inter opes circumfusasque delicias traduxit; magnificentissimis ædibus in monte Quirinali ædificatis, ubi et saluberrimus aer, et pulcherrimus urbis patebat aspectus. Simul nobiles istos hortos conserendos curavit, quos jucundissimos in tota urbe veteres memoravere, et mortuo Sallustio habuerunt imperatores; sufficiente gentium omnium dominis ea sede, quæ viri privati fuerat: tanta loci amplitudo, tantus ornatus! Itaque Sallustianis in hortis inventa sunt plurima et pretiosissima artium antiquarum monumenta, quæ huc seu prioris heri seu Cæsarum opes congesserant. Nec minor fuit Sallustio ruri quam in urbe magnificentia. Multa enim prædia et præsertim pulcherrimam villam emit, quam in oppido Tibure XII millibus ab Roma distante Cæsar exstruxerat. Quæ quidem tam effusæ impensæ non argumento sunt Sallustium cum summa innocentia et abstinentia provinciam Africam habuisse; præsertim si narrantibus credere fas est adolescentem eum omnia disperdidisse bona, ita ut ne paternam quidem domum servaverit. Hoc enim ei acerbissimis verbis objicit auctor, quicumque est, hujus in Sallustium declamationis, quam sub Ciceronis nomine circumferunt.

Sallustius anno U. C. 718 mortuus est, quinquagesimum annum agens, relicta uxore Terentia, quæ deinde Messalæ Corvino celeberrimo oratori nupsit, atque adeo tres maximi fere in illo sæculo ingenii viros habuit conjuges[1]. Eadem, memorandum longissimi ævi exemplum, quarto etiam marito Vibio Rufo superstes centum et septemdecim vitæ annos exegisse fertur. Tacitus (Ann. III, 30 et passim,) Crispum Sallustium memorat, quem hic noster, sororis suæ nepotem, in gentem suam nomenque adsciverat. Ille, « incolumi Mæcenate proximus, mox præcipuus cui secreta imperatorum inniterentur », septimo Tiberiani principatus anno obiit.

Jam, ut ad nostrum redeamus, memoriam Sallustii fama sequuta est, ut præclara de ingenio, ita de moribus turpis et ignominiosa. Et is quidem factiosus et turbarum avidus in tribunatu fuit : an vero tot inquinatus vitiis, tot probris coopertus, quot in eum ingerit Pseudo-Ciceronis declamatio? Id neque affirmare prorsus, neque negare ausim. Ea enim tunc temporis erat publicorum morum fœditas, ut si dempseris quod accusatorie dicentis oratio veritati addere solet, nihil illi exprobretur, quod non et multis aliis, quorum illæsa ad nos fama pervenit, jure potuerit exprobrari? Non igitur mirum adeo fuerit si, acta per luxum et inhonestas voluptates adolescentia, tamen ætate provectior acerbe castigaverit eadem audentes; non mirum si, spoliata, ut plerisque mos erat, provincia, ceteros provinciarum spoliatores justa censura notaverit. Quippe, quum Africam vexaret, divitiarum avidum stimulabat occasio et certa impunitas; quum in legatorum avaritiam inveheretur, apud quiescentem a libidinibus animum valebat veri et recti conscientia. Nec id reticendum est, primum Sallustii famam laceravisse Lenæum istum, ipsi

1. D. Hieronymus, lib. I adversus Jovinianum. Vide infra p. XXXI ultimum de Sallustio Testimonium.

infensum, de quo supra memoravimus; et quæ dixerit ille, seu vera, seu falsa, faciliorem apud homines fidem invenisse; insita ingeniis humanis malitia, quæ in eodem homine verba factis, utraque in pravum detorquens, opponere gaudet: hinc præconceptam de Sallustio opinionem magis in dies ita invaluisse, ut nunc rem integro judicio perpendere, nemini fere in mentem veniat. An hoc ei in aliquam etiam laudem vertetur, quod cum Catilina non conjuraverit, ardens juventa, cupiditatibus flagrans, inopia perditus? Certe nulla defensio in eo prætermittenda est, in quem nullis probris abstinuerunt. Nobis vero, quibus id tantum de Sallustio superest, unde eum laudemus, satis sit, omissa vitæ inquisitione, mirari quæ scripsit, fugere quæ damnavit, facere quæ præcepit.

Pauca de Sallustiano scribendi genere dicemus; quid enim attinet toties audita decantare? Certiorem, quam nostra verba, fidem habebunt testimonia Veterum, quæ infra subjungentur. Recentiores vero quamplurimi, inter quos eminent (ut de nostratibus tantum et classicis loquamur) *Rollin* et *La Harpe*, nihil in æstimandis Sallustianæ dictionis virtutibus prætermisisse videbantur; nisi vir exstitisset, quo tractante, aliquid trito dudum argumento novi nitoris accederet, *Dussault*, *Annales littér.* t. 3; quem adibit locum, quicumque rerum gravitatem verborum elegantiæ conjunctam requirit.

Imitatorem Græcorum et præcipue Thucydidis et Demosthenis Sallustium aiunt. Id verum esse interdum agnoscemus; sed ita tamen ut eum ex suo depromere potius, quam ex alieno mutuari dixeris. Et in deperdita historia sæpius e græco fonte hausisse haud absurde conjicies; quum plura in Fragmentis imitationis vestigia, quam in toto Catilina et Jugurtha reperiantur. Conciones etiam, inter Fragmenta servatæ, multo magis ad Thucydideam rationem, quam ceteræ, accedunt. Nam quid pronius

intellectu, quid ad veræ concionis fidem accommodatius, quam quæ Cæsar et Cato in senatu, Memmius et Marius apud populum, agentes inducuntur? Quod quis dicat de Lepidi, Philippi, Licinii Macri orationibus? ubi multa occurrunt captu difficilia; totum vero genus (ut solet Thucydides) multo pressius et reconditius est, quam ut vulgi auribus aptum videatur.

Arguitur etiam nova et obsoleta verba usurpasse. Certe proprius illi color est, ac singularis forma et quasi vultus orationis. Sed eruditissimo Commentario egregie ostendit Cortius, « latinitatem illam, quam olim pro Græca, obsoleta, aspera, habere doctus fuerat, a Cicerone, Livio, Tacito etiam adhibitam esse. » Ceterum plura ejusmodi in Fragmentis, quam usquam alibi, occurrunt; et in Historiis præsertim *multa antiqui Catonis verba furatus* esse videtur Crispus. Quæ ob furta si reprehendendus est, reprehendatur sane; dummodo meminisse nos non pigeat, testem locupletem Quintilianum satis se Livio tribuisse arbitrari, eum Sallustii laudibus æquando.

B. F.

DE SALLUSTIO

VETERUM SCRIPTORUM JUDICIA ET TESTIMONIA.

VELLEIUS PATERCULUS, HIST. LIB. II.

ÆMULUS Thucydidis Sallustius.

IDEM.

Pene stulta est inhærentium oculis ingeniorum enumeratio; inter quæ maxime nostri ævi eminent, princeps carminum Virgilius Rabiriusque, et consequutus Sallustium Livius, Tibullusque et Naso, perfectissimi in forma operis, etc.

SENECA RHETOR, DECLAM. LIB. III.

Orationes Sallustii in honorem historiarum legantur.

IDEM, CONTROVERS. LIB. IX, DECLAM. I, ET CONTROVERS. IV, 24.

Thucydidis sententia est : Δειναὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα. Sallustius : « Res secundæ mire sunt vitiis obtentui. » Sic quum sit præcipua in Thucydide virtus brevitas, hac eum Sallustius vicit, et in suis eum castris cecidit. Nam in sententia græca tam brevi, habes quæ salvo sensu detrahas. Deme vel συγκρύψαι, vel συσκιάσαι, deme ἑκάστων, constabit sensus, etiamsi non æque comptus, æque tamen integer. At ex Sallustii sententia nihil demi sine detrimento sensus potest. Titus autem Livius tam iniquus Sallustio

fuit, ut hanc ipsam sententiam et tanquam translatam, et corruptam dum transferretur, objiceret Sallustio. Nec amore Thucydidis facit, ut illum præferat; sed laudat quem non timet; et facilius putat a se posse Sallustium vinci, si ante a Thucydide vincatur. (N. B. Quam Seneca Thucydidi tribuit sententiam, in Demosthene, Olynth. II, legitur, qui etiam, pro ἑκάστων ἁμαρτήματα, habet τοιαῦτα ὀνείδη).

MARTIALIS, LIB. XIV, 191.

Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Crispus romana primus in historia.

QUINTILIANUS, II, 5.

Livius a pueris magis legendus quam Sallustius, et hic historiæ majoris est auctor; ad quem tamen intelligendum jam profectu opus sit.

IDEM, III, 8.

Crispus Sallustius in bello Jugurthino et Catilinario nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est.

IDEM, IV, 2.

Vitanda illa Sallustiana, quanquam in ipso virtutis locum obtinet, brevitas, et abruptum sermonis genus; quod otiosum fortasse lectorem minus fallit, audientem transvolat, nec dum repetatur exspectat. (Scilicet hoc non in historia vitandum esse, sed in oratoriis narrationibus docet Quintilianus).

IDEM, VIII, 3.

Nec minus noto Sallustius epigrammate incessitur:

Et verba antiqui multum furate Catonis,
Crispe, Jugurthinæ conditor historiæ.

IDEM, IX, 3.

Ex Græco translata Sallustii plurima.

IDEM, X, I.

Neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus judicem, et sæpius ineruditum captanda nobis est; neque illa Livii lactea ubertas docebit satis eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quærit.

IDEM, IBIDEM.

At non historia cesserit Græcis; nec Thucydidi opponere Sallustium verear; nec indignetur Herodotus æquari sibi T. Livium, quum in narrando miræ jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus, supra quam narrari potest, eloquentem; ita dicuntur omnia quum rebus, tum personis accommodata, sed affectus quidem, præcipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis; ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consequutus est; nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis quam similes.

IDEM, IBIDEM.

Attici præcisis conclusionibus obscuri Sallustium atque Thucydidem superant; tristes ac jejuni Pollionem æmulantur; otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, jurant Ciceronem ita loquuturum fuisse.

IDEM, X, 3.

Sane manifestus est Sallustii ex ipso opere labor.

CORNELIUS TACITUS, ANN. III, 30.

Crispum equestri loco ortum C. Sallustius, rerum romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit.

JUSTINUS, XXXVIII, 3.

Pompeius Trogus in Livio et Sallustio reprehendit, quod conciones directas. . . . . operi suo interserendo historiæ modum excesserint.

A. GELLIUS, NOCT. ATTIC. I, 15.

Sallustius novator verborum.

IDEM, III, 1.

Sallustius, vel subtilissimus brevitatis artifex.

IDEM, IV, 15.

Elegantia orationis Sallustii, verborumque facundia et novandi studium cum multa prorsus invidia fuit; multique non mediocri ingenio viri conati sunt reprehendere pleraque et obtrectare; in quibus plura inscite aut maligne vellicant, nonnulla tamen videri possunt non indigna reprehensione.

IDEM, X, 20.

Sallustius quoque, proprietatum in verbis retinentissimus, consuetudini concessit; et privilegium, quod de Cn. Pompeii reditu ferebatur, legem appellavit.

IDEM, XVII, 18.

M. Varro, in litteris atque vita, fide homo multa et gravis, in libro quem inscripsit, *Pius aut de Pace*, C. Sallustium, scriptorem seriæ illius et severæ orationis, in quibus historia notiones censorias fieri atque exerceri vi-

demus, in adulterio deprehensum ab Annio Milone, loris bene cæsum dicit et, quum dedisset pecuniam, dimissum.

SUETONIUS, DE ILLUSTRIBUS GRAMMATICIS, X.

Asinius Pollio, in libro quo Sallustii scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, ita tradit : In eam rem adjutorium ei fecit maxime quidam Ateius Prætextatus, nobilis grammaticus latinus, declamantium deinde adjutor atque præceptor, ad summam Philologus ab semet nominatus. . . . . Coluit postea familiarissime (sc. Ateius) Caium Sallustium et, eo defuncto, Asinium Pollionem; quos historiam componere aggressos, alterum breviario rerum omnium romanarum, ex quibus, quas vellet, eligeret, instruxit; alterum præceptis de ratione dicendi. Quo magis miror Asinium Pollionem credidisse antiqua eum verba et figuras solitum esse colligere Sallustio; quum sibi sciat nil aliud suadere, quam ut noto civilique et proprio sermone utatur, vitetque maxime obscuritatem Sallustii et audaciam in translationibus.

IDEM, XV.

Lenæus Pompeii Magni libertus. . . . . tanto amore erga patroni memoriam exstitit, ut Sallustium historicum, quod eum oris improbi[1] animo inverecundo scripsisset, acerbissima satira laceraverit, lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque appellans et vita scriptisque monstrosum; præterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem.

MACROBIUS, SATURN. II, 9.

Sallustius, gravissimus alienæ luxuriæ objurgator et censor.

1. Vide Fragm. Incert. libr. p. 420, ubi probare studuimus a Suetonio aut scriptum aut scribendum fuisse *oris probi*.

IDEM, V, 1.

Quatuor sunt genera dicendi : copiosum, in quo Cicero dominatur; breve, in quo Sallustius regnat; siccum, quod Frontoni adscribitur ; pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc, nullo veterum minor, noster Symmachus luxuriatur.

AUSONIUS, IN PROTREPTICO.

Vide Histor. Fragm. lib. 1, n. 2, p. 345.

SIDONIUS APOLLINARIS, IN PANEGYRI ANTHEMII AUGUSTI.

Qua Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus,
Qua pompa Tacitus, nunquam sine laude loquendus.

APULEIUS, IN APOLOGIA.

Neque Cato gravitatem requirit, neque Lælius levitatem, neque Gracchus impetum, nec Cæsar calorem, nec Hortensius distributionem, nec Calvus argutias, nec parcimoniam Sallustius, nec opulentiam Cicero.

FESTUS AVIENUS, IN ORA MARITIMA.

Interrogasti, si tenes, Mæotici
Situs quis esset æquoris : Sallustium
Noram id dedisse, dicta et ejus omnibus
Præjudicatæ auctoritatis ducier
Non abnuebam. Ad ejus igitur inclytam
Descriptionem (qua locorum formulam
Imaginemque, expressor efficax styli
Et veritatis, pene in obtutus dedit
Lepore linguæ) multa rerum junximus.

AUGUSTINUS, DE CIVITATE DEI, I, 5.

Sallustius, nobilitatæ veritatis historicus.

S. HIERONYMUS, LIB. I, ADVERSUS JOVINIANUM.

Cicero rogatus ab Hirtio, ut post repudium Terentiæ, sororem ejus duceret, omnino hoc facere supersedit, dicens non posse uxori se et philosophiæ pariter operam dare. Illa interim conjunx egregia, et quæ de fontibus Tullianis hauserat sapientiam, nupsit Sallustio inimico ejus, et tertio Messalæ Corvino, et quasi per quosdam gradus eloquentiæ devoluta est.

NOTITIA LITTERARIA

DE

C. CRISPO SALLUSTIO

EX JO. ALB. FABRICII BIBLIOTHECA LATINA A JO. AUG. ERNESTI AUCTIUS EDITA, TOM. I, LIB. I, C. 9.

C. Crispus Sallustius[1] natus Kal. Octobr. an. U. C. 668, secundum fastos Idat. Amiterni, oppido Sabinorum, ab Appio censore an. 704, senatu ejectus[2], a Cæsare dictatore senatoriæ dignitati restitutus[3] evectusque ad præturam, et præfectus (sive potius, expilator[4]) Numidiæ, Juba victo et occiso[5]: vitæ ipse profligatæ[6], quantumvis

1. Alius Sallustius Crispus, nostri sororis filius, inventor æris, quod ab eo Sallustianum est appellatum. Plin. XXXIV, 2. Ad hunc Horat. lib. II, oda, 2. Vide et Lips. ad I. Taciti Annal. num. 35. Fuit præterea Crispus quidam Sallustius, qui Apuleii Milesiarum libros et Apologeticum recensuit, ut notatum est in antiquo cod. Florent. De aliis Sallustiis vide si placet Suidam et Onomastic. Glandorpii. A Sallustio ludimagistro additam litteram K legas in Vincentii Bellovacens. Speculo doctrinali, lib. II, c. 8. Inter rec. Medicos clarus est *Sallustius Salvianus*, cujus libri III, varr. lectt. de re medica prodierunt Romæ anno 1588, 8, ut alia ejus scripta præteream.

2. Dio, lib. XL, p. 150.

3. Adi Hanck. de romanar. rer. scriptoribus, lib. I, c. 6; quod est de Sallustii vita, et Jo. Nic. Funccium de ætate virili linguæ lat. parte II, p. 181 seq. Sallustii effigiem e numo reginæ Christinæ habes in tom. III. Thes. antiquitt. Græcar. Gronoviani, littera *ddd*.

4. Dio Cass. lib. XLIII, p. 217.

5. Appian. II civilium bellorum, p. 490.

6. Scholiast. vetus Horatii ad verba, lib. I, sat. 2, vers. 41, ille flagellis. *Hoc de C. Crispo Sallustio dicitur, qui deprehensus ab Ann. Milone*

C

in scriptis veritatis studiosus et alienorum vitiorum, Catonis ac Thucydidis exemplo[1], acerbissimus insectator, obiit quadriennio ante pugnam actiacam, quæ commissa est anno Urbis 723, ante Chr. 31. Numum ornatum Sallustii capite imberbi edidit primum Fulvius Ursinus cum inscriptione *Salustius Autor*. Annotat porro Jo. Faber, numum illum fuisse contorniatum, *autoris* vero vocabulum aliter accipi quam ab ipso Sallustio, qui c. 3. Catil. auctorem rerum a scriptore distinguit. Inscriptiones etiam antiquiores et ætati Sallustii vicinæ apud eundem Ursinum p. 90, sicut et Quintiliani et Marciani Capellæ codices, et Horatii, nomen illud non cum simplici, sed geminata litera LL efferunt[2]: unde concludit Faber, illum numum diu post Sallustii ætatem cusum fuisse, et fortasse tum, quum aliorum quoque ill. virorum numi eadem forma sunt percussi. Constat autem, ejuscemodi numos, quibus memoria veterum clarorum virorum conservaretur, cœpisse cudi post Constantinum M. et maxime sub Honorio. Dolebat Gisbertus Cuperus, non proditam ab Ursino partem numi aversam, nisi nudam fortasse reperit. Etiam Car. Patinus edidit numum, in quo circa caput viri, sed quod male barbatum pro nudo exhibet, legitur *Salustius Autor*. Illum vero neutiquam referendum putat ad scriptorem belli Jugurth., sed pertinere ad Sallustium, qui cum Leontio consul fuit an. U. C. 1096, Chr. 344, imperantibus Constantino juniore, Constantio et Constante, qui consul certe a Zarabella Sallustius autor cognominatur. In aversa parte tres viri togati, e quibus medius manu tenet

in adulterio cum uxore Fausta, Sullæ filia, flagellis cæsus esse dicitur, ut refert Asconius in ejus (Milonis) *vita*. Adde Gellium, XVII, 18; Suetonium de Grammatic. cap. 15; et Lactant. II, 12.

1. Thucydidis æmulum vocat Velleius, II, 36.

2. In Plutarchi, Dion., Stephani Byz. Suidæ et aliorum Græcor. libris Σαλούστιος.

ædificium, sive, ut Sigebert. Havercampius (qui eundem numum offert in libro de numis contorniatis pag. 149), hydraulicum organon, ad oram adscriptis verbis: PETRONI PLACEAS. Quam Ursinus quoque adjunxit numi faciem tres figuræ decorant, sed feminarum, et verba MONE..... GEAS. Apud Paulum vero Pedrusium, t. V, p. 36, in aversa parte conspicitur figura hominis sedentis, viri, non feminæ: unde nec Numidiam, nec cum Pedrusio, p. 39, historiam ab illa denotari crediderim. Similis plane figura in numo Alexandri Severi, id. p. 286, ubi iterum historiam Pedrusius vult intelligi parum verisimiliter. Fuit et Crispus Sallustius junior rhetor, de quo intelligendum, quod in priscis Taciti et Apuleii codicibus florentinis aiunt reperiri: *Ego Crispus Sallustius legi et emendavi Romæ fœlix, Olybrio et Probino coss. in foro Martis controversias declamans oratori Endelechio.* Non plane intelligo, quid hæc verba sibi velint, nec quo tempore Olybrius cum Probino consulatum gesserit: licet Olybrium consulem fuisse constet an. C. 526, ante Mavortium, quem in emendando Horatio Felix[1] orator urbis Romæ adjuvit. Alii Q. Sallustius Hermes et Q. Sallustius Felix in vet. epithaphio ap. Montfauc. Antiquitatis explicatæ Tom. V, supplementi pag. 65, tab. XXVIII et XXIX. De Sallustio vet. historico conferre licebit Dan. Guil. Molleri dissertationem editam Altdorfii 1684, et orat. Christ. Coleri, Norimb. 1598, 8. Vitam scriptam a Joan. Clerico et in Wassii edit. obviam servavit in Sallust. suo Caietan. Vulpius: etiam Thyvonus translatam gallicæ suæ adjunxit versioni, sed additis animadversionibus, Sallustii famam defendentibus. Citatur Sall. a Græco scriptore Jo. Antiocheno in excerptis Peirescianis p. 793: Καὶ Σαλλούστιος ὁ Ῥωμαῖος συγγραφεὺς ἔφη καλοῖς αὐτὸν (τὸν Σύλλαν) ἐγχειρήμασι κάκιστον ἐπεννηνοχέναι τὸ τέλος. Codicem Ms. Sall.

1. Vid. Pet. Relandi fastos consulares, p. 696.

repertum in cænobio Benedictinorum Martisburgensi Jo. Rivius utendum se accepisse testatus est a G. Fabricio. Msti sui cod. qui Reinesii olim fuit, meminit Conrad. Sam. Schurzfleisch. præfat. ad orthogr. lat. Quatuor codd. Mss. Sallust. Tegnagelius in biblioth. Cæsarea; duodecim Mediceos laudat Norisius in Cenotaphiis Pisanis, pag. 463, ternos etiam nuper habebat bibl. Rostgaardiana, p. 464. Habeo et ipse binos Sall. codd. non contemnendos, scriptos in membrana, atque in his unum antiquissimum. Ambo nactus sum e bibl. V. C. Marquardi Gudii. Ex eadem ad me pervenerunt quoque[1] lectiones duorum codd. membranaceorum cathedralis eccles. Remensis, quas enotavit idem vir doctissimus, testatus priorem forma oblongiore, ut quartam paulo excederet, scriptum anno MCLXVIII, indictione prima. Librarius nomen suum prodidit his verbis: *Omnes qui lecturi estis, orate pro Matthæum scriptorem, ut Deum semper habeat propitiatorem.* Alter membranaceus in quarto, annorum amplius septingentorum. Omnino nullius alius scriptoris veteris tot codd. scripti exstant, quam Sallustii, et auctoris librorum ad Herennium : unde patet, eos libros a multis lectos esse, ut opinor, propter brevitatem et acumen orationis et πάθος: sed ea frequentia exemplarium peperit multitudinem mendarum, glossarum, interpolationum, quæ et in edd. primis reperiuntur. Laudat Quintil. X, 1, pag. 886, *Sallustianam brevitatem*, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas possit esse perfectius: et pag. 914, *immortalem Sallustii velocitatem*, quam diversis virtutibus Livius sit assecutus : tamen Conciones a Crispo frequentiores longioresque, atque, ut ipsi quidem videtur, insipidiores historiæ inspersas moleste fert V. C. Nic. Hieron. Gundlingius præfat. ad Nic. Burgundi hist. belgicam. Fuit hoc

1. Tres hosce codd. annó 1722 libenter misi ad Gottl. Cortium; qui illis usus est ad præclaram suam edit. Sallustii adornandam.

CAP. I. 1. In quatuor primis capit. exponit Sallustius, qua ratione ad scribendas historias impulsus fuerit : scilicet hominem decet aliquam sui memoriam relinquere; quod quidem certius rectiusque fit ingenii quam corporis vires exercendo. Porro vel res gerere, vel ab aliis gestas scribere, utrumque et ingenii opus est, et gloriam affert. Quum vero et ipse olim publica munera obierit, jam molestiis absterritus, otium suum ad perscribendas res gestas populi romani conferre statuit. His autem omnibus multa interserit sapientissime quidem excogitata et egregie dicta, sed quæ non huic magis quam alii cuilibet historiæ cohærent. Itaque dicit Quintilianus III, 8 : « Crispus Sallustius in bello Jugurthino et Catilinario nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est. » Quæ res utcunque sit, nos felicem culpam, si culpa est, judicemus, ex qua nobis tam præclara legere contingat.

2. *Omnis homines*, pro *omnes homines*. *i* pro *e* vulgo usurpat in accusativo plurali tertiæ declinationis antiquitatis amator Sallustius. Hoc *i* natum est e diphthongo *ei*. Imo per diphth. scribi vult Terentianus *omneis*, ad pluralium græcorum imitationem. Priscianus, lib. VII : « Omnium quæ tam nominativum quam genitivum similem habent, eorum accusativus raro in *es*, frequenter in *is*, solet terminari, ut *hic et hæc* OMNIS, *hujus* OMNIS, *hos et has* OMNIS. Sall. Cat. : *Omnis homines qui sese student*. Terentius in Andria : *Omnis nos gaudere.* » Quæ tamen aliquanto latius patet regula. Nam Virgilius, teste Gellio XIII, 20, « diversis in locis *urbes* et *urbis* dixit, arbitrio consilioque usus auris. Georg. I, 25 : URBIS *ne invisere Cæsar*. Æn. III, 106 : *Centum* URBES *habitant magnas.* »

3. *Sese student præstare*. Poterat quoque dici, sine pronomine : *student præstare*. Sensus : efficere cupiunt ut ipsi præstent.

eant [4], veluti pecora, quæ natura prona [5] atque ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est : animi imperio [6], corporis servitio magis utimur. Alterum nobis cum dis, alterum cum belluis commune est. Quo mihi rectius esse videtur ingenii quam virium opibus gloriam quærere, et, quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis est ; virtus clara æternaque habetur [7]. Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine corporis, an virtute animi [8], res militaris magis procederet. Nam et, prius quam incipias, consulto [9], et, ubi consulueris, mature facto [10] opus est. Ita utrumque, per se indigens, alterum alterius auxilio [11] veget [12].

4. *Vitam silentio ne transeant.* Ne vitæ curriculum emetiantur et quasi *trans* vitam *eant*, muti ipsi et nulli memorabiles, atque ita, nullo sentiente, et vivant et moriantur. Eodem fere sensu Tacitus, Agric. III.

« Exemptis e media vita tot annis, quibus juvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactæ ætatis terminos per *silentium* venimus. »

5. *Prona.* Ovid. Met. I, 84.

Pronaque quum spectent animalia cetera terram.

6. *Animi imperio.* Animo ut duce et domino, corpore autem ut servo utimur. Sic initio Jugurthæ : « sed dux atque imperator vitæ mortalium animus est. » Item Senec. Ep. 114 : *Rex noster est animus.* Hæc vero Sallustius ex Aristotele desumpsit, Politic. I, 5 : τὸ δὲ ζῶον πρῶτον συνέστηκεν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος· ὧν τὸ μὲν ἄρχον ἐστὶ φύσει, τὸ δὲ ἀρχόμενον.

7. *Habetur.* Possidetur ; clara et æterna possessio est. Hoc loco omnem suam vim retinet verbum *habetur*, nec sonat, ut sæpe alias, *videtur*, quod prorsus sententiæ repugnaverit.

8. *Virtute animi.* Vi animi, quam Græci ἀρετὴν dicunt. KUNHARDT.

9. *Consulto... opus est.* Diligenter consulendum et deliberandum est.

10. *Mature facto opus est..* Perficiendum celeriter quod decreveris. Sic Isocrates ad Demonicum : βουλεύου μὲν βραδέως, ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα. Et Demosth. Philipp. I : δεῖ βουλεύεσθαι ἐφ' ἡσυχίας, ποιεῖν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπουδῆς.

11. *Alterum alterius auxilio.* Sic Horat. in arte poetica :

Alterius sic
Altera poscit opem res et conjurat amice.

12. *Veget.* Antiquum, pro *viget.* Hinc *vegetus*, et verbum *vegeto.* Cortius et alii quidam legunt *eget.* Sed nonne, ut Dahlius observat, frigide dictum sit *indigens eget* ?

II. Igitur initio [1] reges (nam in terris nomen imperii [2] id primum fuit) diversi [3], pars ingenium, alii [4] corpus exercebant : etiam tum [5] vita hominum sine cupiditate agitabatur [6]; sua cuique satis placebant. Postea vero quam in Asia Cyrus [7], in Græcia Lacedæmonii et Athenienses, cœpere urbes atque nationes subigere, lubidinem dominandi [8] caussam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare; tum demum periculo [9] atque negotiis [10] compertum est in bello plurimum ingenium posse. Quod si regum atque imperatorum [11] animi virtus in pace ita uti in bello valeret [12], æquabilius [13] atque constantius sese res humanæ haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile his artibus [14] retinetur, quibus initio partum est. Verum

Cap. II. 1. *Initio.* Primis illis temporibus quum civitates conderentur. Kun.

2. *Nomen imperii.* Sic vocati sunt qui primi in terris imperium habuere. Item Cicero de Legibus, III : « Omnes antiquæ gentes regibus quondam paruerunt. »

3. *Diversi.* Diversa sequentes; alius aliam viam ingressi.

4. *Pars... alii.* Hæ voces semper sibi invicem ab auctore nostro opponuntur, nunquam autem *pars.... pars*, nec etiam *alii... alii.* Kun.

5. *Etiam tum.* Illis adhuc temporibus. Hæc dicta sunt ab Sallustio ut suæ ætatis, antiquis illis temporibus dissimillimæ, cupiditatem et avaritiam obiter carpat. Male igitur Cortius : *et jam tum*, quod contrarium prorsus sensum efficit.

6. *Agitabatur.* Frequentissime occurrit apud Sall. vox *agitare* pro *agere.* Sic Ennius (Cic. in Bruto, XV): Qui tum vivebant homines atque ævum *agitabant.*

7. *Cyrus.* Prior Cyrus, Cambysis et Mandanes filius, qui imperium Medorum ad Persas transtulit. Cyri vero potissimum meminit Sallustius, quia antiquiores historiæ pro fabulis haberi solent.

8. *Lubidinem dominandi.* Propter solam dominandi cupiditatem bella gerere, et gloriam ex magnitudine imperii æstimare.

9. *Periculo.* Experimento. Nota eamdem utriusque vocabuli radicem esse : πειρᾶν, *experiri*, seu periculum facere.

10 *Negotiis.* Ipsa negotiorum tractatione.

11. *Imperatorum.* Intellige omnes eos qui, seu in bello, seu in pace populis imperant.

12. *Valeret.* Vigeret, omnem suam vim haberet atque expromeret. Non enim hoc loco *valeret* idem significat, quod paulo ante infinit. *posse.*

13. *Æquabilius.* Magis suum et eumdem statum obtinerent. Gall., *auraient un cours bien plus réglé.* Cr.

14. *Artibus.* Rationibus. Gallice, *moyens.*

ubi pro labore desidia, pro continentia et æquitate lubido [15] atque superbia invasere [16], fortuna simul cum moribus immutatur. Ita imperium semper ad optumum [17] quemque a minus bono transfertur. Quæ homines arant [18], navigant, ædificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique [19], vitam sicuti peregrinantes [20] transegere; quibus, profecto contra naturam, corpus voluptati [21], anima oneri [22] fuit. Eorum ego vitam mortemque juxta æstumo [23], quoniam de utraque siletur. Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui, aliquo negotio intentus [24], præclari facinoris [25] aut artis bonæ famam quærit. Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit.

15. *Lubido.* Prurigo faciendi quodcumque animo lubet. Gallice, *caprice.* Hoc vitium oppponitur *continentiæ*, gallice, *retenue*, qua quis intra recti honestique fines *continetur.*

16. *Invasere.* Sunt enim quasi hostes reipublicæ desidia, lubido atque superbia. Nota *invasere* absolute positum; suppleri potest: *animos hominum universasque res humanas.*

17. *Ad optumum.* Hæc vox non eum hoc loco significat, quem gallice vocamus: *le plus honnête homme;* sed eum qui plus pollet ingenio, industria, viribus animi: *le plus capable.*

18. *Quæ homines arant.* Sensus est: ne ipsa quidem agricultura, navigatio, architectura, sine *virtute*, i. e. sine vi mentis, prospere procedunt.

19. *Inculti.* Qui animum non excoluerunt.

20. *Sicuti peregrinantes.* Quasi hospites et peregrini versarentur inter homines, nec ullum sui vestigium relinquere curarent.

21. *Corpus voluptati.* Corpus fuit in deliciis; ideo illud solum foverunt et curæ habuerunt.

22. *Anima oneri.* Anima fuit oneris loco; ideo illam neglexerunt et quasi ægre tulerunt. Quomodo autem *anima* oneri esse potest? quia *animæ* propria est actio quædam et motus illis importunus qui, ut dictum est, *dediti ventri atque somno* desidia et inertia torpere consueverunt. Hic vero *anima*, *corpori* opposita, est nostra vox *ame*, græca ψυχή, latissime patenti sensu.

23. *Juxta æstumo.* Vitam non pluris æstimo quam mortem.

24. *Aliquo negotio intentus.* Vulgaris usus postulare videtur: *alicui negotio.* Hicne Sallustius ablativum intelligi voluit? An *aliquo* est antiqua forma dativi, ut *nullo*, apud Cic. pro Quintio 1: *quod si tu judex* nullo *præsidio fuisse videbere?* « Recte enim, inquit Donatus, veteres *nulli*, *nullo*, *soli*, *solo*, declinabant. » Certe adverbium *quo* natum est ex veteri dativo *quoi*, hujusque casus semper aliquam retinet significationem. Idem hic esse potest de *aliquo.*

25. *Præclari facinoris. Facinus*, (ex verbo *facere*) est vox *media*,

III. Pulchrum est bene facere reipublicæ; etiam bene dicere haud absurdum [1] est; vel pace vel bello clarum fieri licet; et qui fecere [2], et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum [3], tamen in primis arduum [4] videtur res gestas scribere: primum, quod facta dictis sunt exæquanda [5]; dehinc, quia plerique, quæ delicta reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant; ubi de magna virtute et gloria bonorum memores [6], quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit; supra ea [7], veluti ficta, pro falsis ducit. Sed ego adolescentulus [8] initio, sicuti plerique, studio ad rempublicam [9] latus sum, ibique [10] mihi advorsa multa

hoc est, quæ in utramque partem accipitur, et, prout cum hoc vel alio adjectivo jungitur, præclara aut turpia significat. Sensus est: qui præclaris factis innotescere, aut in aliqua studiorum artiumque liberalium parte eminere cupit.

Cap. III. 1. *Absurdum.* Hac voce ad significandos ingratos auribus sonos sæpissime utuntur Latini. Deinceps vero omnia, quæ hominem ratione præditum non decent, dicuntur absurda. Kun.

2. *Et qui fecere.* Dignus est qui conparetur locus apud Plinium simillimus, Ep. VI, 16: « Beati quibus datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda. » Kun.

3. *Auctorem rerum.* Alii *actorem*, qua voce usus est Cic. de Orat. III, 15: « ut illum efficeret oratorem verborum actoremque rerum. » Sed dicitur quoque *auctor rerum*, qui eas manu, hortatu, consilio gessit. Vell. II, 120: « Præclari facinoris *auctor* fuit Caldus Cœlius, qui, complexus catenarum, quibus vinctus erat, seriem, ita illas illisit capiti suo, ut protinus exspiraret. » Ne tamen lector nescierit esse nonnullos, qui *auctorem rerum* eumdem h. l. esse ac *scriptorem* velint. Et quidem non semel *auctor rerum*, apud Tacitum, pro historico usurpatur. Sed hic oppositio clare sensum indicat.

4. *In primis arduum.* Arduum in iis quæ maxime ardua sunt.

5. *Facta dictis sunt exæquanda.* Verbis ita rem exprimere oportet, ut neque nimis laudentur honesta, nec turpia nimis vituperentur, utque lector, quid et qua ratione aliquid factum sit, statim intelligat. Kun.

6. *Ubi... memores.* Quum præclara bonorum virorum facta refers.

7. *Supra ea.* Id est, quæ facultatem malevolorum superant. Totus hic locus de scribendæ historiæ difficultate e Thucydide depromptus est, quem vide l. II, 35, in funebri Periclis oratione.

8. *Adolescentulus.* Admodum juvenis.

9. *Ad rempublicam.* Ad capessenda reipublicæ munera.

10. *Ibique.* In obeundis muneribus.

fuere. Nam pro pudore [11], pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quæ tametsi animus aspernabatur insolens malarum artium [12], tamen inter tanta vitia imbecilla ætas, ambitione corrupta [13], tenebatur; ac me, quum ab reliquorum [14] malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem, quæ ceteros, fama atque invidia vexabat.

IV. Igitur ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam ætatem a republica procul habendam decrevi; non fuit consilium secordia atque desidia bonum otium [1] conterere; neque vero agrum co-

11. *Pro pudore, etc.* Hæc, ordine paulum immutato, sic intellige, ut opponatur pudori audacia, abstinentiæ avaritia, virtuti largitio, (*l'audace à la modestie, l'avarice au désintéressement, les largesses au mérite*); *largitio* enim est pecunia pro suffragiis data, ut aliquis *sine virtute* honores adipiscatur. Si tamen nullum volueris interpretando verbum transponere, opponi poterit *largitio abstinentiæ*, quia ubi sunt qui largiuntur, sunt etiam qui accipiunt, ideoque non viget abstinentia. Denique contrarium erit *avaritia virtutis*, ejus scilicet quæ animos ad pecuniæ contemptum erigit, et, ut ait Horatius, Carm. II, 2 :

Ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

12. *Insolens malarum artium.* Non solitus exercere malas artes. Unde hic genitivus? quia idem valet *insolens*, quod *non habens consuetudinem.*

13. *Ambitione corrupta.* Hic est corrumpere idem quod gallice, *séduire.*

14. *Quum ab reliquorum...* Hic a Bip. editione recedimus, quæ habet : « Quum ab *reliquis* malis moribus dissentirem, nihilominus honoris cupido, eadem *qua* ceteros, fama atque invidia vexabat (sexto casu *eadem fama atque invidia*). » Sequimur vero Havercampum, et sic interpretamur : eadem, quæ ceteros, honoris cupido vexabat me *fama* atque *invidia* (his item in sexto casu, sed *eadem* in primo). Kunhardt conjicit legi posse, si quis vulgatam lectionem mutandam censeret, « me.. honoris *cupidum* eadem, quæ ceteros, fama atque invidia vexabat, » quod certe optimum sensum efficeret. Sed et in nostra lectione nihil ambigui est : « quamvis a ceterorum vitiis abhorrerem, tamen quum eadem, qua illi, ambitione laborarem, ea ambitio hominum rumores (sic *famam* intelligi oportet) atque invidiam in me concitabat. » Id mire congruit cum sequentibus verbis et cum iis quæ paulo supra dicta sunt : *ibi mihi adversa multa fuere.* Hæc autem scribit, ut monet clarissimus Sallustii interpres (*le président De Brosses*), ut, quoniam recens e senatu ejectus erat, honestam probabilemque huic ignominiæ causam prætexat, quasi bonus ipse malis per invidiam annumeratus fuerit.

Cap. IV. 1. *Bonum otium. Otium* hic intellige vacationem a publicis

lendo, aut venando, servilibus[2] officiis intentum, ætatem agere; sed a quo incepto studio[3] me ambitio mala[4] detinuerat, eodem regressus, statui res gestas populi romani carptim[5], ut quæque memoria digna videbantur, perscribere; eo magis quod mihi a spe, metu, partibus reipublicæ, animus liber erat. Igitur de Catilinæ conjuratione, quam verissume potero, paucis absolvam[6]. Nam id facinus in primis ego memorabile existumo, sceleris atque periculi novitate. De cujus hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

V. Lucius Catilina[1], nobili genere natus[2], fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque[3]. Huic ab adolescentia[4] bella intestina, cædes, rapinæ,

muneribus. — *Bonum*, quo bene uti liceat. Gallice verti possit *un loisir précieux*.

2. *Servilibus*. Servilia officia vocat Sallustius quæ ad corpus solum pertinent, *cujus*, ut antea dixit, *servitio utimur*. Sine causa igitur illum quidam reprehenderunt, quasi inter inhonesta per se et libero viro indigna venationem et agriculturam per contemptum rejecisset.

3. *A quo incepto studio*. Regressus sum ad idem litterarum studium a quo, quum jam inceptum esset, me ambitio mala revocaverat.

4. *Ambitio mala*. Cujus mali sunt effectus.

5. *Carptim*. Ita ut eligam singula historiæ fragmenta. Nam rejiciendum jure censuit Tellerus quod in aliis quibusdam legitur *strictim*, quod plane, inquit, non convenit proposito Sallustii. Kun.

6. *Absolvam*. Scil. narrationem.

Cap. V. 1. *L. Catilina*. Multa de ejus indole Cicero, I et III, in Cat., quæ huc transferre longius sit. Ipsæ adeantur orationes. Conferatur quoque ejusdem oratio pro M. Cœlio, ubi, cap. V et VI, vividis admodum coloribus Catilinæ effigies adumbratur.

2. *Nobili genere natus*. Scilicet e patricia Sergiorum gente, ut patet ex Plinio, VII, 28. Neque tamen, ut hoc obiter moneamus, ii soli *nobiles* erant, qui *patricii*. Nobiles habebantur etiam *plebeii*, quorum majores summis in republica honoribus, consulatu nempe vel prætura, vel ædilitate curuli functi fuerant. Jus erat nobilibus majorum suorum imagines in atrio collocare, et, ubi quis ex eadem familia obiisset, in funeribus præferendas curare. Verum, ut ad Catilinam redeamus, is (teste Ammiano XXV) ultimus fuit nobilissimæ illius gentis, de cujus antiquitate etiam meminit Virgilius, Æn. V, 121.

Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen.

3. *Malo pravoque*. Malus opponitur *bono*, pravus *recto*. Malum ingenium malas res appetit; pravum recta et rationi consentanea rejicit.

4. *Ab adolescentia*. Quum h. l. adolescentia juventuti opponatur,

discordia civilis, grata fuere; ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens[5] inediæ, vigiliæ, algoris, supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius[6], cujuslibet rei simulator ac dissimulator[7], alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis loquentiæ[8], sapientiæ parum. Vastus animus[9] immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem[10] Lucii Sullæ lubido maxuma invaserat reipublicæ capiundæ[11]; neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat[12]. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei fami-

hæc seriorem, illa teneram ætatem significat; ut sensus sit : simul ac togam virilem sumpserat, gaudere cœpit bellis intestinis, ibique (atque in his) maturiorem quoque ætatem (juventutem) exercuit. Non autem satis finita erant adolescentiæ juventutisque tempora, quamvis Ausonius Popma (De differentiis verborum) doceat Varronem hæc ita distinxisse, ut *adolescentiam* tribueret iis qui trigesimum, *juventutem*, qui quadragesimum ætatis annum nondum excesserint. Sed neque verisimilis est illa significationum distinctio, neque prisco loquendi usui convenit. Nam Julius Cæsar, infra, eo tempore quo pontificatum sibi ambiret, adolescentulus fuisse dicitur, quum ad minimum tamen XXXVI annos natus esset. Quid? quod Cicero illud tempus innuens, quum jam consulatu fungeretur, diceret (Philip. II, 46) : « defendi rempublicam *adolescens*. Kun.

5. *Patiens*. Cum genitivo, *qui* vel *quod habet vim patiendi*.

6. *Varius*. Qui varias induit formas, aut multiplices ad artes recurrit.

7. *Simulator ac dissimulator*. Res ficta simulatur; res vera dissimulatur.

8. *Satis loquentiæ*. Vulgo *eloquentiæ*. Gellius autem, I, 15, Valerium Probum, grammaticum illustrem, dixisse refert suis demum temporibus legi cœpisse vocem *eloquentiæ*, Sallustium vero scripsisse *loquentiæ*, « quod *loquentia* novatori verborum Sallustio maxime congrueret; *eloquentia* cum insipientia minime conveniret. » Vide etiam Plinium, l. v. ep. 20, ubi dicit : « Julius Candidus non invenuste solet dicere *aliud esse eloquentiam, aliud loquentiam*. » Porro loquentia est quædam dicendi facultas cum sapientia non conjuncta, Græcis λαλία.

9. *Vastus animus*. Qui non facile expletur. Kun.

10. *Post dominationem*. Non idem est hoc loco, quod *finita dominatione*, sed *ab eo tempore quo dominari cœperat*. Hic ergo gall. verti debet *post* DEPUIS, non ut vulgo, APRÈS.

11. *Reipublicæ capiundæ*. Id est remp. invadendi, servam et quasi *captivam* faciendi, qui sensus confirmatur sequentibus verbis : *dum sibi regnum pararet*.

12. *Pensi habebat*. Pensum fit a

liaris, et conscientia scelerum; quæ utraque [13] his artibus [14] auxerat, quas supra memoravi. Incitabant præterea corrupti civitatis mores, quos pessuma ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant [15]. Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit [16], supra repetere [17], ac paucis instituta majorum [18] domi militiæque, quomodo rempublicam habuerint [19], quantamque reliquerint, utque paullatim immutata, ex pulcherruma [20] pessuma ac flagitiosissuma [21] facta sit, disserere.

pendo, quod translate significat *æstimo, curo*. Itaque, *nihil pensi habere*, est *nihil curare*.

13. *Quæ utraque*. Scil. inopiam et conscientiam scelerum.

14. *His artibus*. Id est moribus, studiis, animi propensionibus.

15. *Quos.... vexabant*. Quos mores certatim corrumpere et pessumdare studebant. Actio enim verbi *vexare* non in *homines* tantum, sed et in *res* cadere potest; et male Cortius relativum *quos* ad *civitatem* (pro *cives* positam) refert. Luxuriam vero et avaritiam *diversa inter se mala* dixit, quod altera profundit, rapit altera.

16. *Tempus admonuit*. Illud scil. tempus de quo memorare incipit; vel potius, *occasio*, et (ut vertit *Dotteville*) *la circonstance*. Quidam, nec bene, ut mihi quidem videtur, *tempus* hoc loco interpretantur præsentem reipublicæ statum.

17. *Supra repetere*. Altius repetere.

18. *Instituta majorum*. Gallice : *les principes de nos ancêtres*. In sequentibus, usque ad XIV, capitibus, adumbrat Sallustius morum romanorum in diversis ætatibus imaginem, eo præsertim consilio, ut legentes rectius judicent de Catilinæ temporibus, ea cum præteritis comparando; deinde ut cognitis eorum temporum pessimis moribus facilius intelligant et tam scelestum hominem, et tot sceleris socios, in civitate exsistere potuisse.

19. *Quo modo rempub. habuerint*. Series est : res hortatur disserere instituta majorum, [scilicet] quomodo illi habuerint, id est administraverint rempublicam..... Sic Tacitus Ann. IV : « congruens crediderim recensere ceteras reipublicæ partes, *quibus modis* ad eam diem habitæ sint. » Item in nostro sermone, *Racine*, *Andromaque*, act. I, sc. 2 :

Vous même de vos soins craignez *la récompense*,
Et que, dans votre sein ce serpent élevé,
Ne vous punisse un jour de l'avoir conservé.

Rarum vero est *disserere* cum accusativo. Occurrit quidem apud Cic., sed hoc duntaxat modo : *multa disserere; quod disserui;* et similia. Et hic forsan non dixisset Sallustius *instituta disserere*, nisi intercederet *quomodo* et quæ sequuntur. Nam dum illa leguntur, oblivio subit *disserere instituta* minus grammat. dici.

20. *Ex pulcherruma*. Hinc unus est, illinc duo adjectivi. Idcirco addidere quidam *et optuma*, ut singula singulis responderent. Sed non est in MSS.

21. *Flagitiosissuma*. Flagitiis vitiisque turpissimis plena.

VI. Urbem Romam, sicuti ego accepi [1], condidere atque habuere initio Trojani, qui, Ænea duce, profugi, sedibus incertis vagabantur; cumque his Aborigines [2], genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio [3], liberum atque solutum. Hi postquam in una mœnia convenere, dispari genere [4], dissimili lingua, alius alio more viventes [5], incredibile memoratu est quam facile coaluerint. Sed postquam res eorum [6] civibus, moribus [7], agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur [8], invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitumi bello tentare [9]; pauci ex amicis auxilio esse: nam ceteri metu percussi [10] a periculis aberant. At Romani domi militiæque intenti festinare, parare [11]; alius alium hortari; hostibus obviam ire; libertatem, patriam,

Cap. vi. 1. *Sicuti ego accepi.* His verbis satis indicat nihil certum esse de origine urbis Romæ. Conferatur Livius 1, Justinus xliii, Dionys. Hal. 1, qui omnes eam ad Trojanorum progeniem referunt.

2. *Aborigines.* Dicti esse videntur quasi *ab* ipso loco *originem* ducentes; seu, ut aliis placet, quasi *absque origine.* Dicuntur quoque latine *indigenæ* (inde-geniti), græce αὐτόχθονες (*ex ipsa terra* oriundi). Quanquam hoc nomen peculiare est primis Latii incolis, omnibus tamen iis convenit, qui ante certam hominum memoriam regionem quamlibet incoluere.

3. *Sine imperio.* Sine magistratibus qui eis imperarent.

4. *Dispari genere.* Quamvis essent dispares origine, et dissimili lingua loquerentur.

5. *Alius alio more viventes.* Quamvis suo quisque more, ab aliis diverso, viveret. *Viventes*, in plurali, quia de omnibus: *alius* in singulari, quia de unoquoque loquitur.

6. *Res eorum.* Ipsa civitas; (*ce nouvel état*).

7. *Moribus.* Sensus est: ubi mores, agrestes prius et feri, legibus, disciplina, humanitate exculti sunt. Eodem sensu legas apud Virgilium, Æn. 1, 268:

....Moresque viris et mœnia ponet.

8. *Sicuti.... habentur.* Id est, *se habent:* ut plerumque fit in rebus humanis.

9. *Bello tentare*: lacessere; vires eorum experiri; supple: cœperunt.

10. *Metu percussi.* Alii *perculsi*, quod sæpius quidem occurrit. Kunhardt retinet *percussi*, quod, inquit, *percutere* non minus quam *percellere* vehementiorem animi motum significet. Nos hunc et Bip. sequuti sumus. Legimus quoque apud Ciceronem ep. ad Div. ix, 25, simili, sed non eodem, ex omni parte, sensu: « repente *percussus* est atrocissimis litteris. »

11. *Parare.* Scilicet ea quæ defensioni aut bello usui essent. Bip.

parentesque armis tegere. Post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant [12]; magisque dandis [13] quam accipiundis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitimum [14], nomen imperii [15] regium habebant; delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipublicæ consultabant [16]. Hi vel ætate [17], vel curæ similitudine, Patres appellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandæ libertatis atque augendæ reipublicæ fuerat [18], in superbiam dominationemque [19] convertit [20], immutato more, annua imperia, binosque imperatores [21] sibi fecere. Eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere [22] animum humanum.

VII. Sed ea tempestate [1] cœpere se quisque extol-

12. *Auxilia portabant.* Minus usitata est hæc loquendi ratio. Plerumque *auxilium ferre* dicunt optimæ notæ scriptores. Kun.

13. *Magisque dandis.* Sic Thucyd. II, 40: οὐ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες, κτώμεθα τοὺς φίλους. Non accipiendis, sed præstandis beneficiis amicos nobis conciliamus. Kun.

14. *Imperium legitimum.* Legibus circumscriptum, quod opponitur dominationi nullo legum freno coercitæ.

15. *Nomen imperii.* Qui imperabant, reges appellabantur.

16. *Consultabant.* Consulere solebant. Nam sæpe consuetudinem indicant verba frequentandi.

17. *Vel ætate*, etc. Vel quia senes erant, vel quia patrum instar civium salutem curabant. Kun.

18. *Conservandæ libertatis...fuerat.* Supple *ratio, causa*, vel aliud quidlibet. Gall. *un moyen.* Hæc ellipsis non semel occurrit apud Livium Tacitumque.

19. *Dominationem.* Adjuncta est huic vocabulo odiosa tyrannidis injustæ notio. Derivatur enim ex voce *dominus*, qua proprie significatur, *qui servis imperat.*

20. *Convertit.* Pro, *se convertit*, vel *conversum est.*

21. *Imperatores.* Qui sc. *consules* vocati sunt. Legitimam illam, qua potestas consularis definita est, formulam citavit Tullius, de Legibus, III, 4: « Regio imperio duo sunto, iique præeundo, judicando, consulendo, prætores, judices, consules appellantor; militiæ summum jus habento; nemini parento; ollis salus populi suprema lex esto. » Kun. Hinc intelligere est omnium, qui deinde creati sunt, magistratuum potestatem initio habuisse consules.

22. *Insolescere.* Se insolentius efferre.

Cap. VII. 1. *Sed ea tempestate.* Ea vis est hoc loco particulæ *sed*, non ut superiori propositioni adversetur, sed ut transitionem a regio

lere[2], magisque ingenium in promtu habere[3]. Nam regibus[4] boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta[5] libertate, quantum brevi creverit; tanta cupido gloriæ incesserat[6]. Jam primum juventus simul laboris ac belli patiens erat, in castris usu[7] militiam discebat; magisque in decoris armis et militaribus equis[8], quam in scortis atque conviviis, lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labos[9] insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus : virtus omnia domuerat. Sed gloriæ maxumum certamen inter ipsos erat; sic quisque[10] hostem ferire, murum adscen-

dominatu ad dissimilem prorsus reipublicæ statum expressius notet ac significet. — *Ea tempestate*, eo tempore.

2. *Se ..... extollere.* Ad majora se erigere.

3. *Ingenium in promtu habere.* Virtutes animi proferre. Bip.

4. *Nam regibus*, etc. Sensus est : sub regibus, non idem ad grandia et excelsa animorum impetus esse poterat, quia reges timent *ne privati hominis nomen supra principis attollatur*, (ut ait Tacit., Agr. xxxix); ideoque illis *boni suspectiores sunt*, etc. Porro æstimabant Romani universos reges ex Tarquinio Superbo, regiumque imperium ex Asiaticarum gentium servitute. Nesciebat tunc temporis, vel oblitum erat humanum genus, nusquam ampliorem egregiis virtutibus veræque libertati campum patere, quam sub regis imperio legibus moderato. Scilicet,

Fallitur egregio quisquis sub principe credit
Servitium : nunquam libertas gratior exstat,
Quam sub rege pio.
Claud. Stilic. iii, 114.

5. *Adepta.* Passiva hoc loco est hujus participii significatio, quam sæpe noster deponentibus subjicit. Item Jugurth. CI. : « Dum prope jam *adeptam* victoriam retinere cupit. » Sic Horat., Od. i, 1,

..... Bellaque matribus
Detestata..... Kun.

6. *Incesserat.* Animos invaserat.

7. *Usu.* Vulg. *per laborem, usu;* ubi certe *per laborem* glossema est. Cortius, *per usum.* Utique sensus constat.

8. *Militaribus equis.* Hosce equos ad usum militarem comparatos distinguit ab iis, quos infra, c. IX, *voluptatis causa* Catilinæ sociis emptos esse narrat. Kun.

9. *Labos.* Ita semper scripsisse Sallustium, nunquam *labor*, Servius ad Virg., Æn. i, 253, adnotavit. Id.

10. *Sic quisque.* Plerique codd. *sic se quisque.* Al. *sese quisque.* Al. nec *sic se*, nec *sese* habent. Colerus (apud Haverc.) proponit *sic pro se quisque.*

Utique sensus est : quisque properabat hostem ferire, murum adscendere; et conspici, dum illud faceret, cupiebat.

dere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat; eas divitias [11], eam bonam famam [12] magnamque nobilitatem putabant; laudis avidi, pecuniæ liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas [13] volebant. Memorare possem quibus in locis maxumas hostium copias populus romanus parva manu fuderit, quas urbes natura munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret.

VIII. Sed profecto [1] fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas, ex lubidine magis quam ex vero, celebrat [2] obscuratque [3]. Atheniensium res gestæ, sicuti ego æstumo, satis amplæ magnificæque fuere; verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur [4]. Sed quia provenere [5] ibi scriptorum magna ingenia [6], per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum qui ea fecere virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere [7] extollere præclara ingenia. At populo romano nunquam ea copia fuit [8], quia prudentissumus quis-

11. *Eas divitias, etc.* Talia facinora fecisse divitias putabant. Hoc illis pro divitiis erat.

12. *Eam bonam famam.* In eo (scil. in præclara faciendo) bonam famam nobilitatemque ponebant.

13. *Divitias honestas.* Mediocres, et quæ virum honestent.

Cap. VIII. 1. *Sed profecto.* Rerum gestarum famam atque gloriam a scriptorum cujusque gentis ingeniis, interdum magis, quam ab ipsa factorum magnitudine, pendere hoc loco docet Sallustius; eatenus igitur gloriam populorum ex parte etiam fortunæ tribuendam esse. Sic respondet iis qui possent quærere, cur tanta majorum virtus meritis laudibus non sit celebrata. Kun.

2. *Celebrat.* Nobiles facit. Sic Jug. LXXXV: « Hæc atque talia majores vestri faciundo, seque remque publicam celebravere. »

3. *Obscurat.* Oblivione obruit. — *Ex vero.* Ex ipsarum rerum natura.

4. *Quam fama feruntur.* Quam fama eas esse refert.

5. *Provenere.* Metaphora e frugibus sumpta: magnus *proventus*, magna seges ingeniorum exstitit.

6. *Scriptorum magna ingenia.* Elegantius quam *scriptores magni ingenii.* Sic Curtius, III, 5. « *robora virorum* » pro, *robusti viri.*

7. *Quantum verbis ea potuere, etc. Ea* scil. *facta.* Cortius, *eam* scil. *virtutem;* eodem prorsus sensu: virtus eorum tanta videtur, quantam verbis eam facere potuerunt præstantissima scriptorum ingenia.

8. *Nunquam ea copia fuit.* Nunquam id contigit Romanis, scil. ut tales gloriæ suæ præcones haberent. Gallice, *le peuple romain n'eut jamais cet avantage.* Copia enim hic est

2.

que[9] negotiosus maxume erat; ingenium nemo[10] sine corpore exercebat; optumus quisque facere quam dicere, sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare, malebat.

IX. Igitur[1] domi militiæque boni mores colebantur. Concordia maxuma, minuma avaritia erat; jus bonumque[2] apud eos non legibus magis quam natura valebat. Jurgia[3], discordias, simultates, cum hostibus exercebant; cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis deorum[4] magnifici, domi parci, in amicis[5] fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat[6], æquitate, seque remque publicam curabant[7]. Quarum re-

facultas, non *multitudo*, ut putat v. doct. Kunhardt.

9. *Quia prudentissamus quisque, etc.* Id est, quoniam ii qui prudentia et ingenio reliquis præstabant, negotiis publicis intenti, ideo res gestas scribere non poterant.

10. *Ingenium nemo, etc.* Nemo, ut apud Græcos, ingenium solum exercebat. Stipendia quoque faciebant; domi militiæque rempub. curabant.

Cap. IX. 1. *Igitur.* Hæc conjunctio animum legentis refert ad ea, quæ dicebantur in cap. VII, et a quibus, in toto cap. VIII, auctor digressus est.

2. *Jus bonumque.* Justum et honestum non legibus coacti, sed natura duce et sponte sua colebant. Hæc loquendi forma « *non* legibus *magis quam* natura » omnino Thucydidea est. Græce verteretur : οὐ νόμοις μᾶλλον (seu τοπλεῖον) ἢ φύσει. Similia protulere de moribus Germanorum Tacitus, XIX : « Plus ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges. » De moribus Scytharum Justinus II, 2 : « Justitia gentis ingeniis culta, non legibus; » et denique de Latinis, Virgil. Æneid. VII, 202 :

.....Neve ignorate Latinos,
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus æquam,
Sponte sua, veterisque dei se more tenentem.

Quin ipse Thucydides, II, 39, de virtute Atheniensium : εἰ... μὴ μετὰ νόμων τοπλεῖον ἢ τρόπων ἀνδρείας ἐθέλοιμεν κινδυνεύειν.... « Si.... non legibus magis quam generosis moribus pericula subire velimus. »

3. *Jurgia... cum hostibus exercebant.* Videl. non, ut nunc, cum civibus.

4. *In suppliciis deorum.* In cultu deorum. *Supplicia* (a *supplicando* dicta) et hic et sæpe alias pro victimis et sacrificiis et supplicationibus sumuntur.

5. *In amicis.* Havercamp *in amicos.* Hoc magis usitatum : illud magis Sallustianum videtur. Sic, c. LII : « Misericordes *in furibus* ærarii. »

6. *Ubi pax, etc.* Non simpliciter *in pace* dixit, sed *ubi pax evenerat*, ut intelligere sit Romanos non bellum refugere nec pacem quærere; sed eam, *ubi* forte *evenerat*, quasi fructum laboris et bellorum requiem accipere.

7. *Curabant.* Et sibi et reipublicæ consulebant.

rum ego maxuma documenta hæc habeo : quod in bello sæpius [8] vindicatum est in eos qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius, revocati, prælio excesserant [9], quam qui signa relinquere, aut, pulsi, loco cedere ausi erant; in pace vero, quod beneficiis magis quam metu imperium agitabant, et, accepta injuria, ignoscere quam persequi malebant.

X. Sed ubi labore atque justitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes feræ et populi ingentes vi subacti, Carthago, æmula imperii romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terræque patebant; sævire fortuna [1] ac miscere omnia cœpit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis [2], oneri miseriæque fuere [3]. Igitur primo pecuniæ, deinde imperii [4] cupido crevit : ea [5] quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artes bonas [6] subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere [7], omnia venalia habere, edo-

8. *Quod in bello sæpius, etc.* Hæc opponuntur iis quæ infra : *in pace vero quod, etc.* Male igitur Cortius delet *in bello*.

9. *Prælio excesserant.* Cortius *bello excess.* quod minus aptum videtur. — Sensus totius loci est : Romanos in bello *audacia*, in pace *æquitate* usos fuisse, duo argumenta sunt : 1° in bello plures milites pœnas dederunt, quia injussu ducis pugnaverant, aut tardius prælio excesserant a duce revocati, quam quia signa relinquere aut loco cedere, ab hoste pulsi, sustinuerant; 2° in pace, beneficiis magis quam metu subditos populos in officio retinebant; et, accepta injuria, ignoscere, quam pœnas repetere malebant.

Cap. X. 1. *Sævire fortuna.* Hic incipit secunda pars periodi. Cetera omnia conjunctioni *ubi* subserviunt.

2. *Optandæ aliis.* Quæ aliis quibusdam populis bona sunt.

3. *Oneri... fuere.* Eamdem sententiam fusius explicat Florus, III, 12 : « Syria prima nos victa corrupit, mox Asiatica Pergameni regis hæreditas. Illæ opes atque divitiæ afflixere sæculi mores, mersamque vitiis suis, quasi sentina, rempublicam pessumdedere. »

4. *Primo pecuniæ, deinde imperii, etc.* Sic etiam, loco citato, Florus : « illa ipsa principatus et dominandi cupido unde, nisi ex nimiis opibus, venit ? »

5. *Ea.* Hæ duæ cupidines.

6. *Artes bonas.* Virtutes. Multum patet apud Latinos vis vocabuli *ars*, præsertim in plurali, ita ut nunc ad manus ingeniique opera; nunc ad animum moresque pertineat.

7. *Neglegere.* Antiquum, pro *ne-*

cuit. Ambitio multos mortales falsos fieri[8] subegit; aliud clausum[9] in pectore, aliud in lingua promtum[10] habere; amicitias[11] inimicitiasque non ex re, sed ex commodo, æstumare; magisque vultum quam ingenium bonum habere. Hæc primo[12] paullatim crescere, interdum vindicari: post, ubi contagio, quasi pestilentia, invasit[13], civitas immutata[14]; imperium[15] ex justissumo atque optumo crudele intolerandumque factum.

XI. Sed primo magis ambitio quam avaritia animos hominum exercebat; quod tamen vitium propius virtutem[1] erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus et ignavus[2] æque sibi exoptant; sed ille vera via nititur[3]; huic

gligere. Hic et sequens infinitivus tam verbo *edocuit* reguntur, quam accusativi *superbiam* et *crudelitatem*.

8. *Falsos fieri*. Fallaces et fraudulentos. — *Subegit*. Impulit.

9. *Aliud clausum, etc.* Respexisse videtur ad hæc Hom., Il. IX, 313:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὃς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει·

« invisus enim ille mihi, velut inferorum porta, qui aliud quidem claudit in pectore, aliud vero loquitur. »

10. *Promtum*. Idem quod *promptum*, ex verbo *promere*, i. e. *proferre*. Semel monuisse satis sit, in vocabulis *promptum*, *emptum*, aliisque talibus, litteram *p* non necessariam, sed euphoniæ causa adscitam esse, ideoque hic negligi.

11. *Amicitias, etc.* In amicitiis inimicitiisque non rem ipsam (scil. amorem et odium), sed utilitatem considerare.

12. *Hæc primo*, etc. Lenta primo fuere horum vitiorum incrementa, atque etiam nonnunquam pœnis coercebantur.

13. *Ubi contagio... invasit*. Ubi contagio vitiorum, pestilentiæ similis, latius pervasit. Cortius: *ubi, contagio quasi, pestilentia invasit; contagio* in sexto casu, ut apud Flor. I, 15: « Sabini, *quodam contagio* belli, se latinis adjunxerant.

14. *Civitas immutata*. Reipublicæ administrandæ ratio alia fuit.

15. *Imperium*. Scil. in gentes subactas. Duplicem igitur notat Romanorum mutationem, tum inter ipsos, tum erga ceteros.

Cap. XI. 1. *Propius virtutem*. Alii, *propius virtuti*. Utrumque bene. Sensus est *ambitionem*, licet vitium sit, minus a virtute remotam esse, quam *avaritiam*. Quippe est etiam in bonis studium et cupiditas honorum.

2. *Bonus et ignavus*; alii, *bonus, ignavus*, omissa copula. *Bonus* hic est, *l'homme vertueux*, quum Sallustius probare velit ambitionem propius *virtuti* esse; *ignavus* vero, homo nullius virtutis, *l'homme sans courage, sans énergie, sans mérite*.

3. *Nititur*. Pervenire studet. — *Vera via*. Id est, ea quæ decet virum bonum, rectissimeque ducit ad finem optatum. Kun.

quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia[4] pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit : ea, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat[5]; semper infinita[6], insatiabilis est; neque copia neque inopia minuitur[7]. Sed postquam L. Sulla, armis recepta[8] republica, ex bonis initiis[9] malos eventus habuit, rapere[10] omnes, trahere; domum alius[11], alius agros cupere; neque modum neque modestiam[12]

4. *Avaritia.* Hæc est altera pars quasi picturæ. Exhibuit *ambitionem* honorum cupidam : nunc *avaritiam* soli pecuniæ studentem exhibet.

5. *Corpus animumque virilem effeminat.* Quia scilicet toti in quærenda pecunia, non corpus laboribus, non animum bonis artibus exercent, ideoque omnis utriusque vigor elanguescit. Sed non omnem, hercle, Sallustianæ sententiæ vim assequatur, qui hac communi et levi interpretatione contentus sit. Hic est hyperbole potius quam metaphora. Intelligit Sallustius non modo corrumpi hominem avaritia, sed et in hoc vitio *malum* aliquod *venenum* et quasi magicam vim inesse, quæ quodam modo feminas e viris efficiat. Hoc satis ostendit harum vocum conjunctio, *virilem effeminat.* (Multa de hoc Sallustii loco disserit Gellius, III, I, quibus, salva tanti magistri auctoritate, hæc, quæ non dicit, addenda putavimus.)

6. *Infinita.* Nullos fines habens; non certos intra terminos contenta. Nam, inquit Juven., XIV, 139 :

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

7. *Neque copia neque inopia minuitur.* Locus hic multifariam vexatus est ab interpretibus, quorum conjecturas referre longum sit. Sensus mihi quidem satis patere videtur : *copia* non magis quam *inopia* minuit avaritiam, id est : non minus cupit qui multa, quam qui nihil, possidet; atque ut inopia accendit, sic copia non restinguit habendi sitim.

8. *Recepta.* Recuperata, et Mario, Cinnæ, Carbonique erepta.

9. *Ex bonis initiis.* Alii, *bonis initiis*, qui ablativus absolutus esse possit. Opponuntur *mali eventus*, id est, *exitus.* Bona enim Syllæ initia fuerant, qui pro senatu et republ. pugnare videretur; mali exitus, qui victor dominum pro liberatore egerit, civitatemque crudelissimis proscriptionibus vexaverit. Conferatur Florus, ep. Liv. l. LXXXIII : « Recuperata republica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum unquam fuit, inquinavit, etc. »

10. *Rapere.* Ad hunc et sequentes infinitivos, supple *cœperunt.* — *Trahere.* Bona, non sua, ad se quisque trahere.

11. *Domum alius*, etc. Alludit ad proscriptiones; sc. ubi quis domum aut agros concupiverat, curabat dominum inter proscriptos referri.

12. *Neque modum neque modestiam.* *Modus* est certus rerum finis; *modestus*, qui modum servat; *modestia*, actio ipsa modum servandi. In victoria *non modum* habebant, quia

victores habere; fœda crudeliaque in civibus[13] facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat[14], quo sibi fidum faceret, contra morem majorum, luxuriose nimisque liberaliter habuerat. Loca amœna, voluptaria, facile in otio feroces militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi romani amare, potare; signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari; ea privatim[15] ac publice rapere; delubra spoliare; sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe secundæ res sapientium animos fatigant[16]; ne illi, corruptis moribus, victoriæ temperarent[17].

XII. Postquam divitiæ[1] honori esse cœpere, et eas

nullus erat *finis* eorum avaritiæ et crudelitati; non *modestiam*, quia sine *modo* et pudore sæviebant.

13. *In civibus.* Vulgo *in cives.* Wasse protulit ex codice aliquo, *in civibus;* elegantius et a vulgari usu remotius, quam quod librarii manus intruserit. Sic Virg. Æn., II, 540:

At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo.

14. *In Asia ductaverat.* Cui in Asia præfuerat. Cortius, *in Asiam*, non recte. Nam hic dicere non vult Sallustius Syllam in Asiam *duxisse* exercitum, sed in Asia solitum fuisse *ducere* seu *regere* illum exercitum, quod indicat verbum frequentandi, *ductaverat.* Vid. Var. lect. p. 519.

15. *Ea privatim*, etc. Privatos civitatesque iis rebus spoliare. Sic Tullius, initio ultimæ in Verrem orationis: « Nemini video dubium esse, quin Verres sacra profanaque omnia, et *privatim et publice*, spoliarit. » Nonnulli tamen intelligunt *privatim*, ut privato cuique libebat; *publice*, reipublicæ nomine.

16. *Fatigant.* Onerant, labefactant, a sede sua dimovent. Sic Cato Major (Gell. VII, 3): « Secundæ res transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intellegendo. »

17. *Ne illi.... temperarent. Ne*, eodem sensu ac *nedum*, quod habent Bip. et alii quidam. Sed *ne* magis Sallustianum videtur. Sic Plautus, Amph. I, 1, 174: « Vix incedo inanis, *ne* ire posse cum onere existimes. » Sic et Livius, III, 52: « Novam inexpertamque eam potestatem (tribunitiam) eripuere patribus nostris; *ne nunc*, dulcedine semel capti, ferant desiderium. » Et re quidem vera, *nedum* (ut *ne nunc* admonet) non est aliud ac *ne tum*, ut *nondum — non tum; vix dum — vix tum; agedum — age tum;* littera T in D propter euphoniam mutata. Sensus vero est: sapientes etiam prospera fortuna moderate uti vix possunt; tantum abest ut corrupti Syllæ ducis indulgentia milites modum in victoria tenuerint.

Cap. XII. 1. *Postquam divitiæ*, etc. Animadverte mutationem temporis:

gloria, imperium, potentia sequebatur; hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentia duci cœpit[2]. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere : rapere, consumere; sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam[3], divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere. Operæ pretium est[4], quum domos atque villas cognoveris in urbium modum exædificatas, visere templa deorum quæ nostri majores, religiosissumi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos sua gloria, decorabant; neque victis quidquam præter injuriæ licentiam[5] eripiebant. At hi contra ignavissumi homines, per summum scelus, omnia ea sociis adimere, quæ fortissumi viri victores hostibus reliquerant; proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti.

XIII. Nam quid ea memorem quæ, nisi iis qui videre, nemini credibilia sunt, a privatis compluribus subversos montes, maria constructa[1] esse? Quibus mihi videntur

postquam cœpere et *postquam sequebatur*. Secundum hoc verbum in imperfecto est, quia hoc tempus iteratam sæpius vel continuatam actionem indicat. Ceterum minus nova videbitur illa mutatio, si gall. verteris *postquam* non, APRÈS QUE, sed, DEPUIS QUE.

2. *Innocentia pro malivolentia duci cœpit*. Id est, si quis integer et innocens esset, ceteri sibi male velle eum, et inimicum esse ducebant. Bonus enim inter malos ex alia factione esse videtur.

3. *Pudorem, pudicitiam*. Pudor et pudicitia differunt inter se, ut genus et species. *Pudor* est metus rerum turpium; *pudicitia*, continentia a libidine. Hæc magis est quod proprie vocamus, *pudeur;* ille vero, latius patente sensu, *honneur*.

4. *Operæ pretium est*, etc. Hic templa a majoribus condita cum privatis suorum æqualium domibus confert, ut recentiorem luxuriam antiq. simplicitatis exemplo arguat.

5. *Præter injuriæ licentiam*. Præter facultatem injuriæ populo romano inferendæ.

CAP. XIII. 1. *Maria constructa*. Al. *constrata;* quidam etiam *contracta*. Utrumque male. Quippe, cap. XX, rursus loquitur noster de *exstruendo mari*, id est, exstruendis in mari ædificiis. Præterea oppositio est inter *subversos montes et constructa maria*, quæ perit, si aliter legeris. Conferatur Horatius, Od. III, 1 :

Contracta pisces æquora sentiunt,
Jactis in altum molibus. Huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus.

ludibrio fuisse divitiæ; quippe, quas honeste habere[2] licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed lubido stupri, ganeæ[3], ceterique cultus[4] non minor incesserat; viri pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere[5]; vescendi caussa, terra marique omnia exquirere[6]; dormire prius quam somni cupido esset; non famem, aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Hæc juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat: eo profusius omnibus modis quæstui atque sumtui deditus erat[7].

XIV. In tanta tamque corrupta[1] civitate Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum atque facinorum[2] circum se, tamquam stipatorum[3], catervas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo, manu[4], ventre, pene, bona patria laceraverat, quique

2. *Quas... habere.* Turpiter abuti divitiis, quibus honeste frui poterant.

3. *Ganeæ.* Conviviorum et perpotationis.

4. *Cultus.* Hic in malam partem accipitur, pro nimis sollicita corporis curatione.

5. *In propatulo habere.* Propatulum (ex verbo *patere*) est quod omnibus *patet*, omnibusque promiscue expositum est.

6. *Terra marique... exquirere.* Hunc luxum multis in locis reprehendunt quum alii, tum Lucan., IV, 373:

. . . . . O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta paratu,
Et quæsitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, et lautæ gloria mensæ!

—*Antecapere.* Vid. Var. lect. p. 519.

7. *Quæstui atque sumtui deditus erat.* Meminerit lector quid dictum fuerit circa finem c. V: « Incitabant præterea (Catilinam) corrupti civitatis mores, quos pessuma ac diversa inter se mala, *luxuria* atque *avaritia* vexabant. » Avaritiæ respondet *quæstus*; luxuriæ, *sumtus*.

Cap. XIV. 1. *In tanta tamque corrupta*, etc. Delineata civitatis imagine, eodem redit oratio, ubi substiterat circa finem c. IV; Catilinæque juventutem teterrimis illis hominum fœdissimorum exemplis corruptam, antequam conjurasset, multis flagitiis inquinatam fuisse ostendit.

2. *Omnium flagitiorum atque facinorum.* Alii, *hominum flagitiosorum atque facinorosorum*; eodem prorsus sensu; nisi quod in priori lectione substantiva pro adjectivis elegantius ponuntur; ut apud Terentium, Eun. IV, 3, 3, *scelus*, pro *scelesto homine*.

3. *Stipatorum.* Stipatores sunt comites et satellites, quibus aliquis *stipatus*, id est, circumdatus incedit.

4. *Manu.* Alea. Nam Haverc. protulit e codd. *alea manu*, quorum prius interpretatio secundi videtur.

alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret [5]; præterea omnes undique parricidæ, sacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus atque lingua [6] perjurio aut sanguine civili alebat; postremo omnes quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat; ii Catilinæ proxumi [7] familiaresque erant. Quod si quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat [8], quotidiano usu atque illecebris facile par similisque [9] ceteris efficiebatur. Sed maxume adolescentium familiaritates adpetebat; eorum animi, molles et ætate fluxi [10], dolis haud difficulter capiebantur. Nam uti cujusque studium ex ætate flagrabat [11], aliis scorta præbere, aliis canes atque equos mercari; postremo neque sumtui neque modestiæ suæ [12] parcere, dum illos obnoxios [13] fidosque faceret. Scio fuisse nonnullos qui ita æstumarent, juventutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum [14] foret, hæc fama valebat.

5. *Quo... redimeret.* Ut flagitii aut facinoris pœnam effugeret, scilicet judices pecunia corrumpendo.

6. *Quos manus atque lingua. Manus* ad sanguinem civilem, *lingua* ad perjurium pertinet: qui ex perjuriis et civium cædibus quæstum faciebant. Cfr. ex secunda Ciceronis in Catil. oratione, tum alia, tum hæc: « Quis tota Italia veneficus, quis gladiator, quis latro, quis sicarius, quis parricida, quis testamentorum subjector, quis circumscriptor, quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quæ mulier infamis, quis corruptor juventutis, quis corruptus, quis perditus inveniri potest, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur? »

7. *Proxumi.* Intimi, arctiori necessitudine conjuncti.

8. *Inciderat.* Apposite dicit *inciderat*, quasi in insidias, et retia, aut, si malis, in gurgitem aliquem et charybdim.

9. *Par similisque.* Non redundant. *Par* enim gradum nequitiæ, *similis* genus ipsum notat.

10. *Ætate fluxi.* Qui propter ætatem facile labuntur, et quasi *fluunt* ad nequitiam.

11. *Uti cujusque studium ex ætate flagrabat.* Prout ardor ætatis alium alio rapiebat.

12. *Modestiæ suæ.* Gallice verti possit, *son honneur.*

13. *Obnoxios.* Gall., *dépendants.*

14. *Id compertum.* Sic Bip. et Haverc. Alii delent *id.* Si *id* retineas, *quod* (ut conjunctio) sonabit *quia;* si tollas, *quod* erit relativum et resolvetur in *quia illud.* Utroque

XV. Jam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili [1], cum sacerdote Vestæ [2], et alia hujusce modi contra jus fasque. Postremo captus amore Aureliæ Orestillæ [3], cujus præter formam nihil unquam bonus laudavit, quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum [4] adulta ætate [5], pro certo creditur, necato filio [6], vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quæ quidem res [7] mihi in primis videtur caussa fuisse facinoris [8] maturandi. Namque animus impurus, dis hominibusque infestus [9], neque vigiliis neque quietibus [10] sedari poterat: ita conscientia mentem excitam [11] vastabat [12]. Igitur colos

modo sensus est : hæc fama invaluerat magis propter cetera Catilinæ flagitia, quam quia id ipsum alicui compertum esset.

Cap. XV. 1. *Cum virgine nobili.* Quænam hæc fuerit non satis constat; sunt qui putent eam hic significari, quæ postea fuerit Catilinæ socrus; quamque, parcentes generis nobilitati, nominare noluerint historici. Kun.

2. *Cum sacerdote Vestæ.* Virgo hæc vestalis, teste Pædiano (ad Ciceronis Catilinarias), Fabia fuit, soror Terentiæ, uxoris Ciceronis, quam hoc crimine accusatam judices tamen absolverunt. — Alii legunt *sacerdote Vestæ*, deleto *cum*, ita ut *virgo nobilis* et *sacerdos Vestæ* una et eadem sit. Sed unum quoque esset scelus, quum de duobus loquatur Pædianus.

3. *Aureliæ Orestillæ.* Hæc fuit soror aut filia Cn. Aurelii Orestis, qui prætor fuerat A. U. C. 677; (ex notis *De Brosses*).

4. *Privignum.* Filium Catilinæ ex priori conjuge natum, qui *novercæ* Aureliæ *privignus* futurus erat.

5. *Adulta ætate.* Alii : *adultum ætate*, eodem sensu.

6. *Necato filio.* Idem narrat Val. Max. IX, 1, quem vide; et Cic. in Cat. I, 6 : « Quid vero nuper, quum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuam fecisses, nunc etiam *alio incredibili scelere* hoc scelus cumulasti, quod ego prætermitto et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse, aut non vindicata esse videatur. »

7. *Quæ quidem res.* Scilicet mors allata filio.

8. *Facinoris.* Conjurationis in patriam. Scelus enim ex scel. nascitur.

9. *Dis hominibusque infestus.* Id est : deos hominesq. infestos habens. Quippe « infestus, inquit Gell. IX, 12, ancipiti significatione est. Nam et is *infestus* appellatur, qui malum infert cuipiam; et contra, cui aliunde impendet malum, is quoque *infestus* dicitur. »

10. *Neque vigiliis neque quietibus.* Neque vigilans, neque per somnum.

11. *Excitam.* Al. *excitatam;* al. *exagitatam.* Bene *excitam.* Ovidius, Met. II, 669.

Nec fruitur somno vigilantib. *excita* curis.

Et vero quidquid de sua sede motum est, dicitur *excitum.*

12. *Vastabat.* Alii *vexabat;* alii

exsanguis, fœdi oculi [13]; citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie vultuque [14] vecordia [15] inerat.

XVI. Sed juventutem [1], quam, ut supra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testes signatoresque falsos [2] commodare [3]; fidem, fortunas, pericula vilia habere [4]; post, ubi eorum famam atque pudorem attriverat, majora alia imperabat. Si caussa peccandi in præsens minus suppetebat, nihilo minus insontes [5], sicuti sontes, circumvenire, jugulare [6]; scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus [7], gratuito [8] potius

etiam *versabat*. Non displicet *vastabat*. Scelerum enim conscientia, in perturbata mente, tanquam tempestas in agris, aut victor hostis in urbe capta, debacchatur. Quinetiam gallice verti possit, eadem prorsus similitudine : *tant le remords faisait de ravages dans cette ame bourrelée.*

13. *Fœdi oculi*. Gallic. *un regard affreux;* nam *fœdum* dicitur, quod deforme est, nec sine horrore aliquo aspiciendum.

14. *In facie vultuque*. *Facies* distinguitur a *vultu*, quod illa naturalis sit oris species, quæ eadem semper manet, *vultus* vero habitus quidam *faciei*, qui pro motu animi et voluntate mutatur. *Facies* etiam interdum dicitur forma et *factura* quædam totius corporis, ut ait Gell. XIII, 28.

15. *Vecordia*. Gallice, *le délire, la démence;* ex particula privativa *ve* et substant. *cor*, quæ sedes prudentiæ et consilii antiquis esse credebatur. « Vix est (inquit Rupert apud Haverc.) in Sallustio locus, ubi singulæ syllabæ, imo litteræ, tam funesta clament, quam hic ipse. Ecce enim in Catilina illas ipsas furiarum ardentes tædas, illas sollicitudinum faces, quibus omnes scenas poetæ veteres repleverunt. »

Cap. XVI. 1. *Sed juventutem*. Hæc conjungi debent cum fine capitis XIV, toto capite XV digressionis, ad solum Catilinam pertinentis, vicem obtinente.

2. *Signatores falsos*. Qui fictis seu testamentis, seu scriptis quibuslibet, falsa signa imponerent, falsaque subscriberent nomina.

3. *Commodare*. Si quis falso teste falsove signatore indigeret, unum aliquem ei commodabat de suo grege Catilina.

4. *Fidem....vilia habere*. Eorum fidem, fortunas, pericula ipse pro nihilo putare, scil. ut idem illi facere consuescerent. Non enim necesse est, nec verborum series patitur, hanc vocem, *habere*, ad ipsos adolescentes, non ad Catilinam referri, ut vult vir doct. Kun. Imo infinitivi *commodare* et *habere* eidem subaudito verbo subservire debent; nec hoc ullo modo sententiæ repugnat.

5. *Insontes*. Id est, qui Catilinæ inimici non erant, ideoque nullas ab eo pœnas meruerant.

6. *Jugulare*. Scil. manu et opera sociorum.

7. *Manus aut animus*. Suppl. eorum.

8. *Gratuito*. Sine causa atque emolumento.

malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod æs alienum[9] per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius suo usi[10], rapinarum et victoriæ veteris[11] memores, civile bellum exoptabant, opprimundæ reipublicæ consilium cepit. In Italia nullus exercitus; Cn. Pompeius in extremis terris[12] bellum gerebat; ipsi consulatum petundi magna spes[13]; senatus nihil sane intentus[14]; tutæ tranquillæque res omnes; sed ea prorsus opportuna Catilinæ erant[15].

XVII. Igitur circiter kalendas junias[1], L. Cæsare[2] et

9. *Æs alienum, etc.* Multi mortales, in universo imperio, ingenti ære alieno premebantur, i. e. maximas pecunias debebant; quæ res animos ad concupiscendam rerum mutationem proclives facit.

10. *Largius suo usi.* Quum sua profudissent.

11. *Victoriæ veteris.* Quam de Marianis reportaverant.

12. *In extremis terris.* In Asia, contra Tigranem et Mithridatem.

13. *Petundi magna spes.* Alii legunt *petenti;* non enim, inquiunt, erat *petendi spes* (petebat enimvero), sed adipiscendi. Verum non necessaria est emendatio, et hic intelligi debet *petundi*, quasi esset *petitionis.* Consulatum petebat, et magna erat spes *ejus petitionis.* (*Voyez Gramm. latine de Port-Royal, remarques sur les Gérondifs.*)

14. *Nihil intentus.* Quia scilicet nihil tale metuebat.

15. *Opportuna Catilinæ erant.* Alii omittunt *erant;* alii contra legunt *videbantur.* Utrumque Popma credit ex aliqua glossa in textum irrepsisse.

Jam vero, quod ad ipsam rerum seriem auctorisque propositum attinet, exhibuit huc usque Sallustius, primo hominem ita natum atque educatum, ut nullum scelus opprimendæ patriæ causa refugeret (c. V); deinde eos civitatis mores, ut nefario homini adjutores sociique non deessent (X-XIII); mox illum, quidquid in corrupta civitate corruptissimum erat, ad se vocantem, sibiq. flagitiorum scelerumq. omnium præsidia comparantem (XIV-XVI); postremo (in fine cap. XVI), ostendit multos homines novarum rerum cupidos, rempublicam præsidio destitutam, senatum nihil providentem, omnia denique Catilinæ opportuna. His ita enarratis, ut nemo jam miretur unum hominem, eumque privatum, tantam remp. in ultimum discrimen adduxisse, pergit ad ipsius facti narrationem.

Cap. XVII. 1. *Kalendas junias.* Primum diem Junii, A. U. C. 690, ante Christum, 64.

2. *Lucio Cæsare.* Cujus soror nupta erat Lentulo, infra nominato, quem ipse postea damnavit. Conferatur Cic. Oratio IV. in Cat. c. 6. Hic L. Cæsar, C. Julii Cæsaris propinquus, triumviri quoque M. Antonii avunculus erat.

C. Figulo[3] consulibus, primo singulos[4] appellare; hortari alios, alios tentare[5]; opes suas, imparatam rempublicam, magna præmia conjurationis docere. Ubi satis explorata sunt quæ voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo[6] et plurimum audaciæ inerat. Eo convenere[7] senatorii ordinis P. Lentulus Sura[8], P. Autronius[9], L. Cassius Longinus[10], C. Cethegus[11], P. et Servius Sullæ[12] Servii filii, L. Vargunteius[13], Q. Annius[14], M. Porcius

3. *C. Figulo.* C. Marcius Figulus, antequam in Marciorum gentem adoptatus esset, Minucius Thermus nominatus est. Conferatur Cic. de Legibus, II, 25; ad Att. I, 2. Kun.

4. *Singulos.* Seorsim scil. ac privatim. Opponitur enim sequentibus: « omnis in unum convocat. » Kun.

5. *Tentare.* Experiri utrum consiliorum facinorumque socii esse vellent, nec ne. Sic Cicero, III in Catil. 7 : « Omnia norat, omnium aditus tenebat; appellare, tentare, sollicitare poterat, audebat. » Kun.

6. *Necessitudo.* Per *necessitudinem* hic intellige inopiam, æs alienum, rei familiaris angustias.

7. *Eo convenere.* Hoc factum est XVII fere mensibus, antequam senatus Catil. hostem judicarit. Per tantum temporis impune conjuraverunt!

8. *P. Lentulus Sura.* Is e patricia gente Cornelia ortus, a censoribus ejectus senatu, postquam consulatum gessisset, postea tamen, ut in dignitatem restitueretur, præturam petivit adeptusque est. Prætor igitur erat, quum perniciem patriæ cum Catilina moliebatur. De ejus interitu vide cap. LV.

9. *P. Autronius.* Ciceronis in pueritia condiscipulus, in quæstura collega. Primo post conjurat. anno, U. C. 692, *lege Plautia, de vi publica,* accusatus, in exilium actus est. Item de Cassio, Læca, Vargunteio, Servio Sulla, et C. Cornelio. Vid. *le Prés. De Brosses, Suite de l'histoire de la conjuration,* XXXV. Item Cic. pro P. Sylla, II.

10. *L. Cassius Longinus.* Qui, Cicerone teste, procurationem incendendæ urbis sibi postulaverat; homo corpore pingui, adeo ut *Cassii adeps* in proverbium abierit. K.

11. *C. Cethegus.* Et is quoque erat e gente Cornelia. In bellis civilibus primo Marium, deinde Syllam, rursus Lepidum, nusquam stabili fide, sequutus fuerat. (Ex notis gall. *De Brosses, Hist. de la rép. rom.* l. I, 40.)

12. *P. et Servius Sullæ.* Publius Cornelius Sylla, et Servius Cornel. Sylla, filii Servii Corn. Syllæ, qui erat frater dictatoris, ut scribit Dio l. XXXVI. Ex his, Publius conjurationis particeps non fuisse videtur. Eo enim nomine accusatus, non multo post Ciceronis consulatum, ab ipso Cicerone defensus et liberatus fuit. Conferatur Orat. Cic. pro P. Syllæ.

13. *L. Vargunteius.* Qui, cum C. Cornelio equite, constituerat cum armatis hominibus salutatum ire Ciceronem, et eum in lecto suo confodere, ut narratur initio c. XXVIII. Pauca de Vargunteia gente apud historicos leguntur. Hic jam antea ambitus accusatus fuerat, et ab Hortensio defensus; (Cicero pro Sylla, II.)

14. *Q. Annius.* Eumdem fuisse

Læca[15], L. Bestia[16], Q. Curius[17]; præterea ex equestri ordine, M. Fulvius Nobilior[18], L. Statilius[19], P. Gabinius Capito[20], C. Cornelius[21]: ad hoc multi ex coloniis[22] et municipiis[23], domi nobiles[24]. Erant præterea complures paullo occultius consilii hujusce participes nobiles[25], quos magis domina-

putat *De Brosses*, qui Marco Antonio oratori caput abscidit, abscissumque Mario tulit.

15. *M. Porcius Læca;* alii *Lecca.* In cujus domum Catilina noctu convenit cum sociis, ut postea narrabitur. Is erat ex eadem gente Porcia deterrimus homo, qua optimi viri Catones, sed ex alia ejus gentis familia.

16. *L. Bestia.* E gente Calpurnia, ultimo Ciceroniani consulatus mense, tribunus plebis erat. Is capite non multatus est. Imo ædilis fuit anno 696, præturamque exinde petivit. Ambitus vero damnatus abiit in exilium, unde a Cæsare rerum potito revocatus consulatum petere, sed frustra, ausus est. Vid. *De Brosses* (*Suite de l'histoire, etc.* XXXIV), qui semper hunc hominem *Besteam*, non *Bestiam* vocat.

17. *Q. Curius.* E nobili, quamvis plebeia, M'. Curii Dentati, qui Pyrrhum vicit, gente; aleator vero tunc temporis notissimus. Illi, quum primus conjuratorum consilia detexisset, munera publice decreta sunt; quæ tamen non obtinuit, obstante Cæsare, quem inter socios Catilinæ nominaverat, teste Suetonio, in vita Cæsaris, XVII.

18. *M. Fulvius Nobilior.* Hic non idem est qui infra, cap. XXXIX, A. Fulvius nominatur, et quem, quum ad Catilinam proficiscereetur, pater ex itinere retractum necari jussit. Fulvius Nobilior exilio tantum, A. 699, damnatus est. Cicero, Ep. ad Att. IV, 16.

19. *L. Statilius.* Statilii jam secundi Punici belli temporibus noti erant. De hoc non aliud memoriæ proditum est, quam quod ad conjurationem pertinet (*De Brosses, Catilina*, V). Capitis pœnam dedit; vide cap. LV.

20. *P. Gabinius Capito.* Hunc *Cimbrum* cognominat Cicero in Catil. III, 3. Hic quoque supplicio necatus est. Ejus propinquus fuit A. Gabinius, quo consule, in exilium pulsus est Cicero.

21. *C. Cornelius.* Duæ gentes Corneliæ fuerunt, altera patricia, ex qua Scipiones, Syllæ, Lentuli, et alii complures: altera plebeia, ex qua quum alii, tum hic Cornelius.

22. *Ex coloniis.* Colonia erat pars aliqua civium romanorum vel sociorum latinorum publico consilio missa, seu in agros bello captos, ubi novam urbem conderent, seu in urbes imperio subditas, ubi sedem haberent, utique sub populi romani legibus remansuri.

23. *Et municipiis.* Municipia vero dicuntur urbes in jus civitatis romanæ receptæ, et suis tamen legibus utentes, nec magistratibus romanis subjectæ. Vid. Gellium, XVI, 13, et *Beaufort, Rép. rom.* t. V.

24. *Domi nobiles.* Notissimi in sua quisque civitate.

25. *Participes nobiles.* Alii omittunt *nobiles*, ne usurpatum modo vocabulum tam cito recurrat. Sed quod sequitur (*quos magis dominationis, etc.*) illud forsan non inutile esse ostendit.

tionis spes hortabatur quam inopia, aut alia necessitudo. Ceterum juventus pleraque, sed maxume nobilium, Catilinæ inceptis favebat. Quibus[26] in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat[27], incerta pro certis, bellum quam pacem malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent M. Licinium Crassum[28] non ignarum ejus consilii fuisse; quia Cn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cujusvis opes voluisse[29] contra illius potentiam crescere; simul confisum, si conjuratio valuisset, facile apud illos principem se fore.

XVIII. Sed antea[1] item conjuravere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina. De quo[2] quam verissume potero dicam. L. Tullo[3], M. Lepido[4] consulibus, P. Autronius et P. Sulla[5], designati consules, legibus ambitus[6] interrogati[7] pœnas dederant[8]. Post paullo Catilina, pecu-

26. *Quibus.* Supple *homines*, ut sit nominativus verbo *malebant.*

27. *Copia erat.* Facultas erat.

28. *M. Licinium Crassum.* Qui jam præturam et consulatum gesserat, et aliquanto post (A. 693) cum Pompeio et Cæsare societatem iniit, quæ *triumviratus* nomine dicta est, et denique adversus Parthos bellum gerens (A. 700) occisus est.

29. *Cujusvis opes voluisse, etc.* Id est: fuere qui crederent Crassum voluisse civem aliquem Pompeio potentiorem fieri, quia ipse sperabat, si res conjuratis bene cederet, se apud illos mox potentissimum fore.

Cap. XVIII. 1. *Sed antea.* Hic per digressionem prior conjuratio narratur.

2. *De quo.* Sc. *facinore.* Cortius præfert *de qua*, sc. *conjuratione.*

3. *L. Tullo.* L. Volcatius Tullus tribunus plebis fuit A. U. C. 679, consul anno 688.

4. *M. Lepido.* M. Æmilius Lepid. qui, A. 676, quæstor, pontem Sublicium saxeum fieri curaverat. Non idem est ac Lepidus ille, qui fuit cum Cæsare et Antonio triumvir; V. *De Brosses, hist. de Catil.* v.

5. *P. Autronius et P. Sulla.* De his vide quod paulo ante dictum est. P. Syllam prioris conjurationis socium non fuisse defendit Cicero, pro Sylla, IV, sed auctoritate potius Hortensii quam ipso facto; quippe se *illorum expertem temporum et sermonum* fuisse affirmat.

6. *Legibus ambitus.* Quibus cautum erat, ne quis injusta ratione, blanditiis, largitionibus, amicorum studiis, ad honores eveheretur.

7. *Interrogati.* In judicium citati. Reus enim apud prætorem *interrogabatur*, num objectum sibi facinus admisisset.

8. *Pœnas dederant.* Mulcta damnati fuerant et consulatu exclusi.

niarum repetundarum[9] reus, prohibitus erat consulatum petere, quod intra legitimos dies[10] profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Cn. Piso[11], adolescens nobilis, summæ audaciæ, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius, circiter nonas decembres[12] consilio communicato, parabant in capitolio kalendis januariis[13] L. Cottam et L. Torquatum[14] consules interficere; ipsi[15], fascibus correptis[16], Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias[17] mittere. Ea re cognita[18], rursus in nonas

9. *Repetundarum.* Gall. *concussion.* Judicium repetundarum est, quo repetuntur pecuniæ, quas magistratus in provincia per vim aut dolum extorsit. Catilina autem accusatus est a P. Clodio, quum ex Africa, ubi præturam gesserat, rediisset. Quare, quum reus esset, non poterat consulatum petere, antequam se hac accusatione purgavisset.

10. *Intra legitimos dies.* Legitimum i. e. lege statutum erat tempus, intra quod candidati petitionem suam *profiteri*, i. e. publice fateri debebant, nomen suum inscribi jubendo, per magistratum qui comitia habiturus erat. Hoc vero tempus unius fere mensis ante comitia fuisse videtur. Quippe comitia centuriata in *trinundinum*, quod viginti septem dierum spatium est, indici solebant. V. *Beaufort. Rép. Rom.* l. III, c. 4.

11. *Cn. Piso.* E clarissima gente Calpurnia, cujus præcipuæ familiæ fuerunt, *Pisonum frugi*, et *Pisonum Cæsoniorum.* Non ad hunc pertinet, quam habemus Cic. in Pison. oratio.

12. *Circiter nonas decembres.* Die quinto mensis decembris anni 688. Cortius et nonnulli alii omittunt tria hæc verba. Alii pro *decembres* legunt *decembris*, seu *i* sit pro *e*, seu *decembris* sit in genitivo singulari. Quippe et substantiva et adjectiva esse possunt mensium nomina.

13. *Kal. jan.* Quo die consules magistratum tunc temporis inire solebant.

14. *L. Cottam et L. Torquatum.* Qui consules suffecti fuerant in locum Autronii et Syllæ, ambitus damnatorum.

15. *Ipsi.* Catilina et Autronius.

16. *Fascibus correptis.* Consulari potestate, cujus fasces insignia erant, per vim sibi vindicata. Suetonius, in vita Cæsaris, IX, id consilii conjuratis fuisse dicit, ut dictator fieret Crassus, magister equitum Cæsar, consules vero Autronius et Sylla, non, ut hic legimus, Autronius et Catilina.

Leviter quoque a Sallustio dissentit Cicero (in Cat. I, 6), quum dicat Catilinam pridie kalend. jan. stetisse in comitio cum telo. Quamquam intelligi potest, conjuratos ad facinus patrandum jam telis instructos fuisse, pridie quam patraretur.

17. *Duas Hispanias.* Vide Indicem geographicum.

18. *Ea re cognita.* Conjurati rem non perfecere, quia Crassus, die ad

februarias[19] consilium cædis transtulerant. Jam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur. Quod ni[20] Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post[21] conditam urbem Romam pessumum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant, ea res[22] consilium diremit.

XIX. Postea Piso in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore[1] missus est; adnitente Crasso, quod eum infestum Cn. Pompeio[2] cognoverat. Neque tamen senatus provinciam invitus dederat; quippe fœdum hominem a republica procul esse volebat; simul, quia boni quam plures[3] præsidium in eo putabant[4]: et jam tum potentia Cn. Pompeii formidolosa erat. Sed is Piso, in provincia ab equitibus hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt qui ita dicant, imperia ejus in-

cædem destinato, non adfuit, ideoque Cæsar signum, quod ab eo dari convenerat, non dedit. Suetonius, in Cæsare, IX.

19. *Nonas februarias.* Anni 689.

20. *Quod ni*, etc. Quod si Catilina citius non dedisset signum ante curiam. — curia vero est omnis locus quo senatus convocabatur. Nam operæ pretium est scire non id moris fuisse, ut semper iisdem in locis haberetur senatus.

21. *Post.* Gallice, *depuis.* — *Urbem Romam.* Cort. *romanam*, inutili mutatione.

22. *Ea res.* Scilicet eos nondum frequentes convenisse. — *Diremit*, dissolvit, irritum fecit.

Cap. XIX. 1. *Quæstor pro prætore.* Id est, quum esset quæstor, tamen cum prætoria potestate *extra ordinem* missus est. Vid. Suet. in Cæs. IX. Diximus *extra ordinem;* non enim mos fuit, ut quis aut proprætor aut proconsul prius fieret, quam prætor aut consul fuisset. Quanquam id aliquando factum esse videre est, quum aliis exemplis, tum in M. Catone, qui (teste Velleio, II, 45) in Cyprum *quæstor cum jure prætorio* missus est.

2. *Cn. Pompeio.* Adnitebatur dabatque operam Crassus, ut Hispaniam provinciam, ideoque exercitum, haberet Piso; nempe ut ejus *opes contra Pompeii potentiam crescerent*, quemadmodum in fine capitis XVII dictum est.

3. *Boni quam plures.* Vulgo *complures*, eodem sensu. Atqui observat Cortius in pluribus MSS. esse *quam plures*, et hoc probat latine dici, quum aliis exemplis, tum hoc Plauti, Stich. I, 3, v. 44 : « Sed curiosi sunt *quam plures* mali. » Putat etiam ex hoc profectam esse vulgatam formam *complures*, quæ tamen aliis nata videri possit ex *cum* et *plures*.

4. *Præsidium in eo putabant.* Scil adversus formidolosam Pompeii po-

justa, superba, crudelia barbaros nequivisse pati; alii autem, equites illos, Cn. Pompeii veteres fidosque clientes, voluntate ejus Pisonem adgressos; numquam Hispanos præterea[5] tale facinus fecisse, sed imperia sæva multa antea perpessos. Nos eam rem in medio[6] relinquemus. De superiore conjuratione satis dictum.

XX. Catilina ubi eos, quos paullo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum singulis multa sæpe egerat[1], tamen in rem fore[2] credens universos appellare et cohortari, in abditam partem ædium secedit; atque ibi, omnibus arbitris[3] procul amotis, orationem hujuscemodi habuit:

« Ni virtus fidesque vestra satis spectata mihi forent, nequidquam opportuna res cecidisset[4]; spes magna, dominatio[5] in manibus frustra fuissent; neque ego per ignaviam[6], aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus[7] vos cognovi fortes fidosque mihi; eo animus ausus[8] maxumum atque pulcherrumum facinus incipere; simul quia vobis eadem, quæ mihi, bona malaque intellexi. Nam idem velle atque nolle[9],

tentiam. Ergo ut *fœdus homo* procul a republica sit, ei potestas et provincia mandatur! Et ei dant arma quem timent, quia alterum timent magis!

5. *Præterea.* Aliis temporibus.

6. *Rem in medio.* Id est, injudicatam *relinquemus.*

Cap. XX. 1. *Multa sæpe egerat.* Multos sermones de consiliis suis habuerat.

2. *In rem fore.* Utile conjurationi fore.

3. *Omnibus arbitris.* Omnibus testibus.

4. *Opportuna res cecidisset.* Opportuna occasio se obtulisset.

5. *Spes magna, dominatio,* etc. Frustra *spem magnam* haberemus; frustra *dominationem* in manibus téneremus. Alii *spes dominatioque.* Alii *spes magna dominationis.*

6. *Per ignaviam.* Per homines ignavos, et vani, id est, levis ac mutabilis ingenii. *Ignavia* virtuti, *vana ingenia* fidei opponuntur.

7. *Tempestatibus.* Tempestas hic, ut sæpe, usurpatur pro tempore, rerum articulo, et eo quod gallice dicimus, *circonstance, conjoncture.*

8. *Eo animus ausus.* Ob eam causam ausus sum. Hic *eo* non est aliud quam *ideo.* Eodem sensu sæpe occurrit apud Homerum, τῷ.

9. *Idem velle atque nolle.* Habes eamdem aliis verbis sententiam, ap. Cicer. pro Plancio, II: «Neque est ullum certius amicitiæ vinculum,

ea demum firma amicitia est. Sed, ego quæ mente agitavi, omnes jam antea diversi [10] audistis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, quum considero, quæ conditio vitæ futura sit, nisi nosmet ipsi vindicamus in libertatem. Nam postquam respublica in paucorum jus atque ditionem concessit [11], semper illis reges, tetrarchæ [12] vectigales [13] esse; populi, nationes stipendia [14] pendere; ceteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles [15], vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus, si respublica valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiæ apud illos sunt, aut ubi illi volunt [16]; repulsas [17] nobis reliquere, pericula, judicia [18], egestatem. Quæ quousque tandem patiemini, fortissumi viri? Nonne emori per virtutem [19] præstat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enimvero [20], pro deum atque hominum fidem [21]! victoria in manu nobis

quam consensus et societas consiliorum et voluntatum. » Apud Liv. XXXVI, 7 : « Communis utilitas, quæ societatis maximum vinculum est. » Habes quoque apud nostrum, Jug. XXXI : « Eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere..... inter bonos amicitia est, inter malos factio. »

10. *Diversi.* Singuli.

11. *Concessit.* Venit, delapsa est.

12. *Tetrarchæ.* Tetrarcha (a τέσσαρες et ἀρχή) proprie est, qui partem regni quartam detinet. Postea vero pro quovis gubernatore; unde *reges* et *tetrarchæ* sæpe conjunguntur. Rob. Stephanus, in Thes. l. lat.

13. *Vectigales.* Vectigal (a vehendo) proprie dicitur tributum, quod e portoriis, decumis aut pascuis publicis exigebatur; vide Cic. pro lege Manilia, VI.

14. *Stipendia* (stipem pendere). Tributa quæ certa ac definita pecunia solvuntur.

15. *Nobiles atque ignobiles.* Seu *nobiles*, seu *non nobiles*, æque pro ignobili vulgo habiti sumus.

16. *Ubi illi volunt.* Apud quos illi volunt.

17. *Repulsas.* Repulsam pati dicitur, qui candidatus magistratum non obtinet. Is enim quasi *repellitur* atque excluditur.

18. *Judicia.* Accusationes, injustas videlicet.

19. *Emori per virtutem.* Mori aliquid fortiter audendo.

20. *Verum enimvero.* Oppositionem indicat, quasi esset: sed quid ego dico *emori?* Non moriemur profecto, sed vincemus.

21. *Pro deum ..... fidem. Pro* aut *proh*, interjectio. *Deum*, deorum. *Fidem*, supple *testor*.

est. Viget ætas, animus valet; contra illis, annis atque divitiis[22], omnia consenuerunt. Tantummodo incepto opus est; cetera res expediet[23]. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium, tolerare potest, illis divitias superare[24], quas profundant in exstruendo mari[25] et montibus coæquandis; nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas, aut amplius, domos continuare[26]; nobis larem familiarem nusquam ullum esse? Quum tabulas, signa, toreumata[27] emunt, nova diruunt[28], alia ædificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant; tamen summa lubidine divitias vincere nequeunt[29]. At nobis domi inopia, foris æs alienum; mala res[30], spes multo asperior; denique, quid reliqui habemus, præter miseram animam[31]? Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam sæpe optastis, libertas: præterea divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt! fortuna omnia ea victoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magnifica magis, quam oratio mea, vos hortentur. Vel imperatore, vel milite me utimini. Neque animus, neque corpus a vobis

22. *Annis atque divitiis.* Quum ætate senes, tum luxuria, quæ divitias sequitur, fracti sunt.

23. *Cetera res expediet.* Ipsa res cetera expedita et facilia reddet.

24. *Superare.* Superfluere.

25. *Exstruendo mari.* Ædificiis in mari exstruendis; vid. c. XIII.

26. *Continuare.* Conjunctas et continuas habere. Continua enim sunt, quæ nullo separantur intervallo. Livius, XXXIV, 3: « Ingens cupido agros continuandi. »

27. *Toreumata.* Toreuma (a τορεύω) dicitur opus cælatum, cujus modi sunt pocula et alia id genus. Cicero in Verr. de Signis, XVIII: « Verri dicitur habere eum (Diodorum) perbona toreumata, in his pocula duo quædam, etc. »

28. *Nova diruunt.* Ædes recens exstructas diruunt.

29. *Pecuniam trahunt, vexant..... vincere nequeunt.* Sensus est: divitias suas omni modo disperdunt et profundunt, nec tamen exhaurire possunt. Sed miram attende verborum gravitatem. Quasi hostes et prædones propriarum fortunarum sint, eas diripiunt et lacerant, nec tamen efficere possunt, ut pecunia insanis sumptibus desit. Divitiis suis quasi bellum indicunt, et eas vincere nequeunt.

30. *Mala res*, etc. Præsens conditio mala, exspectatio futuri multo pejor.

31. *Animam.* Vitam, vel potius *spiritum* illum, quo hæc vita mortalis continetur.

aberit. Hæc ipsa, ut spero, vobiscum consul[32] agam; nisi forte me animus fallit[33], et vos servire magis, quam imperare[34], parati estis. »

XXI. Postquam accepere[1] ea homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla; tametsi illis quieta movere[2], magna merces videbatur; tamen postulare plerique, uti proponeret, quæ conditio belli foret, quæ præmia armis peterent, quid ubique opis[3] aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas[4], proscriptionem locupletium[5], magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quæ bellum atque lubido victorum fert; præterea esse[6] in Hispania citeriore Pisonem[7], in Mauretania[8] cum exercitu P. Sittium Nucerinum[9], consilii

32. *Vobiscum consul.* Hæc ipsa vobiscum mox agam, non privatus, ut nunc sum, sed consul, ut me futurum spero. Jam enim dictum est Catilinam tunc temporis consulatum petere. Mox videbimus frustra petiisse. Vulg. *vobiscum una consul.*

33. *Nisi forte me animus fallit.* Cortius et Haverc. delent *me;* quo tamen sublato, perit oppositionis gratia: ME *fallit;* VOS *parati estis.*

34. *Servire magis, quam imperare.* Cortius hellenismum consectans delet *magis.* Quod monemus, ne hæreat lector, si forte in libro aliquo hanc lectionem offenderit.

CAP. XXI. 1. *Accepere.* Audivere.

2. *Quieta movere.* Quietum et tranquillum civitatis statum turbare, hoc illis pro satis ampla mercede erat.

3. *Quid ubique opis.* Quam opem, et ubi haberent. Sic XXIII: *quæ quoque modo.*

4. *Tabulas novas.* Sic Latini vocant quod Græci χρεῶν ἀποκοπάς, nos vero, *l'abolition des dettes.* Tabulæ enim sunt codices accepti et expensi. Quum vero debita, vel tota vel ex parte, abolentur debitoribusque condonantur, tum novas de integro *rationes* constitui, novasque confici tabulas necesse est. Sumuntur ergo *tabulæ novæ*, pro re ipsa propter quam fiunt.

5. *Proscriptionem locupletium.* Ex quorum bonis sui divites fierent. Proscriptio autem dicitur ex eo, quod *proscribebantur* (*on affichait*) nomina eorum, qui cædi aut exilio destinabantur.

6. *Præterea esse.* Supp. *dicebat.*

7. *Pisonem.* De quo paulo ante mentio fuit.

8. *In Mauretania.* Africæ parte, ad maris mediterranei atque Atlantici oram sita, orientem versus Numidiæ vicina. KUN.

9. *P. Sittium Nucerinum.* P. Sittius, eques romanus, Nuceriæ (vel in Campania, vel in Umbria, vel denique, nam tres fuere hujus nominis urbes, in Gallia Cispadana) natus, qui, in judicium vocatus, paulo ante patefactam conjuratio-

sui participes; petere consulatum C. Antonium [10], quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem, et omnibus necessitudinibus circumventum [11]; cum eo se consulem [12] initium agendi facturum. Ad hoc [13] maledictis increpat omnes bonos; suorum unumquemque nominans laudare; admonebat [14] alium egestatis, alium cupiditatis suæ, complures periculi aut ignominiæ, multos victoriæ [15] Sullanæ, quibus ea prædæ fuerat. Postquam omnium animos alacres videt, cohortatus, ut petitionem suam curæ haberent [16], conventum dimisit.

XXII. Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, quum ad jusjurandum populares sceleris [1] sui adigeret, humani corporis [2] sanguinem, vino permix-

nem, cum turba suorum in Africam profugerat, ibique Mauritaniæ regi adversus finitimos tetrarchas auxilium tulerat. Applan. de Bello civili, IV, 55. KUN.

10. *C. Antonium.* C. Antonius Hybrida, M. Antonii oratoris filius, M. Antonii triumviri patruus, vir moribus parum honestis, qui tamen, conjuratione detecta, Tullio non defuit, exercitumque etiam contra Catilinam duxit. Consul enim fuit, non vero Catilinæ, sed Ciceronis collega.

11. *Necessitudinibus.* Quem necessitas omnibus vinculis circumdabat, conjuratioque alligabat. Necessitudines autem illæ erant inopia rei familiaris, æs alienum, mali mores. Quod attinet ad vocem ipsam *necessitudinibus*, duo cognata sunt vocabula *necessitas* et *necessitudo*, utrumque ex verbo *nectere*. Ex his *necessitas* sæpius est, quod gallice vocamus, NÉCESSITÉ; *necessitudo* autem, LIAISON, sive amicitiæ, sive affinitatis, sive sanguinis. Sed alterum pro altero usurpatur. Cic. pro Syl. 1: « Si nostram *necessitatem* familiaritatemque violasset. » Noster infr. XXXIII: « neve eam nobis *necessitudinem* imponatis. » In eadem sententia est Gellius, XIII, 3. Originem vero horum verborum, qua cognita utriusque significationis facillime ratio redditur, nemo, quem sciam, adhuc protulit. Nam in ea re prorsus cæcutiunt et Festus, et Vossius, et noster etiam *Court de Gebelin*.

12. *Cum eo se consulem.* Alii, *cum eo se consule.* Nullo sensus discrimine. Agere incipient, quum ambo una consules erunt.

13. *Ad hoc.* Alii *ad hæc*; id est *præterea*.

14. *Admonebat.* In memoriam revocabat; alii *admonere*.

15. *Multos victoriæ, etc.* Multos, quibus victoria Syllana prædæ fuerat, ejus victoriæ commonefaciebat.

16. *Curæ haberent.* Catilinam in petitione consulatus adjuvarent.

CAP. XXII. 1. *Populares sceleris.* Socios et conscios sceleratæ conjurationis.

2. *Humani corporis.* Dio Cassius,

tum, in pateris circumtulisse; inde, quum post exsecrationem [3] omnes degustavissent, sicuti in sollemnibus sacris fieri consuevit [4], aperuisse consilium suum; atque eo [5], dictitare [6], fecisse, quo inter se fidi magis forent, alius alii tanti facinoris [7] conscii. Nonnulli ficta et hæc, et multa præterea, existumabant ab his, qui Ciceronis invidiam [8], quæ postea orta est, leniri credebant atrocitate sceleris eorum, qui pœnas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta est [9].

XXIII. Sed in ea conventione [1] fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus; quem censores [2] senatu probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas [3], quam audacia inerat; neque

XXXVII, memorat puerum a conjuratis mactatum, superque ejus viscera jusjurandum conceptum esse. Kum.

Idem fere narrat Plut. in Cicerone, Florusque IV, 1 : « additum est pignus conjurationis sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere; summum nefas, nisi amplius esset propter quod biberunt. »

3. *Post exsecrationem*. Postquam se exsecrationibus obstrinxissent.

4. *Consuevit*. Consuetudo est. Varro, de lingua latina, IV, 26 : « Hisce (pateris) etiam nunc in publico convivio potio circumfertur, et in sacrificando diis, hoc poculo magistratus dat deo vinum. »

5. *Eo.... fecisse, quo*. Ideo.... fecisse ut.

6. *Dictitare*. Dictitabant, scilicet iidem qui priora dixere. Gallice, *il le fit, dit-on, pour....* Male Wasse *dictitare* ad Catilinam refert. Non enim est Catilina, qui ista dictitat.

7. *Tanti facinoris*. Quod nempe humanum sanguinem bibissent.

8. *Ciceronis invidiam*. Invidiam in Ciceronem conflatam, propter sumptum de principibus conjurationis supplicium.

9. *Nobis ea res.... parum comperta est*. Neque ipse Cicero hoc scelus conjuratis objicit, nisi forte hanc rem tangat, in Cat. I, 6 : « Quæ quidem (sica) quibus a te *initiata sacris ac devota* sit nescio, quod eam necesse putas consulis in corpore defigere. »

Cap. XXXIII. 1. *Conventione*. In eo concilio. Haverc. *conjuratione*. Sed prius defendit Cortius, et melius esse probat ex MSS. Præterea jam dictum est Curium unum e conjuratis esse. Vid. cap. XVII.

2. *Censores*. Gellius et Lentulus, A. U. 684, illum propter flagitia senatu *moverant*, seu *amoverant*, quod vulgo legitur et defendit Cortius. Sed *movere senatu*, multo usitatius est. Bip. sequuti sumus.

3. *Vanitas*. Levitas, inconsiderantia; idem fere vitium quod vocamus, *étourderie*. Docet Gell. XVIII, 4, *vanos* proprie dici « mendaces et infidos et levia inaniaque pro gravibus et veris.... componentes. »

reticere, quæ audierat, neque suamet ipse scelera occultare; prorsus neque dicere, neque facere[4] quidquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo. Cui quum minus gratus esset, quia inopia[5] minus largiri poterat, repente glorians maria montesque polliceri[6] cœpit; minari interdum ferro, nisi obnoxia foret[7]; postremo[8] ferocius agitare[9], quam solitus erat. At Fulvia, insolentiæ[10] Curii causa cognita, tale periculum reipublicæ haud occultum habuit; sed, sublato auctore[11], de Catilinæ conjuratione quæ quoque modo[12] audierat, compluribus narravit. Ea res inprimis studia hominum accendit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia æstuabat; et quasi pollui consulatum credebant, si eum, quamvis egregius, homo novus[13] adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia postfuere[14].

XXIV. Igitur comitiis habitis, consules declarantur M. Tullius et C. Antonius; quod factum primo populares

Sed *vani* quoque dicuntur, ut ex h. l. patet, homines inconsiderati, temere aut agentes aut loquentes, et quorum fidei et silentio nihil tuto credideris. Illic *vanitas* opponitur *veritati;* hic *gravitati et constantiæ*. Quum autem *vanitas* sæpe jactantiæ et gloriationi conjuncta sit, hinc traximus, paulum detorto sensu, vocabulum nostrum, *vanité*.

4. *Neque dicere, neque facere, etc.* Nec quid diceret, nec quid faceret, quidquam pensi habebat, id est, considerabat.

5. *Inopia.* Propter inopiam.

6. *Maria montesque polliceri.* Proverbium, quale est : aureos montes polliceri, gallice : *promettre des monts d'or*. Item græce dicitur χρυσίου πόντος, mare auri.

7. *Nisi obnoxia foret.* Nisi obsequium præstaret sibi. Kun.

8. *Postremo.* Uno verbo, ut breviter dicam.

9. *Agitare.* Agere, se gerere.

10. *Insolentiæ.* Insolitæ superbiæ.

11. *Sublato auctore.* Celato nomine ejus, qui rem ipsi detexerat; suppresso Curii nomine.

12. *Quæ quoque modo.* Quæ et quo modo. Sic XXI, *quid ubique opis.*

13. *Homo novus.* Cujus majorum nemo nec consulatum, nec alium magistratum curulem obtinuerat. Appianus de bello civili, II, 2 : καλοῦσι οὕτω τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους. Sic vocant homines per se, non per majores, cognitos. Vid. Velleium, II, 34, ubi hæc de Cicerone : « M. Cicero qui omnia incrementa sibi debuit, vir novitatis nobilissimæ, et ut vita clarus, ita ingenio maximus.... »

14. *Postfuere.* Posthabitæ fuere.

conjurationis concusserat[1]. Neque tamen Catilinæ furor minuebatur; sed in dies plura agitare[2]; arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam, sua aut amicorum fide sumtam mutuam[3], Fæsulas[4] ad Manlium[5] quemdam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi[6]. Ea tempestate plurimos cujusque generis homines adscivisse[7] dicitur; mulieres etiam aliquot, quæ primo ingentes sumtus stupro corporis toleraverant[8], post, ubi ætas tantummodo quæstui, neque luxuriæ modum fecerat, æs alienum grande conflaverant. Per eas se Catilina credebat posse servitia urbana[9] sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adjungere sibi, vel interficere.

XXV. Sed in his erat Sempronia[1], quæ multa sæpe virilis audaciæ facinora commiserat. Hæc mulier genere atque forma, præterea viro, liberis[2], satis fortunata; literis græcis atque latinis docta; psallere[3], saltare elegantius, quam necesse est probæ; multa alia, quæ instrumenta luxuriæ sunt. Sed ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit; pecuniæ an famæ minus parceret,

Cap. XXIV. 1. *Concusserat.* Participes conjurationis terruerat.

2. *Plura agitare.* Plura consilia volvere, et novas res usque moliri.

3. *Pecuniam mutuam* sumere; gall., *emprunter.* — *fide*; gall., *crédit.*

4. *Fæsulas.* Nunc *Fiesoli* in Etruria.

5. *Manlium.* Rectius scribitur *Mallium*, Plutarchi, Dionis Cassii, Appiani et Inscriptorum antiquor. auctoritate. Hic olim in exercitu Syllano strenue pugnaverat, teste Plutarcho in vita Cic.; sed immodica luxuria perditis bonis, ad Catilinæ partes transierat. Kun.

Cortius *Manlium* esse in melioribus MSS. affirmat.

6. *Princeps fuit belli faciundi.* Qui primus bellum incepit.

7. *Adscivisse.* Alii addunt *sibi*, quod si absit, subaudiatur.

8. *Ingentes sumtus.... toleraverant.* Turpissimo quæstu sumptus, quamvis ingentes, olim sustinuerant.

9. *Servitia urbana.* Servos qui in urbe erant.

Cap. XXV. 1. *Sempronia.* Ex antiqua Semproniorum gente, ex qua etiam et duo Gracchi, et alii viri illustres.

2. *Viro, liberis*, etc. Hæc nupserat D. Junio Bruto, qui fuit consul A. 677, filiumque habebat D. Brutum, unum ex interfectoribus Cæsaris; (ex notis gallicis *De Brosses.*)

3. *Psallere.* Fidibus (aut fidibus simul et voce) canere. *Psallere, saltare*, et mox accusativus *multa alia*, pendent e participio *docta.*

haud facile decerneres[4], lubidine sic accensa[5], ut sæpius peteret viros, quam peteretur. Sed ea sæpe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat[6], cædis conscia fuerat, luxuria atque inopia præceps abierat[7]. Verum ingenium ejus haud absurdum[8]: posse versus facere, jocum movere[9], sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci; prorsus[10] multæ facetiæ multusque lepos inerat.

XXVI. His rebus comparatis[1], Catilina nihilo minus in proxumum annum[2] consulatum petebat; sperans, si designatus[3] foret, facile se ex voluntate Antonio[4] usurum. Neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias[5] parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus, aut astutiæ[6] deerant. Namque a principio consulatûs sui, multa pollicendo per Fulviam[7], effecerat, ut Q. Curius, de quo paullo ante memoravi, consilia Catilinæ sibi proderet. Ad hoc collegam suum Antonium pactione pro-

4. *Decerneres.* Judicares. Haverc. *discerneres.*

5. *Lubidine sic accensa.* Junge cum *parceret*, ut in recto casu sit *accensa*, et referatur ad Sempronium. Cortius præfert : *lubido sic accensa.*

6. *Creditum abjuraverat.* Creditam pecuniam cum jurejurando negaverat.

7. *Præceps abierat.* In summam miseriam quasi præceps deciderat.

8. *Haud absurdum.* Non inelegans.

9. *Jocum movere.* Ea loqui, quæ alios ad jocandum invitarent.

10. *Prorsus.* Eodem sensu, quo supra *postremo*, id est, uno verbo. Conferatur Poppææ Sabinæ indoles, apud Tacitum, Annal. XIII, 45.

Cap. XXVI. 1. *His rebus comparatis.* Quas scilicet in cap. XXIV dixit, arma, pecuniam, socios, in quibus quum aliæ feminæ, tum Sempronia, cujus mores obiter, superiori capite, delineavit.

2. *In proxumum annum.* U. C. 792, qui Ciceronis consulatum proxime sequuturus erat.

3. *Designatus.* Sic vocabatur consul in annum sequentem electus. Is nullum imperium habebat, utpote nondum consul; magnam vero auctoritatem, utpote mox consul.

4. *Antonio.* Qui cum Cicerone consul erat, homo, ut supra dictum est, Catilinæ familiaris.

5. *Insidias.* Conferatur Cicero, Orat. I in Cat., ubi : « Quoties, inquit, tu me designatum, quoties me consulem interficere voluisti, etc ? »

6. *Dolus, aut astutiæ.* Invidiosum aliquid hæc duo vocabula subolere videntur. Certe amicior Ciceroni scriptor *prudentiam*, *diligentiam*, *consilium*, vel aliud quid dicere potuisset.

7. *Multa pollicendo per Fulviam.* Sic illa jungenda sunt, non vero : *effecerat per Fulviam.* Quippe Fulvia

vinciæ[8] perpulerat, ne contra rempublicam sentiret. Circum se præsidia amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum[9] venit, et Catilinæ neque petitio, neque insidiæ, quas consuli in campo[10] fecerat, prospere cessere; constituit bellum facere, et extrema omnia experiri, quoniam quæ occulte tentaverat, aspera fœdaque evenerant[11].

XXVII. Igitur C. Manlium[1] Fæsulas atque in eam partem[2] Etruriæ, Septimium quemdam Camertem[3] in agrum Picenum[4], C. Julium[5] in Apuliam[6], dimisit; præterea alium alio, quem ubique opportunum[7] credebat. Interea Romæ

Ciceronis promissa ad Curium referebat.

8. *Pactione provinciæ.* In sortitione provinciarum obtigerat Antonio Gallia Cisalpina, Ciceroni vero Macedonia. Hic, facta permutatione, Macedoniam ultro collegæ reliquit, opulentissimam provinciam, ideoq. homini egenti et avaro peropportunam. Et illam quidem Antonius, quum, anno consulatus exacto, proconsul obtineret, fœdum in modum vexavit. Ipse Cicero (Ep. v, 2, ad Metellum, et Orat. in Pisonem, 11) provinciam Galliam in concione deposuit, sibique Q. Metellum Celerem, qui tum prætor erat, suffici curavit.

9. *Dies comitiorum.* In quibus eligi debebant in annum sequentem consules. Habita sunt hæc comitia die XXII mensis octobris, consulesque electi D. Junius Silanus, et L. Licinius Murena. Vid. notam 4, ad cap. XXIX.

10. *In campo.* Scil. Martio, ubi comitia centuriata haberi solebant.

11. *Aspera fœdaque evenerant.* Asperos fœdosque ipsi Catilinæ exitus habuerant.

Cap. XXVII. 1. *C. Manlium.* Manlius hic idem est qui, capite XXIV, princeps belli faciendi fuisse dicitur. Si quæras cur nunc in Etruriam mittatur, quem jam in Etruria fuisse viderimus, Plutarchus, in vita Ciceronis, rem expedit, narrando eum cum nonnullis Syllanorum militum Romam venisse, ut Catilinæ petitionem adjuvarent.

2. *In eam partem.* Scilicet in qua Fæsulæ sitæ sunt.

3. *Camertem.* Ex Camerino Umbriæ urbe. Non aliter notus est ille Septimius.

4. *Picenum.* Hodie *la marche d'Ancône.* Vid. Ind. geogr.

5. *C. Julium.* Verisimile est hunc non fuisse ex nobilissima Juliorum Cæsarum gente, ex qua si fuisset, eum inter præcipuos conjuratos nominasset Sallustius.

6. *Apuliam.* Italiæ regionem mari Adriatico conterminam, inter Dauniam et Calabriam. Kun.

7. *Quem ubique opportunum.* Prout quisque, in quoque loco, utilem operam navare poterat. « Video, inquit Cicero, I in Catil., cui Apulia sit attributa, qui habeat Etruriam, qui

multa simul moliri; consuli insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere[8]; ipse cum telo esse[9], item alios jubere[10]; hortari, uti semper intenti paratique essent; dies noctesque festinare[11], vigilare, neque insomniis, neque labore fatigari. Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte[12] conjurationis principes convocat per M. Porcium Læcam; ibique[13] multa de ignavia eorum questus, docet, se Manlium præmisisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat; item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent; seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset; eum suis consiliis multum officere.

XXVIII. Igitur perterritis ac dubitantibus[1] ceteris, C. Cornelius, eques romanus, operam suam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius senator[2], constituere, ea

agrum Picenum, qui Gallicum, qui sibi has urbanas insidias cædis atque incendiorum depoposcerit. »

8. *Obsidere.* Occupare.

9. *Cum telo esse.* Romæ inusitatum, ubi etiam militaribus viris arma in publico habere non licebat.

10. *Jubere.* Scil. ipsos quoque cum telo esse.

11. *Festinare.* Cato ap. Gellium, XVI, 14, verbi *festinare* vim indicat huic loco satis congruentem: « Aliud est properare, inquit, aliud festinare. Qui unum quid mature transigit, is properat. Qui multa simul incipit neque perficit, is festinat. »

12. *Intempesta nocte.* Intempesta nox dicitur, quando quidpiam agendi *non tempus* est, et omnia sopore quieta sunt. Sed quum hæc hora noctis in mentem venire non possit, quin tenebrarum quoque meminerimus, ideo exponitur interdum nox intempesta, *alta, densa, crassa, nimium obscura*, ut Servius, in Virgilio, interpretatur ad Georg. I, 247:

Aut intempesta silet nox.

et Æneid. III, 587:

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Sed hic valet prior sensus.

13. *M. Porcium Læcam; ibique*, etc. Significat opera M. Porcii, et in ejus domum convocatos fuisse. Hoc autem factum est ea nocte « quæ consequuta est posterum diem nonarum novembrium; » Cic. pro P. Sylla, XVIII. Gallice, *la nuit du 6 au 7 novembre.*

CAP. XXVIII. 1. *Dubitantibus.* Scil. interficere.

2. *Cornelius eques .... Vargunteius senator.* Cicero duos equites fuisse dicit, in Cat. I, 4; sed nihil obstat quin Vargunteius, quamvis senator, ex equestri ordine oriundus esset.

nocte [3] paulo post, cum armatis hominibus, sicuti salutatum [4], introire ad Ciceronem, ac de improviso domi suæ imparatum confodere. Curius ubi intellegit, quantum periculi consuli impendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enunciat. Ita illi, janua prohibiti, tantum facinus frustra susceperant.

Interea Manlius [5] in Etruria plebem sollicitare, egestate simul, ac dolore injuriæ [6], novarum rerum [7] cupidam, quod, Sullæ dominatione, agros bonaque omnia amiserat; præterea latrones cujusque generis, quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Sullanis colonis [8], quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

XXIX. Ea quum Ciceroni nunciarentur; ancipiti malo [1] permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio [2] longius tueri poterat, neque exercitus Manlii

Plutarchus duos percussores Marcium et Cethegum vocat. Sed fides habenda est Ciceroni, pro Sylla, XVIII, qui Cornelio filio hoc patris scelus objicit.

3. *Ea nocte.* Cicero : « Et sese illa ipsa nocte, paulo ante lucem, me meo in lectulo interfecturos pollicerentur. »

4. *Salutatum.* Mos erat proceres et patronos, suæ quemque domi, primo mane salutatum ire; nec inusitatum ante fores opperiri, nondum exorta luce, donec potens vigilaret amicus. Juvenalis, Sat. V, 19, salutatores irridet, quibus ob hoc antelucanum officium misere somnus rumpitur. Sed hi ad cædem vigilabant.

5. *Interea Manlius.* Hic Sallustius res paulo altius repetit, et ea narrat quæ tum in Etruria, tum Romæ gesta fuerant, priusquam tentarent Ciceronem in lecto suo interficere.

6. *Dolore injuriæ.* Scil. quam a Sylla acceperant Etrusci, quum hic eorum agros suis militibus diviserat.

7. *Novarum rerum.* Gallice, *de révolutions.*

8. *Colonis.* Quos Sylla in Etruscorum agros induxerat. Conferatur Cicero in Cat. II, 9 : « hi sunt homines ex iis coloniis quas Sulla constituit, » et totus iste locus, qui mire ad hunc Sallustii explicandum facit.

CAP. XXIX. 1. *Ancipiti malo.* Partim ab iis qui in urbe erant, partim ab exercitu Manliano.

2. *Privato.* Id est, suo unius *consilio.* Nam usque ad hoc tempus per se obstiterat Catilinæ, et illius nefarios conatus amicorum præsidio compresserat, nullo publico auxilio adjutus, ut ipse dicit, in Cat. I, 5.

quantus, aut quo consilio foret[3], satis compertum habebat, rem ad senatum refert[4], jam antea volgi[5] rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, DARENT OPERAM CONSULES, NE QUID RESPUBLICA DETRIMENTI CAPERET. Ea potestas[6] per senatum, more romano, magistratui maxuma permittitur : exercitum parare, bellum gerere; coercere omnibus modis socios atque cives, domi militiæque imperium atque judicium summum habere; aliter, sine populi jussu, nulli earum rerum consuli jus est.

XXX. Post paucos dies L. Sænius senator in senatu literas recitavit, quas Fæsulis adlatas sibi dicebat; in quibus scriptum erat, « C. Manlium arma cepisse, cum magna multitudine, ante diem VI kalendas novembris[1]. »

3. *Quantus aut quo consilio foret.* Quantus esset, aut quid consilii haberet.

4. *Rem ad senatum refert.* Testatur Cicero, pro Muræna, XXV, bis habitum esse de ea re senatum. Primo decretum est ne comitia eligendis consulibus postero die haberentur, ut de his rebus in senatu agi posset. Postridie, qui dies, ut legimus in Cat. I, 3, fuit duodecimus ante kalendas novembris (21 octobr.), omnia conjurationis consilia, frequenti senatu, Cicero patefecit, jussitq. Catilinam respondere. Eo die factum est decretum illud, DARENT OPERAM, etc., quo, in gravissimis reipublicæ periculis, dictatoria fere potestas consulibus permittebatur. Tunc demum habita sunt, postero scilicet die, octobr. 22, comitia illa (v. cap. XXVI) in quibus Catilina, etiam tum consulatum petere ausus, homines conjuratos cum gladiis in campum deduxit, Tullius vero lorica indutus, fortissimorumque virorum præsidio septus venit, ut ait ipse, pro Muræna, XXVI.

5. *Volgi.* Pro *vulgi.* Donatus ad Ter. Andr. I, 2, docet nulla littera vocali geminata effici syllabam; legi ergò debere *Davos* non *Davus.* Nam utrumque U antiquitus inter vocales censebatur. Ex eadem causa proficiscitur, quod hic scripsere *volgus,* non *vulgus.* Sed legimus ap. Quintilianum I, 4, illius jam temporibus, V consonantis officio fungi, et scribi *vulgus, servus,* et alia similia. Antiqua utique scriptura in Sall. retinetur.

6. *Ea potestas.... maxuma permittitur.* Hic locus mire ab interpret. vexatus est. Sensus tamen patet : ea est maxima potestas, quæ apud Romanos magistratui per senatum permittatur. Ea nempe potestas est, *exercitum parare, bellum gerere, etc.*

CAP. XXX. 1. *Ante diem sextum kalendas nov.* Id est die XXVII octobris. Conferatur prima Cic. in Cat. 3 : « meministine etc.

Simul, id quod in tali re solet, alii portenta [2] atque prodigia nunciabant, alii conventus fieri, arma portari, Capuæ atque in Apulia servile bellum moveri. Igitur senati [4] decreto Q. Marcius Rex [5] Fæsulas, Q. Metellus Creticus [6] in Apuliam circumque loca [7] missi: (ii utrique ad urbem [8] imperatores [9] erant; impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum [10], quibus omnia honesta atque inhonesta vendere [11] mos erat:) sed præ-

Hæc autem dicendi formula, *ante diem sextum kalendas* vel *kalendarum*, idem est ac *sexto die ante kalendas*. Notandum est ipsas kalendas in numero comprehendi, sic:

VI kal. nov. — octob. 27
V..... — 28
IV..... — 29
III..... — 30
Pridie..... — 31
Kalend. nov. — nov 1

2. *Portenta*. De his quoque meminit Cicero in tertia adversus Cat. oratione, 8. Item Plinius Hist. Nat. II, 51.

3. *Servile bellum moveri*. Servos ad rebellandum concitari; scilicet a C. Julio, quem in Apuliam missum esse supra vidimus.

4. *Senati*. Pro *senatus*. Nonius Marcellus, cap. VIII, *de mutata declinatione*, plures genitivos in *i* pro *us* citat, in quibus hunc Sallustii locum: *igitur senati decreto*, etc.; Quintilianus etiam, I, 6, docet incertum esse utrum *senatus* faciat *senatus*, *senatui*, an *senati*, *senato*. Optimi interpretes, ex Nonii auctoritate, hoc loco, *senati* reponunt, quamvis tredecim codd. ab Haverc. laudati habeant *senatus*.

5. *Q. Marcius Rex*. *Rex* cognomen gentis Marciæ, quæ ab Anco Marcio, quarto Romanorum rege, orta ferebatur. Confer. Suet. in Cæs. VI. Is fuerat in Cilicia proconsul, triumphumque petebat.

6. *Q. Metellus Creticus*. Consul fuit cum Q. Hortensio, anno ab urbe condita 685. Cretam inde proconsul in populi romani potestatem redegit; unde Creticus est appellatus.

7. *Circumque loca*. Loca circum Apuliam sita.

8. *Ad urbem erant*. Oportebat enim triumphum petentes extra urbem subsistere et ibi decretum senatus exspectare; quod qui exspectabant, *ad urbem esse* dicebantur. Kun.

9. *Imperatores*. *Imperator* est honoris nomen, quod aut a militibus, re prospere gesta, ducibus tribuitur; aut a senatu, certo hostium numero occiso. Hoc nomen suo nomini adscribebant duces, donec triumphassent. (Ernesti index Ciceronianus).

10. *Calumnia paucorum*. *Calumnia* non semper idem prorsus sonat, quod gallice dicimus *calomnie*. Sed sæpissime, ut hic, *chicane*, *cabale*. Scil. nonnulli malitiose et per astutiam moras innectebant, quominus Marcius et Metellus triumpharent.

11. *Omnia honesta atque inhonesta vendere*. Nempe triumphum si emere voluissent imperatores, tam libenter vendidissent hi avari et factiosi homines (quod est *honestam* rem vendere), quam aliis vendebant peccandi facultatem (quod est *inhonestam* rem

tores[12] Q. Pompeius Rufus[13] Capuam, Q. Metellus Celer[14] in agrum Picenum; iisque permissum[15], uti pro tempore[16] atque periculo exercitum compararent. Ad hoc decrevere, si quis indicavisset de conjuratione, quæ contra rempublicam facta erat, præmium servo libertatem et sestertia centum[17]; libero impunitatem ejus rei et sestertia ducenta; itemque, uti gladiatoriæ familiæ[18] Capuam et in cetera municipia distribuerentur, pro cujus-

vendere). Illi enim ex justo et injusto pariter quæstum faciebant.

12. *Sed prætores.* Repete ex antecedentibus : *missi sunt.*

13. *Q. Pomp. Rufus.* Duæ fuerunt Pompeiæ gentis familiæ; una Strabonum, ex qua Cn. Pomp. Magnus; altera Ruforum, ex qua 1° Q. Pompeius Rufus consul anno 613; 2° Q. Pompeius Rufus, consul cum Sylla A. 666, cujus filius, Syllæ gener, filiam habuit Pompeiam, uxorem C. Julii Cæsaris; (Suet. in Cæs. VI). 3° A. Pomp. Bithynicus, pater hujusce nostri. (Ex notis *De Brosses.*)

14. *Q. Metellus Celer.* De hoc jam dictum in nota 8, ad c. XXVI. Is erat e nobilissima gente Cæcilia, Metelli nepotis, qui consul fuerat anno 656, filius. Ipse consul fuit A. 694. Celer cognomine dictus est ob celeritatem, qua funebres post mortem patris ludos apparavit et populo exhibuit. Plut. in Romulo.

15. *Permissum.* Mandatum; sed vox *permissum* majorem latioremque potestatem indicat.

16. *Pro tempore.* Prout tempus et periculum poscerent; unde patet non definitum fuisse comparandorum militum numerum.

17. *Sestertia centum.* Id est centena millia *sestertium*, seu *sestertiorum.* Singula enim *sestertia* (in neutrali genere) *mille sestertios* complectuntur. Hæc autem erat romanæ pecuniæ ratio :

ÆREI NUMMI.

AS, initio *libra*, tunc *semuncia* æris.

ARGENTEI NUMMI.

DENARIUS, initio 10 (unde et nomen), tunc 16 asses;

QUINARIUS, init. 5, tunc 8 asses;

SESTERTIUS (q. *semis-tertius*) init. 2 $\frac{1}{2}$, tunc 4 asses; semper *quarta pars* denarii.

Jam vero ex accuratissima æstimatione Cl. V. *Letronne* (*Considérations générales sur l'évaluation des monnaies grecques et romaines*), DENARIUS, ex anno urbis 536 ad 720, ad nostræ pecuniæ rationem est fere 82 *centim.* (paulo minus);

SESTERTIUS, fere 20 *cent.* $\frac{1}{2}$;

100 millia sest. 20458 *fr.* 33 *c.*

18. *Gladiatoriæ familiæ.* Servi gladiatores qui, vel a quibusdam civibus magno numero possidebantur, vel exercebantur apud lanistas, venales deinde proponendi. Hi vero in municipia distributi fuerunt, ne, si Romæ tantus esset hujuscemodi hominum numerus, conjuratos juvarent. Hoc testatur Cic. in Catil. II, 12 : « Gladiatores, quam sibi ille maximam manum ac certissimam fore putavit, quanquam meliore animo sunt, quam pars patriciorum, potestate tamen in nostra continebuntur. »

que opibus [19]; Romæ per totam urbem vigiliæ haberentur, hisque minores magistratus [20] præessent.

XXXI. Quibus rebus permota civitas, atque immutata urbis facies; ex summa lætitia atque lascivia [1], quæ diuturna quies [2] pepererat, repente omnes tristitia invasit. Festinare, trepidare; neque loco [3], nec homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere; suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus, reipublicæ magnitudine [4], belli timor insolitus, afflictare [5] sese; manus supplices ad cœlum tendere; miserari parvos liberos; rogitare [6]; omnia pavere; superbia atque deliciis omissis, sibi patriæque diffidere [7]. At Catilinæ crudelis animus eadem illa movebat; tametsi præsidia [8] parabantur, et ipse lege Plautia [9] interrogatus [10] erat ab L.

19. *Pro cujusque opibus.* Prout quodque municipium ad gladiatores continendos opibus valeret.

20. *Minores magistratus.* Majores magistratus sunt consules, prætores, censores; ceteri, minores. Qua de re V. Gell. XIII, 15.

Cap. XXXI. 1. *Lasciviq.* Ludorum et oblectationum studio; eodem sensu, quo apud Lucretium, v, 1398:

Tum caput atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus et foliis, *lascivia læta* monebat.

2. *Diuturna quies.* Nam post cruentam Syllæ victoriam, usque ad hoc tempus, id est per viginti fere annos, intestini motus et discordiæ civiles quieverant.

3. *Neque loco, etc.* Nullum locum tutum, nullum hominem fidum putare.

4. *Reipublicæ magnitudine.* Quidam, *pro reip. magnitudine*, eodem sensu. Tantum enim et tam potens erat imperium romanum, ut non facile ipsi urbi Romæ bellum imminere posse videretur.

5. *Afflictare.* Freq. ex verbo *affligere*, quod est proprie *ad terram prosternere.* Translate: animum dejicere et despondere. Eadem fere translatione Horatius, de Arte poet.:

Aut *ad humum* mœrore gravi *deducit* et angit.

6. *Rogitare.* Frequenter et anxie percontari, ut in maximo metu publico fieri solet, numquid novi evenerit. Quidam habent *rogitare deos*, quod a sensu prorsus abhorrere videtur.

7. *Diffidere.* Timere, malam spem habere.

8. *Præsidia.* Scil. armatorum hominum.

9. *Lege Plautia.* Hanc tulerat M. Plautius Sylvanus, tribunus plebis, A. 665, *de vi publica*, i. e. adversus eos qui insidias senatui fecissent, magistratibus vim intulissent, cum telo fuissent in publico, seditionis causa loca superiora occupavissent, alienam domum cum armatis oppugnassent. Pœna erat exilium. Hac lege actum est postea in eos conjuratos, qui morte mulctati non fuerant.

10. *Interrogatus.* In jus vocatus,

Paullo[11]. Postremo[12] dissimulandi caussa, et quasi sui expurgandi, sicuti jurgio lacessitus[13] foret, in senatum venit[14]. Tum M. Tullius consul, sive præsentiam ejus timens[15], seu ira commotus, orationem[16] habuit luculentam[17] atque utilem[18] reipublicæ, quam postea scriptam edidit. Sed ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplici postulare, « patres conscripti ne quid de se temere[19] crederent : ea familia ortum, ita ab adolescentia vitam instituisse, ut omnia bona[20] in spe haberet; ne æstumarent, sibi, patricio homini, cujus ipsius

sc. non multo post comitia illa, in quibus cum telo fuerat.

11. *L. Paullo.* Lucius Æmilius Lepidus Paulus, frater Lepidi qui triumvir postea fuit cum Cæsare Octaviano et M. Antonio; pater illius Æmiliæ cui immortalitatem asseruit, præclara *Cinnæ* tragœdia, poeta noster. Unus ille fuit ex tribus (cum Cicerone et L. Cæsare) quos, facta ad Mutinam pactione, triumviri sibi invicem necandos permiserunt. (Ex notis *De Brosses.*)

12. *Postremo.* Hic seriem factorum repetit Sallustius, quæ cœtum in M. Læcæ domo noctu habitum, tentatamque Ciceronis cædem sequuta sunt. Vide c. XXVIII, ad voces : *Interea Manlius.*

13. *Jurgio lacessitus.* Quasi non gravi aliqua accusatione, sed *jurgio* tantum et leviori contentione provocatus. Hunc *jurgii* sensum confirmat Cicero pro Cœlio, XIII : « Omnia sunt alia non crimina, sed maledicta *jurgii* petulantis magis, quam publicæ *quæstionis.* »

14. *In senatum venit.* Quem Cic. in Jovis Statoris ædem convocaverat, die sexto ante idus novemb. (8 nov.), postridie quam matutinas salutantium insidias effugerat. Vide Cic. in Cat. II, 6 : « Hesterno die, quum domi meæ pene interfectus essem, senatum in ædem Jovis Statoris convocavi, etc. » Item, in Cat. I, 1 et 4.

15. *Præsentiam ejus timens.* Ne, videlicet, aut consciorum senatorum ope in facinus aliquod statim erumperet, aut saltem ab insciis imprudentibusque innocens haberetur, quippe qui in curiæ lucem prodire non dubitaret.

16. *Orationem.* Hæc prima est, quam habemus, in Catilinam.

17. *Luculentam.* Splendidam, præclaram ; vel, ut quidam volunt, apertam et quæ omnia in *lucem* proferret. Est enim *luculentus* a *luce*, ut *opulentus* ab *ope*, et cetera similia. Sed prior sensus magis arridet.

18. *Luculentam atque utilem.* Vera quidem, sed frigida et pene obtreotantis laudatio ; quum extemporanea hæc, ideoque magis admiranda oratio Catilinam velut fulminis ictu perculerit, patriamque a certa et imminenti pernicie revocaverit.

19. *Temere.* Leviter.

20 *Omnia bona.* Nihil non boni. — *In spe haberet.* Speraret; id est, nullas nisi bonas spes haberet; ita nempe, ut nihil mali sibi metuens,

atque majorum plurima beneficia in plebem romanam essent, perdita republica opus esse, quum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis[21] urbis Romæ. » Ad hoc maledicta alia quum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam[22] vocare. Tum ille furibundus : « quoniam quidem circumventus, inquit, ab inimicis præceps agor, incendium meum[23] ruina restinguam. »

XXXII. Dein se ex curia domum proripuit. Ibi multa secum ipse volvens, quod neque insidiæ consuli[1] procedebant, et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam, optumum factum credens, exercitum augere, ac prius quam legiones scriberentur[2], antecapere[3] quæ bello usui forent, nocte intempesta[4] cum paucis in Manliana castra

nihil reipublicæ perniciosum concupiscere posset. Dixit conjuratis : *mala res, spes multo asperior.* Dicit senatui : *omnia bona in spe habeo.* In utroque servit causæ et tempori.

21. *Inquilinus civis.* Inquilinus proprie est, qui in aliena et conductitia domo habitat (a verbo *incolere*). Hic vero latius patet, Ciceronemque hospitem Romæ esse, et urbis non suæ civem, utpote natum Arpini, invidiose arguit Catil. Idem fere narrat Appianus, Bell.civ. II : ἐς μὲν ἀγνωσίαν γένους, ΚΑΙΝΟΝ ὀνομάζων · ἐς δὲ ξενίαν τῆς πόλεως, ΙΠΚΟΥΙΑΙΝΟΝ, ᾧ ῥήματι καλοῦσιν τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις.

22. *Parricidam.* Quippe qui patriæ, communi omnium parenti, perniciem moliebatur. Item Cicero in Cat. I, 7 : « Te patria odit ac metuit, et jamdiu te nihil judicat nisi de *parricidio suo* cogitare. »

23. *Incendium meum, etc.* Non illo die, et ne Ciceroni quidem responsum hoc est a Catil.; responsum vero est Catoni, paucis diebus ante comitia eligendis consulibus, die XXII octob., habita. Quod quidem patet ex Cicer. orat. pro Muræna, XXV, ubi, postquam senatusconsulti, quo summa potestas consulibus permittebatur, fecit mentionem, hæc adjicit : « Tum erupit e senatu triumphans gaudio, quem omnino vivum illinc exire non oportuerat; præsertim quum idem ille, in eodem ordine, paucis diebus ante, Catoni judicium minitanti ac denuncianti respondisset, *si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aqua sed ruina restincturum.* » Errat igitur nonnihil Sallustius et, eum sequuti, Florus et Val. Maximus. — Est autem *incendium ruina restinguere*, diruere ædificium ut ignis opprimatur. Ædificium vero quid? ipsa respublica.

CAP. XXXII. 1. *Insidiæ consuli.* Id est, adversus consulem paratæ.

2. *Legiones scriberentur.* Scil. adversus se, a prætoribus Pompeio Rufo, et Metello Celere; v. c. XXX.

3. *Antecapere.* Ante providere quæ bello gerendo necessaria forent.

4. *Nocte intempesta.* Ea nocte quæ fuit inter octavum et nonum diem

profectus est[5]. Sed Cethego atque Lentulo, ceterisque, quorum cognoverat promtam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias consuli maturent, cædem, incendia, aliaque belli facinora parent: sese propediem cum magno exercitu ad urbem accessurum. Dum hæc Romæ geruntur, C. Manlius ex suo numero[6] ad Marcium Regem mittit, cum mandatis hujuscemodi:

XXXIII. « Deos hominesque testamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus; sed uti corpora nostra ab injuria tuta forent; qui miseri, egentes, violentia atque crudelitate fœneratorum, plerique patriæ[1], sed omnes fama atque fortunis expertes sumus. Neque cuiquam nostrum licuit, more majorum, lege uti; neque, amisso patrimonio, liberum corpus habere[2]: tanta sævitia fœneratorum atque prætoris[3] fuit. Sæpe majores vestrum[4], miseriti plebis

novembris. De verbo *intempesta* vid. cap. XXVII.

5. *Cum paucis.... profectus est.* Narrat Plutarchus in Cicer., eum cum 300 armatis profectum esse. Præerant lictores cum fascibus securibusque, et ipse proconsulis, ut vult Appianus, consulis, ut narrat Dio Cassius, sibi nomen assumpsit.

6. *Ex suo numero.* Vulgo additur *legatos;* quod nisi scribitur, saltem subaudiendum est.

Cap. XXXIII. 1. *Pleriq. patriæ, sed omnes fama, etc.* Nota duplicem casum cum uno adjectivo *expertes;* non insolita apud nostrum casus mutatione. Infra XLVI: « Pœnam sibi *oneri*, impunitatem *perdundæ reipublicæ fore.* » Jug. VII: « ubi videt neque *per vim*, neque *insidiis* opprimi posse. » Ibid. LXXXIV: « plerosque *militiæ*, paucos *fama* cognitos accire. » Item Plautus, Asin. III, 2, 31. « Ut *me*que, *te*que, atque *ingenio* nostro decuit. »

2. *Liberum corpus habere.* Scil. a vinculis et carceribus. Nam antiqua lege, XII tabulis confirmata, debitores creditoribus addicebantur, debitum, quod solvere non poterant, servili opera compensaturi. Sed C. Pœtelio et L. Papirio coss., A. U. C. 428 (teste Livio VIII, 28), lege cautum est ne debitores *in posterum necterentur;* jussumque *bona tantum, non corpus obnoxium esse.* Quæ lex non impedimento fuit quin, postea quoque, creditores et bona et libertatem debitoribus eriperent. Quocirca dicit hic Manlius non licuisse *more majorum lege uti.*

3. *Prætoris.* Quia per prætorem nexi addicebantur.

4. *Majores vestrum.* Ut græce dicitur

romanæ, decretis suis inopiæ opitulati sunt[5]; ac novissume memoria nostra[6], propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære solutum est[7]. Sæpe ipsa plebes, aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum, armata a patribus secessit[8]. At nos non imperium, neque divitias petimus, quarum rerum caussa bella atque certamina omnia inter mortales sunt; sed libertatem, quam nemo bonus, nisi cum anima simul, amittit. Te atque senatum obtestamur, consulatis miseris civibus; legis præsidium, quod iniquitas prætoris eripuit, restituatis; neve eam necessitudinem imponatis, ut quæramus quonam modo, ulti maxume sanguinem nostrum, pereamus. »

XXXIV. Ad hæc Q. Marcius : « Si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur; ea mansuetudine atque misericordia senatum populumque romanum semper fuisse, ut nemo umquam ab eo frustra auxilium petiverit. » At Catilina ex itinere plerisque consularibus, præterea optumo cuique, literas mittit : « Se falsis criminibus circumventum, quo-

ἀ πρόγονοι ὑμῶν. Gellius, xx, 6, affirmat sinceram hanc esse hujus loci scripturam, et importunissime fecisse, qui *vestrum* obleverunt, et *vestri* superscripserunt.

5. *Inopiæ opitulati sunt.* Sc. diminuto fœnore.

6. *Memoria nostra.* Recenti tempore, et cujus ipsi *meminisse* possumus.

7. *Argentum ære solutum est.* Id est, qui nummum *argenteum* debebat, reddebat *æreum.* Verbi gratia, sestertius erat *argenteus*, as *æreus.* Pro *sestertio as* dabatur. Atqui tunc temporis, teste Plinio, xxxiii, 3, sertertius (qui prius duorum assium et semissis fuerat), quaternis assibus permutabatur, ita ut esset *as* quarta pars *sestertii.* Quum vero cujuslibet rei quarta pars *quadrans* vocaretur, Velleius, ii, 23, narrat *quadrantem* solutum fuisse creditoribus, legem ferente L. Valerio Flacco, qui post mortem C. Marii septimum consulis, A. U. 668, suffectus est. *Argentum ære solutum est* perinde igitur valet, ac si dixisset : *quarta solummodo pars debitorum soluta est.*

8. *Secessit.* Ter id factum est, 1° in sacrum montem, ob æs alienum; Liv. ii, 32. 2° In Aventinum, inde in sacrum montem, App. Claudii decemviri luxuriæ causa; Liv. iii, 50. 3° In Janiculum, rursus ob æs alienum; Liv. epitome, xi.

niam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunæ cedere, Massiliam in exsilium proficisci : non quo sibi tanti sceleris conscius esset; sed uti respublica quieta foret, neve ex sua contentione seditio oriretur. » Ab his longe diversas literas Q. Catulus in senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinæ redditas dicebat. Earum exemplum[1] infra scriptum.

XXXV. « L. Catilina Q. Catulo S. Egregia tua fides re cognita[1] gratam in magnis periculis fiduciam[2] commendationi meæ tribuit. Quamobrem defensionem[3] in novo consilio non statui parare; satisfactionem[4] ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi; quam, me Dius fidius[5],

Cap. XXXIV. 1. *Exemplum.* Gall. *une copie.* Ex hoc apparet ea, quæ sequuntur, ipsius Catil. verba esse.

Cap. XXXV. 1. *Fides re cognita.* Id est, explorata; quam re ipsa, non verbis solum, præstitisti. Nam Catuli fidem expertus erat, quum accusatus incesti, quod cum Fabia virgine vestali commiserat, Catuli gratia fultus evasisset, ut narrat Paulus Orosius. (Ex notis Varior.)

2. *Gratam in magnis periculis.* Hav. *grata mihi magnis in meis periculis;* ita ut *grata fides* sit; non, ut cum Cortio legimus, *gratam fiduciam.* Sensus vero quem sequimur hic est : perspecta mihi tua fides jucundam in magnis periculis versanti fiduciam injicit, fore ut commendationis meæ rationem habeas. Orestillam autem, conjugem suam, Catulo commendat, ut ex fine apparet.

3. *Quamobrem defensionem, etc.* Nolo me excusare ob novum hoc, quod cepi, consilium.

4. *Satisfactionem. etc.* Quasi diceret : si satisfactionem vobis debeo, ea satisfactio erit, quod nullius mihi culpæ me conscium esse affirmo. Hæc autem inusitata est bonis scriptoribus et, dubio procul, ipsius Catilinæ, non Sallustii, locutio : *proponere satisfactionem ex nulla conscientia*, et præsertim, *ex nulla conscientia* DE CULPA, pro eo quod est : *ex nulla* CULPÆ *conscientia*, vel potius ex *nullius culpæ conscientia.* Hoc est, ut obiter moneamus, antiquissimum certe et notabile *præpositionis* pro *casu*, quemadmodum fieri solet in nostris recentiorum dialectis, usurpatæ vestigium. Nec conjicere absurdum fuerit, multas ejusmodi locutiones fuisse in vulgari et minus polito sermone, etiam in aureis litterarum romanarum temporibus.

5. *Me Dius fidius.* Vulgo *medius fidius.* Juramentum per *deum fidei* præsidem : *me deus fidei* adjuvet. Plaut. Asin. 1, 1, 8 : « Per *deum fidium* quæris; jurato mihi video necesse esse eloqui, quidquid roges. » Ex hoc loco videtur *dius* idem esse ac *deus*, vel *divus; fidius* autem adjectivus a *fide* derivatus. Græci Δία πίστιον vocant; Dion. Halic. IV et IX. Hunc Varro, de Ling. lat. IV, 10,

veram licet cognoscas[6]. Injuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriæque meæ privatus[7], statum dignitatis non obtinebam[8], publicam miserorum caussam, pro mea consuetudine, suscepi; non quin æs alienum meis nominibus[9] ex possessionibus solvere possem, quum alienis nominibus[10] liberalitas Orestillæ suis filiæque copiis persolveret; sed quod non dignos homines[11] honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum[12] sentiebam. Hoc nomine[13] satis honestas pro meo casu[14] spes reliquæ dignitatis conservandæ sum sequutus[15]. Plura quum scribere vellem, nunciatum est vim mihi parari. Nunc Orestillam commendo tuæque fidei trado. Eam ab injuria defendas, per liberos tuos rogatus. Haveto[16]. »

innuit esse *Sancum ab Sabina lingua, Herculem a græca;* ita ut *me dius fidius* idem prorsus sit ac *me hercules.* Atque ob id ipsum Festo videtur *dius* esse quasi Διός (Jovis); *fidius* quasi *fiLius*, D pro L. Sed male, ut patet ex antecedentibus et præsertim ex Plautino exemplo.

6. *Veram licet cognoscas.* Licet te illam satisfactionem veram agnoscere. Servius in Æn. IV, 204, hunc locum citat his verbis : *quæ medius fidius vera licet mecum recognoscas.* Sed forsan in Servio memoriæ lapsus est.

7. *Fructu.... privatus.* Respicit ad consulatum quem frustra petierat.

8. *Statum dignitatis non obtinebam.* Non eum locum, quo dignus sum, in republica tenebam.

9. *Meis nominibus.* Alii addunt *sumtum*, ut sit *pecunia mutuo sumpta meo ipsius nomine.* Sed nihil addendo sensus idem constat. Quum enim *nomina* eorum, qui mutuo accipiebant pecunias, a creditoribus in tabulas referrentur, *meis nominibus solvere* proprie est, ea solvere quæ *meo nomine* inscripta sunt, et a me ipso debita.

10. *Alienis nominibus.* Ea quæ ab aliis debita sunt. Sensus totius loci est : non ideo miserorum causam suscepi, quod ipse nimio ære alieno oppressus sim. Imo et mea ipsius debita ex meis possessionibus solvere possum; et aliorum debita, pro quibus nempe meam fidem interposui, Orestilla, mea uxor, suis et filiæ suæ copiis persolvit.

11. *Non dignos homines.* Ciceronem notat, hominem novum.

12. *Alienatum.* Remotum et a spe consulatus depulsum.

13. *Hoc nomine.* Eam ob causam.

14. *Satis honestas pro meo casu.* Quæ satis honestæ sunt in tanta calamitate. Honestum est enim *publicam miserorum causam suscipere.*

15. *Spes... sum sequutus.* In tanto meo casu spes honestæ mihi affulserunt reliquæ dignitatis conservandæ; *eas spes sequutus sum;* eam viam ingressus sum, quam spes illæ mihi indicabant.

16. *Haveto.* Antiquum pro *aveto.*

XXXVI. Sed ipse paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam[1] in agro Arretino[2], dum vicinitatem, antea sollicitatam, armis exornat; cum fascibus atque aliis imperii insignibus[3] in castra ad Manlium contendit. Hæc ubi Romæ comperta, senatus Catilinam et Manlium hostes judicat; ceteræ multitudini diem statuit, ante quam sine fraude[4] liceret ab armis discedere, præter rerum capitalium condemnatis[5]. Præterea decernit, uti consules dilectum habeant[6]; Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet; Cicero urbi præsidio sit. Ea tempestate mihi imperium populi romani multo maxume miserabile

Cap. XXXVI. 1. *C. Flaminium Flammam.* De quodam Flaminio Flamma meminit Cicero ad Attic. XIV, 16; item ad Diver. XVI, 24. An hic idem sit, incertum.

2. *In agro Arretino.* Aretium seu Arretium urbs fuit Etruriæ, a Græcis condita, hodie *Arrezzo.* Vulg. legitur *Reatino.* Oppidum *Reate* in Sabinis, hodie *Rieti.* Sed, inquit Bip. edit. quum contenderit via Aurelia ad Manlium, seque Massiliam proficisci dictitaverit, verius est quod ex aliis codd. et edd. veteribus rescripsit Cortius, *Arretino.*

3. *Cum fascibus atque aliis imperii insignibus.* Conferatur Cic. in Cat. II, 6: «Quum hæsitaret, quum teneretur, quæsivi quid dubitaret proficisci eo, quo jampridem pararat; quum arma, quum *secures*, quum *fasces*, quum *tubas*, quum *signa militaria*, quum *aquilam* illam argenteam, cui ille etiam sacrarium scelerum domi suæ fecerat, scirem esse præmissam.»

4. *Sine fraude.* Ita ut illis *sine fraude* sit; non *fraudi* et crimini detur arma sumpsisse; quod, effectum pro causa ponendo, uno verbo reddere possis: *impune.*

5. *Præter.... condemnatis. Condemnatis*, in dandi casu, pendet a verbo *liceret. Præter* adverbii loco positum est, quasi esset *præterquam.* Hoc non ita sæpe occurrit, sed occurrit tamen. Justinus, XIII, 5: «Alexander epistolas in Græciam scripserat, quibus omnium civitatum exules, *præter* cædis *damnati*, restituebantur.» Suet. in Claudio, IV: «reliquerit eum nullo, *præter* auguralis sacerdotii, *honore* impertitum.» Sic apud Græcos πλήν cum omnibus casibus conjungitur.

6. *Dilectum habeant.* Vulgo *delectum.* Sed *dilectum* antiquis dictum fuisse tum multis exemplis, tum hoc Festi apparet: «*Dilectus* militum, inquit, et is qui significatur *amatus*, a legendo dicti sunt.» *Dilectum* autem, seu *delectum* habere est *milites conscribere;* quod faciebant consules, universos ætatis militaris cives in Capitolium, vel in campum Martium convocando, et viros ad tolerandam militiam maxime idoneos nominatim deligendo. Iis qui vocati respondere, et nomen militiæ dare recusabant, pœna irrogabatur seu publicatio bonorum, seu servitus, seu infamia.

visum est. Cui quum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent; domi otium atque divitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent; fuere tamen cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent. Namque duobus senati decretis, ex tanta multitudine neque præmio inductus conjurationem patefecerat, neque ex castris Catilinæ quisquam omnium discesserat. Tanta vis morbi [7], uti tabes, plerosque civium animos invaserat.

XXXVII. Neque solum illis aliena [1] mens erat, qui conscii conjurationis fuerant; sed omnino cuncta plebes [2], novarum rerum studio, Catilinæ incepta probabat. Id adeo [3] more suo videbatur facere; nam semper in civitate, quis [4] opes nullæ sunt, bonis invident, malos extollunt [5]; vetera

7. *Tanta vis morbi.* Hic *morbi* nomine indicat funestam illam qua, velut gravissimo morbo, laborabat civitas, novarum rerum cupiditatem. — *uti tabes :* velut contagio.

Cap. XXXVII. 1. *Aliena.* Sc. a reipublicæ commodis et quieto rerum statu.

2. *Omnino cuncta plebes.* Quidquid plebis erat in toto imperio. Mox separatim loquetur de ea plebe, quæ urbem ipsam incolebat. — *Omnino,* gallice, *en général.*

3. *Id adeo, etc.* Adverbium *adeo,* cujus propria notio est *sic, ita,* hic majorem quamdam vim habet et quasi ἔμφασιν. Idem est ac si dixisset : « Id, *ita enim se res habent,* more suo videbatur facere. »

4. *Quis.* Queis, quibus.

5. *Bonis invident, malos extollunt.* Hic *bonorum* nomine designantur, qui seu opibus, seu aliis vitæ ornamentis aliquem in civitate locum obtinent. *Boni* dicuntur, quia in eo præsertim civium ordine inveniuntur homines moribus et humanitate exculti, pacis quietisq. amantes, osores turbarum, unde nihil ipsis nisi periculum et jactura. Sic gallica locutio, *les honnêtes gens,* græca, οἱ ἄριςοι, tum ad mores, tum ad fortunam aliquando pertinent. Sic et latine *optimates* dicuntur bonæ conditionis et animi cives; (Cic. pro Sext. XLV). Porro quotiescumque movetur aliquid in republica, statim in duas scinditur partes civitas, unam *bonorum,* duplici quem diximus sensu; alteram inopum et egentium, quibus turbidæ res damno nunquam, sæpe quæstui esse possunt. Hoc igitur hominum genus *bonis* invidet, quia *bona* possident, quia amant otium, quia etiam probi sunt; extollit *malos,* quia proni ad seditiones, quia audaces, quia sæpe et ipsi inopia laborantes. Prior Sallustianæ sententiæ pars, *quis opes nullæ sunt, bonis invident,* et apud Plautum occurrit, Capt. III, 4, 51 : « Est miserorum, ut *malevolentes* sint

odere, nova exoptant; odio suarum rerum, mutari omnia student; turba[6] atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno[7]. Sed urbana plebes[8], ea vero præceps ierat[9] multis de caussis. Primum omnium[10], qui ubique probro atque petulantia maxume præstabant; item alii, per dedecora[11] patrimoniis amissis; postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam, sicuti in sentinam[12], confluxerant. Deinde multi memores Sullanæ victoriæ, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, uti regio victu atque cultu ætatem agerent, sibi quisque, si in armis forent, ex victoria talia sperabant. Præterea juventus, quæ in agris manuum mercede inopiam tolerave-

atque *invideant bonis.* » Et in Sallustio quoque, *invidere* non solum est *aliena sibi cupere*, sed etiam alii *male velle*, eum *iniquis aspicere oculis.*

6. *Turba.* Rerum perturbatione.

7. *Egestas facile habetur sine damno.* Facile est egestatem a damno et jactura tueri. Quippe ubi nihil est, inde nihil aufertur. Sic ap. Petron. : *Inops audacia tuta est.* Itaque, ut ait ipse Sallustius, Jug. LXXXVI, « Homini potentiam quærenti egentissumus quisque opportunissumus; cui neque sua curæ, quippe quæ nulla sunt, et omnia cum pretio honesta videntur. » — Plenus quidem civilis prudentiæ totus hic locus est, et dignus profecto qui memoriæ penitus infigatur.

8. *Sed urbana plebes, ea vero, etc.* Quod ad plebem urbanam attinet, illa vero, etc. *Urbana* autem est, quæ ipsam Romam incolit. Animadverte quoque verba hæc, *ea vero*, quæ, quamvis sententiæ nihil addere videantur, multum certe ad vim conferunt. Monent enim legentem, præter causas *cunctæ omnino plebi* convenientes, alias quoque esse *urbanæ plebi* proprias et peculiares, cur novas res cuperet.

9. *Præceps ierat.* In pessima quæque consilia se præcipitem egerat. Hæc ad ea referuntur quæ paulo ante dicta sunt : *Fuere..... qui seque remque publicam.... perditum irent.*

10. *Primum omnium.* Hoc referri debet non ad *item* et *postremo*, quæ legas in eadem periodo; sed ad *deinde*, quod sequentem periodum incipit. Cicero quoque in Cat. II, 8 — 10, varia hominum genera enumerat, quæ Catilinæ favebant.

11. *Per dedecora.* Verbi gratia, per luxuriam, vel negligentiam, vel turpi qualibet ratione.

12. *In sentinam.* In impurum aliquod receptaculum, quales sunt in navibus sentinæ (seu cloacæ in urbibus). *Sentina* vero est infima pars navis, quo sordes confluunt. Cicero in Cat. I, 5 : « Exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa *sentina* reipublicæ. »

rat, privatis atque publicis largitionibus[13] excita, urbanum otium ingrato labori prætulerant. Eos atque alios omnes[14] malum publicum alebat. Quo minus mirandum, homines egentes, malis moribus, maxuma spe, reipublicæ juxta ac sibi consuluisse[15]. Præterea quorum, victoria Sullæ, parentes proscripti, bona erepta, jus libertatis imminutum[16] erat, haud sane alio animo belli eventum exspectabant. Ad hoc, quicumque aliarum atque senati partium erant, conturbari rempublicam, quam minus valere ipsi malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem reverterat[17].

XXXVIII. Nam postquam Cn. Pompeio et M. Crasso consulibus tribunicia potestas restituta[1] est; homines ado-

13. *Privatis.... largitionibus.* Quæ scil. a *privatis* fiebant, promerendæ gratiæ aut captandorum suffragiorum causa.—*Publicis.* Nam singulis mensibus donationes frumentariæ in populum fieri solebant. V. Suet. in Aug. XL.

14. *Eos atque alios omnes.* Juventutem illam, et alios omnes qui ante dicti sunt.

15. *Reipublicæ juxta ac sibi consuluisse.* Non melius reipublicæ consuluisse, quam ipsi sibi consuluerant; non majorem publicæ, quam suæ ipsorum salutis curam habuisse. Sic fere infra LXI: « Cuncti suæ hostiumque vitæ *juxta* pepercerant.

16. *Jus libertatis imminutum.* Sylla proscriptorum liberis magistratus petendi jus ademerat, injusta quidem lege, sed quæ viginti jam annorum usu confirmata, sine reipublicæ clade rescindi non poterat. Itaque jus illud recuperare tentantibus consul obstitit Cicero, ut ipse narrat, in Pisonem, II: « Ego adolescentes bonos et fortes, sed usos ea conditione fortunæ ut, si essent magistratus adepti, reipublicæ statum convulsuri viderentur, meis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione privavi. » Eosdem postea Cæsar, dictator creatus, admisit ad honores.

17. *Id adeo malum.... reverterat.* Exstinctæ multos ante annos, Syllana victoria, bellorum civilium causæ rursus exarserant; et, quasi re integra, æmulæ plebis et senatus factiones velut in acie stabant.

Cap. XXXVIII. 1. *Tribunicia potestas restituta.* Nam Lucius Sylla, quum rempublicam armis oppressisset, tribunorum potestatem valde minuit, imo fere sustulit, lege lata A. U. 672, ne, qui tribunus plebis fuisset, alium deinceps magistratum caperet; neve iis jus esset concionandi, vel leges ferendi; neve ad eos provocaretur; sed solam et nudam *intercessionem* ipsis reliquit. Verum A. U. 679, Cotta consul jus magistratus capiendi iis restituit; et reliqua omnia, A. U. 683, Pom-

lescentes summam potestatem[2] nacti, quibus ætas animusque ferox erat, cœpere, senatum criminando, plebem exagitare; dein largiundo atque pollicitando magis incendere; ita ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, senati specie[3], pro sua magnitudine. Namque, uti paucis verum absolvam, per illa tempora quicumque rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti populi jura defenderent, pars, quo senati auctoritas maxuma foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant. Neque modestia[4], neque modus contentionis erat: utrique victoriam crudeliter exercebant.

XXXIX. Sed postquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum[1] atque Mithridaticum[2] missus est; plebis opes

peius Magnus; atque ita hoc usque ad Jul. Cæsarem perstitit. Hæc Nieupoort. Vide etiam *Adam*, *Antiquités rom.*, et *Beaufort*, *Républ. rom.*, *liv.* IV, *ch.* 7.

2. *Summam potestatem.* Tribuniciam scil. Hic per *summam*, *maximam* intellige. Et tribunatus quidem eo potentior resurgebat, quo desuetum diu avidius arripiebant, ferociusque exercebant.

3. *Senati specie.* Simulando se tueri jura senatus. — *Pro sua magnitudine.* Sed re ipsa ut suam potentiam augerent.

4. *Neque modestia, etc.* Videeadem verba in cap. XI. Hic vero sic intellige: *non modestia contentionis erat*, id est: sine ulla moderatione ullove pudore contendebant. — *Non modus*, id est: nullus *finis* contentionis, nisi prius altera factio opprimeretur.

Cap. XXXIX. 1. *Maritimum. Maritimum* bellum etiam *piraticum* dicitur. Quum enim Cilices piratæ orbem classibus terrerent et quasdam etiam Italiæ urbes diripuissent, Pompeius ad eos opprimendos missus est, legem ferente A. Gabinio tribuno plebis, A. U. 687; tantumque et per omnes tractus diffusum bellum, intra quadraginta dies, confecit. Vide Vell. II, 31 et 32; Florum, III, 6; Cic. pro lege Manilia; Plut. in vita Pompeii.

2. *Mithridaticum.* Bellum cum Mithridate, Ponti rege, hoste Romanorum crudelissimo, septem prope annos administrarat L. Lucullus; qui quum a senatu revocatus Romam rediisset, rogatione ad populum C. Manilius, plebis tribunus, suasit, ut ei bello Cn. Pompeius, qui prædones brevi tempore debellaverat, præficeretur. Quam Maniliam legem quum Catulus et Hortensius consulares, propter crescentem Pompeii potentiam, dissuasissent, Ciceronis eloquentia factum tamen est, ut Pompeius cunctis suffragiis imperator deligeretur. Kus.

imminutæ[3]; paucorum potentia crevit. Hi magistratus, provincias, alia omnia tenere; ipsi innoxii[4], florentes, sine metu ætatem agere; ceteros[5] judiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum, dubiis rebus[6], novandi spes oblata, vetus certamen[7] animos eorum arrexit[8]. Quod si primo prælio Catilina superior, aut æqua manu discessisset[9], profecto magna clades atque calamitas rempublicam oppressisset[10]; neque illis[11], qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset,

3. *Plebis opes imminutæ.* Tanta scilicet uni viro delata potestate.

4. *Innoxii.* Quanquam vulgo *innoxius* active dicitur, qui aliis *non nocet*, hic tamen passiva significatione *innoxii* sunt, quibus *non nocetur*. Sic Lucanus IX, 894:

..... Gens unica terras
Incolit a sævo serpentum *innoxia* morsu.

Et Curtius, IX, 11: « Leviora (navigia), quum et ipsa nequirent regi, in ripam tamen *innoxia* expulsa sunt. »

5. *Ceteros.* Eos scil. qui ipsorum potentiæ obstare potuissent. — *Judiciis.* Accusationibus et judiciorum periculis.

6. *Ubi dubiis rebus, etc.* Postquam discrimine, in quo propter Catil. conjurationem respublica versabatur, oblata est novarum rerum spes. Ceterum Cortius et multi alii legunt: *ubi... dubiis rebus* novandis *spes oblata;* quod, eodem prorsus sensu, interpretari potueris: ubi spem habuerunt res *novandi*, id est, immutandi, dum *dubiæ*, id est, in discrimine erant; ita tamen, si prius Cortio assenseris dici posse, in dandi casu, *spes novandis rebus*, ut dicitur *causa novandis rebus*.

7. *Vetus certamen.* Quod semper plebem inter et optimates fuit.

8. *Arrexit.* Exsuscitavit atque in se convertit; eodem sensu quo ap. Tac. Hist. III, 48: *advertit ea res Vespasiani animum.* — *Animos eorum.* Animos *plebis;* quæ notio repeti debet ex iis, quæ modo dicta sunt: *quo plebem placidius tractarent.* Nam *eorum* optime refertur ad *plebem*, quæ vox per se *multitudinem hominum* indicat.

9. *Æqua manu discessisset.* Sic Tac. Ann. I, 63. *Et manibus æquis abscessum;* eodem sensu quo, *viribus æquis*, *æquo marte.* Sed *æquo marte* magis proprie dici cum verbis *contendere*, *pugnare; æqua manu*, cum verbo *discedere*, recte monet Cort.

10. *Magna clades.... rempublicam oppressisset.* Quia sc., quum ii essent plebis animi, vel relata vel sperata victoria maximam illi multitudinem adjunxisset.

11. *Neque illis, etc.* Et quicumque, sive boni, sive mali, victoriam demum adepti essent, non iis victoria sua diu uti licuisset, *quin*, id est, *ita ut non* aliquis potentior defessos et exsangues opprimeret. Nota vim singularem verbi *exsangues*, quasi qui multum *sanguinis*, atque adeo *roboris* inter prælia et certamina amisissent, ideoque faciliorem prædam offerrent potentiori.

quin defessis et exsanguibus, qui plus posset, imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen[12] extra conjurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt. In his A. Fulvius[13], senatoris filius: quem retractum ex itinere parens necari jussit. Iisdem temporibus Romæ Lentulus, sicuti Catilina præceperat, quoscumque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios sollicitabat; neque solum cives, sed cujusque modi genus hominum, quod modo usui foret[14].

XL. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum[1] requirat, eosque, si possit, impellat ad societatem belli; existumans, publice privatimque[2] ære alieno oppressos, præterea, quod natura gens Gallica bellicosa[3] esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus, plerisque principibus civitatium[4] notus erat, atque eos noverat. Itaque sine

12. *Fuere tamen.* Adumbrato civitatis statu, ad narrationem factorum redit.

13. *A. Fulvius.* Idem narrat Val. Max. v, 8: «A. Fulv. vir senatorii ordinis, euntem in aciem filium retraxit; juvenem ingenio et litteris et forma inter æquales nitentem, in medio itinere abstractum, mortis supplicio affecit, præfatus *non se Catilinæ illum adversus patriam, sed patriæ adversus Catilinam genuisse.*»

14. *Quod modo usui foret.* Dummodo illud ad perficiendam rem utile esset. Alii legunt: *bello usui foret.*

Cap. XL. 1. *Allobrogum.* Allobroges in Gallia Narbonensi, juxta Rhodanum amnem, degebant. Tunc temporis Romæ fuisse narrat Plutarch. in Cicerone, duos hujus gentis legatos, quæ tum maxime a Romanis vexabatur, eorumque dominationem ægre tolerabat. Per hos tentavit Lentulus totam gentem spe libertatis, in societatem belli pellicere.

2. *Publice privatimque.* Et civitatem Allobrogum, et privatos.

3. *Gens gallica bellicosa.* Meritam sane laudem, et de qua nemo degenerasse veterum Gallorum posteros insimulabit. Hic addere liceat, quod de iisdem nostris majoribus dicebat Censorius ille Cato in Originibus: *Pleraque Gallia duas res industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui.* Tertia denique laus ex eo ipso, quod hic narratur, exsistit: *Gallos semper utilitatem cum fraude conjunctam aspernatos esse.*

4. *Civitatium.* Sic Gruterus ex melioribus MMS. pro vulg. *civitatum.* Et Varro quidem, de Ling. lat. VII, 37, hanc ipsam vocem *civitatium* pro exemplo biformis casus profert. — Umbrenus igitur notus erat plerisque principibus *gallicarum civitatum*, e quibus una Allobrogum *civitas*.

mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percontatus pauca de statu civitatis, et quasi dolens ejus casum, requirere cœpit, quem exitum tantis malis sperarent? Postquam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare senatum, quod in eo auxilii nihil esset, miseriis suis remedium mortem exspectare : « At ego, inquit, vobis, si modo viri esse voltis[5], rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis. » Hæc ubi dixit, Allobroges in maxumam spem adducti Umbrenum orare, uti sui misereretur : nihil tam asperum, neque tam difficile esse, quin cupidissume facturi essent[6], dum ea res civitatem ære alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti[7] perducit; quod foro propinqua erat, neque aliena consilii, propter Semproniam; nam tum Brutus ab Roma aberat[8]. Præterea Gabinium arcessit, quo major auctoritas sermoni inesset. Eo præsente conjurationem aperit : nominat socios, præterea multos

5. *Si... viri esse voltis.* Si animos et fortitudinem *virorum* exhibere vultis. Nemo nescit *virum*, per se et sine adjectivo, sæpe *virum fortem* indicare. Sic Liv. I, 41 : « Tuum est, Servi, si *vir* es, regnum. » Sic Sall. inf. LVIII : « fœda atque intoleranda *viris*. » Et alia passim. A *viro* deducitur *virtus*, quo nomine comprehenduntur, quæcumque dotes *virum* efficiunt.

6. *Quin cupidissume facturi essent. Quin* pro *quod non*, quæ verba etiam in vulgatis leguntur. Sed *quin* e cod. Venet. Rivius protulit, quem postea doctissimi interpretes sequuti sunt. Et a vero quidem non abhorret *quod non* invectum esse ab aliquo librario, cui non satis planum satisque usitatum videbatur *quin*. Sed quum res in ambiguo est, præferri debet lectio minus vulgaris, ut quæ elegantior et antiquior esse soleat. Nam verisimile non est librarium aliquem in deteriori sæculo, vulgatam notamque sibi vocem rejecisse, minusque usitatam adscivisse. Hoc autem loco elegantissimum est *quin;* et, si resolvas, idem valet ac *quod non*, seu, *ut illud non*. Eadem prorsus ratione resolvimus in super. capite.

7. *D. Bruti.* Cui diximus, cap. XXV, nuptam fuisse Semproniam.

8. *Ab Roma aberat.* Plures MSS. *Roma aberat*, omissa præpositione. Sed Priscianus l. XV : « Inveniuntur tamen, inquit, et cum præpositionibus nomina civitatum sæpe prolata, et maxime apud historicos. Livius : *venerant et* ab *Lanuvio Antioque auxilia*. Sallust. in Cat. *nam tum Brutus* ab *Roma aberat*. Cicero modo omittit præpositionem, ut in epistolis : *quod video omnes bonos abesse Roma ;* modo addit, ut in Verrem ; *abesse* ab *domo*. Riv.

cujusque generis innoxios[9], quo legatis animus amplior esset: dein eos, pollicitos operam suam, dimittit.

XLI. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consilii caperent. In altera parte erat æs alienum, studium belli, magna merces in spe victoriæ: at in altera majores opes[1], tuta consilia, pro incerta spe certa præmia[2]. Hæc illis volventibus[3], tandem vicit fortuna reipublicæ. Itaque Q. Fabio Sangæ[4], cujus patrocinio[5] civitas[6] plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam consilio cognito, legatis præcipit, studium conjurationis vehementer simulent, ceteros adeant, bene polliceantur, dentque operam uti eos quam maxume manifestos habeant[7].

XLII. Iisdem fere temporibus, in Gallia citeriore[1] atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. Namque illi, quos antea Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementiam, cuncta simul agere;

9. *Innoxios.* Conjurationis non participes.

Cap. XLI. 1. *Majores opes.* Majores scil. erant opes ipsius reipublicæ, quam conjuratorum.

2. *Certa præmia.* A senatu pro conjurationis indicio proposita. Vid. cap. XXX. Kun.

3. *Hæc illis volventibus, etc.* Quum diu hoc mente agitassent, tandem fecit secunda reipublicæ fortuna, ut consilium aperiendæ conjurationis caperent.

4. *Q. Fabio Sangæ.* Hic ab illo Fabio ducebat originem, qui ob devictos primum Allobrogas, Allobrogici cognomen acceperat.

5. *Cujus patrocinio.* Id moris fuit ut singulæ nationes aliquem Romæ patronum haberent, sub cujus clientela tutelaque esset universa civitas. Et jus illud patrocinii non ipsius patroni vita definiebatur, sed a patre ad liberos transibat. Sic Marcellum Syracusarum victorem et ipsius deinceps nepotes, Syracusani; sic Fabium Allobrogicum et ortos ex ipso Fabios, Allobroges patronos habuere.

6. *Civitas.* Vix operæ pretium est, ut in re notissima, monere per *civitatem* non intelligi *urbem* vel *oppidum*, sed universam civium conjunctionem sub iisdem legibus viventium; quo sensu Græci accipiunt πόλιν, Galli vero *état*, vel etiam, in quibusdam scriptis politicis, *cité*.

7. *Uti.... manifestos habeant.* Ut omnia eorum consilia nota habeant.

Cap. XLII. 1. *Citeriore.* Citra Alpes sita, respectu Romæ. Cisalpinam quoque dicunt. — *Ulteriore.* Ultra Alpes. Vid. Ind. geogr.

nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia, plus timoris quam periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer prætor, ex senati consultu, caussa cognita, in vincula conjecerat; item in ulteriore Gallia [2] C. Murena [3], qui ei provinciæ legatus præerat [4].

XLIII. At Romæ Lentulus [1], cum ceteris, qui principes conjurationis erant, paratis, ut videbantur, magnis copiis, constituerant [2], uti, Catilina in agrum Fæsulanum quum venisset, L. Bestia [3] tribunus plebis, concione ha-

2. *In ulteriore Gallia.* Sic scripsimus post Cortium, Bip. et recentiores optimæ notæ edd. Nam veteres, et MSS. omnes habent *citeriore.* Atqui, teste Cicerone, in Cat. II, 12; teste ipso Sallustio, supra XXX, in agrum Picenum, qui est pars Italiæ, præmissus fuerat Q. Metellus Celer. Caium vero Murenam in Transalpina Gallia legatum tunc temporis fuisse testatur idem Cicero, pro L. Murena XLI. Manifestus igitur est error librarii alicujus, qui scripserit *citeriore*, et quem omnes deinceps sequuti fuerint.

3. *C. Murena.* Is frater erat L. Murenæ, consulis designati. Per *e*, non *æ*, scribi testatur Cort. in MSS.

4. *Legatus præerat.* Legatus proprie dicebatur qui consulis, proconsulis, aut imperatoris, seu in copiis ducendis, seu in administranda provincia, vicem gerebat; gallice, *lieutenant.* Sic in bello Catilinario Petreius Antonio consuli legatus fuit; sic Cn. Pompeio adversus piratas bellum gerenti legati fuere ad quindecim (*Plut. in Pompeio*), qui illius jussa exsequerentur. Sed et *leguti* quoque nonnunquam dicti sunt, qui pacatæ provinciæ ipsi, populi romani nomine, præessent, nec ullum supra se magistratum aut imperatorem haberent.

Cap. XLIII. 1. *At Romæ Lentulus.* Narravit modo Sallustius quid extra Romam fieret, post discessum Catilinæ. Nunc redit ad urbem, et quæ fuerint consilia conjuratorum exponit. Scil. postquam sat multos homines in societatem sceleris pellexisse sibi visus fuerat Lentulus (vide cap. XXXIX, circa finem); tum constituerat ut, quum Catilina cum exercitu foret in agro Fæsulano, L. Bestia tribunus plebis in Ciceronem inveheretur, in eumque concitati civilis belli crimen conferret; quæ L. Bestiæ concio, urbanæ cædis et incendii signum esse debebat.

2. *Constituerant.* Nota hanc dicendi formam: Lentulus cum ceteris *constituerant.* Sic Liv., XXI, 60: « Ipse dux, cum aliquot principibus, *capiuntur.* » Et quidem, *Lentulus cum ceteris*, idem est ac, *Lentulus et ceteri.*

3. *L. Bestia.* Is, teste Plutarcho in vita Ciceronis, creatus erat in annum proximum tribunus plebis. Tribuni vero magistratum inibant die decembris decimo, ut docet Livius, XXXIX, 52.

bita, quereretur de actionibus Ciceronis [4], bellique gravissumi invidiam optumo consuli imponeret [5]; eo signo, proxuma nocte [6] cetera multitudo conjurationis suum quisque negotium exsequerentur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur: Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent [7], quo

4. *De actionibus Ciceronis.* De rebus quas Cicero gesserat. Eodem sensu occurrit vox *actiones*, apud Ciceronem tum alibi, tum in ep. 10, ad Appium, lib. III: « Qua denique facilitate, qua humanitate tulit [Pompeius] contentionem meam pro Milone, adversante interdum *actionibus* suis! »

5. *Invidiam optumo consuli imponeret.* Invidia et odio publico Ciceronem premeret, quasi, pulso urbe Catilina, gravissimi belli flammam accendisset. Magna vis est verbi *imponeret:* prægrave nimirum *onus* invidia et odium populi. Nec vero susceptam Ciceronem insectandi provinciam reliquit Bestia; sed mortuis jam conjuratis insectatus est, ut narrat Plutarchus, loco citato. Et ipse Cicero, pro Sextio, V, testatur *novos* tribunos plebis, *extremis consulatus sui diebus*, res quas gesserat, vexare et labefactare voluisse. Qui locus, cum Plutarcho comparatus, abunde confirmat, contra Cortium et quosdam alios, suscipere tunc temporis, non deponere tribunatum L. Bestiam. — *Optumo consuli.* Putavere nonnulli verba hæc non ex animo laudantis, imo suam consuli gloriam pene detrectantis esse; nihil enim de tanto viro posse dici frigidius. Et quidem, quum Brutus, in suo de laudibus Catonis libro, Ciceronem *optimum consulem* vocavisset, hæc ipse Tullius ad Atticum, XII, 21, scribebat: « Hic autem se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit *optimum consulem.* Quis enim jejunius dixit inimicus? » Neque alibi, in toto hoc opere, Ciceronem laudat Sallustius, nisi quod, cap. XXXI, *luculentam et utilem* dixit orationem ejus. Ceterum æquum est hic animadvertere, historiam scribi, non laudationem; ideo factis ipsis laudari Tullium; *optimumque* non magis *honoris causa* vocari, quam veritatis. Quod nisi esset, quid ἐπίθετον addere Sallustium cogebat? Honos ergo illi consuli habeatur, quem optimum dixerit vel inimicus!

6. *Proxuma nocte.* Noctem unam ex saturnalibus perpetrandæ rei destinatam fuisse tradunt Plutarchus, ubi supra, et Cicero in Catil. III, 4. Saturnalia autem incipiebant celebrari die XVII decembris; ita ut paucis post initum tribunatum diebus, Bestia concionem illam habiturus esset. Sed quinto ejusdem mensis die, supplicio affecti sunt conjurati.

7. *Duodecim simul opportuna loca urbis incenderent.* Differt de numero locorum Plutarchus, in Cicerone. *Centum,* inquit, viri ad singulas urbis partes singuli destinati, ut certis intervallis simul accensa urbs undique conflagraret; alii ordinati, qui aquæ ductus obturarent, et aquam petentes necarent.

tumultu facilior aditus ad consulem ceterosque, quibus insidiæ parabantur, fieret; Cethegus Ciceronis januam obsideret, eum vi aggrederetur, alius autem alium; sed filii familiarum[9], quorum ex nobilitate maxuma pars, parentes interficerent; simul, cæde et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent. Inter hæc parata[10] atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum: illos dubitando et dies prolatando[11] magnas opportunitates corrumpere; facto, non consulto, in tali periculo opus esse; seque, si pauci adjuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promtus, maxumum bonum in celeritate putabat.

XLIV. Sed Allobroges ex præcepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt: ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant jusjurandum, quod signatum ad civis perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Ceteri nihil suspicantes dant[1]; Cas-

9. *Filii familiarum.* Sic fere Galli dicimus, *des fils de famille.* Sed plurali numero usus est Sallustius, nos semper singulari, etiamsi de pluribus familiis agatur. Sed quo grammaticæ nugæ, inter tantam rerum atrocitatem?

10. *Parata.* Gladii enim, stupa, sulphur, ceteraque tum ad cædem, tum ad incendium opportuna, in Cethegi domum comportata fuerant. V. Plutarch. l. c.

11. *Dies prolatando.* Roma enim profectus erat Catilina nono die novembris, diemque incendendæ urbi definierant XVII decembris. Itaque *Cethego nimium id longum videri, et hanc ei cum ceteris controversiam fuisse* ait Cicero in Catil. III, 4. Atque etiam quæri possit, quomodo tam longa mora cum his congruat, quæ paulo supra dixit noster: *Catilina in agrum Fæsulanum quum venisset...* Ergone tanti temporis iter fuit in Etruriam? Minime quidem; et ob id ipsum simpliciter dixit, *quum venisset;* non *statim ut venisset.* Nam aliquot absumi dies necesse fuit, dum Lentulus socios et adjutores sibi Romæ compararet, et ipse Catilina, vires undique colligendo, Fæsulanas copias in speciem justi exercitus augeret. Atqui tertio die decembris, vigesimo quarto post discessum Catilinæ, oppressa est conjuratio, deprehensique conjurati. Frustra igitur vult Cortius alium diem cædis initio constitutum fuisse, deinde usque ad saturnalia dilatum; quum hunc saturnalium diem, jam ante initium decembris, designatum fuisse constet.

CAP. XLIV. 1. *Ceteri nihil suspicantes dant.* Confer Ciceronem,

sius semet eo brevi venturum pollicetur, ac paullo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his T. Volturcium quemdam Crotoniensem mittit; uti Allobroges, prius quam domum pergerent, cum Catilina, data et accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Volturcio literas ad Catilinam dat, quarum exemplum[2] infra scriptum:

« Quis sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum; consideres, quid tuæ rationes postulent: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis[3]. »

Ad hoc mandata verbis dat[4]: « Quum ab senatu hostis judicatus sit, quo consilio servitia repudiet? in urbe parata esse, quæ jusserit; ne cunctetur ipse propius accedere. »

XLV. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco[1] et C. Pomtino prætoribus imperat, uti in ponte Mulvio[3] per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur; cetera, uti facto opus sit, ita agant[4]. Homines militares[5],

in Cat. III, 5: « Tabellas proferri jussimus, quæ a quoque dicebantur datæ, etc. »

2. *Quarum exemplum.* Eodem sensu, sed non iisdem omnibus verbis, relatum legas apud Ciceronem, loco citato: « Qui sim, ex eo quem ad te misi, cognosces. Cura ut vir sis, et cogita quem in locum sis progressus, et vide quid jam tibi sit necesse. Cura ut omnium tibi auxilia adjungas, etiam infimorum. »

3. *Etiam ab infimis.* His verbis indicat, ne servorum quidem operam repudiandam esse.

4. *Mandata verbis dat.* Mandat Vulturcio, sed verbis tantum, ut Catilinam interroget *quo consilio etc.*

Cap. XLV. 1. *L. Valerio Flacco.* Eadem omnino narrat Cic. in Cat. III, 2; qui locus conferatur. Valerius ille Flaccus a Valerio Publicola regum expulsore originem ducebat. Pro eo habita est Cic. oratio, quæ pro L. Flacco inscribitur.

2. *C. Pomtino.* Ille ex urbe Pometia oriundus, post præturam in Gallia transalpina C. Murenæ successit. Deinde Ciceronis in Cilicia legatus fuit.

3. *Mulvio.* Antiquum, pro *Milvio.*

4. *Ita agant.* Supple: *permittit*, quod etiam addit Cortius. Sed glossema certe est, et melius subauditur.

5. *Homines militares.* Flaccus et

sine tumultu præsidiis collocatis [6], sicuti præceptum erat, occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Volturcio venere, et simul utrimque clamor exortus est; Galli, cito cognito consilio [7], sine mora prætoribus se tradunt. Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio se a multitudine defendit; dein, ubi a legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomtinum obtestatus, quod ei notus erat; postremo [8] timidus, ac vitæ diffidens, veluti hostibus, sese prætoribus dedit.

XLVI. Quibus rebus confectis [1], omnia propere per nuncios consuli declarantur. At illum ingens cura atque lætitia simul occupavere. Nam lætabatur, conjuratione patefacta, civitatem periculis ereptam esse; porro autem anxius erat, in maxumo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus esset; pœnam illorum sibi oneri [2],

Pomtinus, homines rei militaris periti.

6. *Præsidiis collocatis.* Militibus ex utraque pontis parte dispositis. Nam « eodem, inquit Cic. in Cat. III, 2, et ipsi sine cujusquam suspicione multos fortes viros eduxerunt; et ego ex præfectura Reatina complures delectos adolescentes, quorum opera utor assidue in reipublicæ præsidio, cum gladiis miseram. »

7. *Cito cognito consilio.* Putsch. et post eum Bip. delent *cito*, quod retinet Cortius. Tres omnino voces damnat Gruterus: quippe Gallos, noctem, qua proficiscerentur, ideo indicavisse consuli, ut deprehenderentur. Nos, talium interpretum pace, dixerimus tres voces, non unam minus, nobis necessarias videri. Cur enim se tradiderunt Allobroges? Quia ubi impetus in eos factus est, *consilium statim cognoverunt*, id est, *intellexerunt*; sciebant enim se deprehensum iri. Jam vero si tantum dixisset Sallustius, *cognito consilio*, quærere potuisset aliquis an *incognitum* huc usque, tum demum *cognovissent*. Addit igitur, *cito*, ut sciat lector rem eos per se *statim* intellexisse, non ab aliis didicisse.

8. *Volturcius primo....; dein....; postremo, etc.* Primo strenue pugnat; deinde salutem precatur; denique sine conditione se dedititium tradit.

Cap. XLVI. 1. *Quibus rebus confectis.* Hæc gesta sunt ea nocte, quæ est inter secundum et tertium diem decembris.

2. *Sibi oneri.* Scilicet invidiam factiosorum hominum in se concitatum iri. Itaque ipse scribit in libro I, de Orat. I: « Et consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen; et hoc tempus omne post consulatum objecimus iis fluctibus qui, per nos a communi peste depulsi, in nosmetipsos redundarunt. »

impunitatem perdundæ reipublicæ [3] fore. Igitur confirmato animo, vocari ad sese jubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, item Q. Cœparium quemdam Terracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. Ceteri sine mora veniunt: Cœparius paullo ante domo egressus, cognito indicio, ex urbe profugerat. Consul Lentulum, quod prætor erat, ipse manu tenens [4] perducit [5]; reliquos cum custodibus in ædem Concordiæ [6] venire jubet. Eo senatum advocat, magnaque frequentia ejus ordinis, Volturcium cum legatis [7] introducit: Flaccum prætorem scrinium cum literis [8], quas a legatis acceperat, eodem adferre jubet.

XLVII. Volturcius, interrogatus de itinere, de literis, postremo quid, aut qua de caussa [1], consilii habuisset, primo fingere alia [2], dissimulare de conjuratione; post

3. *Perdundæ reipublicæ.* In genitivo, quemadmodum in fine cap. VI: « Quod conservandæ libertatis atque augendæ reipublicæ fuerat. » Habent etiam codd. a Cortio laudati, *perdundæ reipublicæ* caussam *fore.* De hac diversorum casuum conjunctione, vide notam ad cap. XXXIII.

4. *Ipse manu tenens.* Honoris causa, dum ceteros, utpote minoris dignitatis, custodibus traderet.

5. *Perducit.* Sc. in ædem Concordiæ, quo senatum advocabat.

6. *Concordiæ.* Pulcherrimum Concordiæ templum fuit, in eo montis Capitolini latere, quod forum spectat. Hoc templum, cujus nunc etiam exstant octo columnæ, initio voverat condideratque dictator Furius Camillus, ob restitutam, plebem inter et senatum, concordiam; restauraverat deinde et ornaverat L. Opimius, post C. Gracchi necem. In hoc templo, quod in media fere urbe positum esset, sæpe senatus habebatur. Plura vide in gallicis notis Cl. V. *De Brosses.*

7. *Volturcium cum legatis.* Narrat ipse Cicero in Cat. III, 4, se primo Vulturcium sine Gallis, deinde ipsos Gallos introduxisse.

8. *Scrinium cum literis.* Scrinium, hoc loco, est capsula servandis gerendisque tabellis seu epistolis. Cicero pro Flacco XL, « Tu tum, Flacce, prætor, communis exitii nuntios cepisti; tu inclusam in litteris reipublicæ pestem deprehendisti; tu periculorum indicia, tu salutis auxilia ad me et ad senatum attulisti. » Quod propter admirandam vim splendoremque verborum huc adscripsimus.

CAP. XLVII. *Quid aut qua de caussa.* Quid consilii habuisset, aut qua de causa habuisset.

2. *Fingere alia.* Scilicet alia quam quæ ad conjurationem pertinebant.

ubi fide publica [3] dicere jussus est, omnia, uti gesta erant, aperit : se paucis ante diebus a Gabinio et Cœpario socium adscitum, nihil amplius scire, quam legatos; tantummodo audire solitum [4] ex Gabinio, P. Autronium, Servium Sullam, L. Vargunteium, multos præterea in ea conjuratione esse. Eadem Galli fatentur; ac Lentulum dissimulantem coarguunt, præter literas, sermonibus, quos habere solitus : « ex libris Sibyllinis [5] regnum Romæ tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea [6]; se tertium, cui fatum foret urbis potiri [7]; præterea [8] ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem sæpe ex prodigiis haruspices [9] respondissent bello civili cruen-

3. *Fide publica.* Dedit ei Cicero fidem publicam, jussu senatus; sive pollicitus est, reipublicæ nomine, ei impune fore, dummodo verum confiteretur.

4. *Audire solitum.* Sæpius audivisse. Totus hic locus conferatur cum Cic. in Cat. III, 4, qui fidem historici nostri abunde confirmat.

5. *Libris Sibyllinis.* Sibyllas vocavit antiquorum superstitio mulieres quasdam oracula canere solitas, quas decem Varro fuisse dicit. Ignota vero mulier, quæ harum una fuisse credita est, Tarquinio Superbo (alii dicunt Prisco) tres libros Sibyllarum vaticinia complectentes vendidisse narratur. Qui libri in subterranea templi capitolini cella, per nobilissimos custodes religiose asservati, in publicis calamitatibus, aut ubi quid portenti eveniret, consulebantur. Incenso paulo ante Syllæ dominationem Capitolio, quum libri quoque periissent, alia Sibyllarum oracula ex omnibus imperii vicinarumque nationum regionibus conquisita et collecta, amissorum vicem obtinuerunt. Vide Dionys. Hal. lib. IV : Gellium I, 19; item Plinium XIII, 13, qui unum duntaxat librum vendidisse Tarquinio Sibyllam refert.

6. *Cinnam atque Sullam antea.* Sc. regnum habuisse. Cinna Marium exulem ex Africa revocavit, et cum eo urbe potitus, illam cædibus et rapinis vastavit. Uterque, Cinna et Sylla, e gente Cornelia fuerant, ex qua et ipse Lentulus.

7. *Urbis potiri.* Sic dicitur *rerum potiri*, cum genitivo; quod non mireris, si resolvas *potiri* in *potentem esse;* ut apud Virg. Georg. I, 27 : *tempestatumque potentem*, id est, *dominum*. Sed sæpissime quoque dicitur *urbe potiri*.

8. *Præterea, etc.* Vide Cicer. in Cat. III, 4.

9. *Haruspices.* Vel sine aspiratione, *aruspices*, e victimarum extis futura prædicebant. Tres a Romulo constituti sunt; deinde, ut ceterorum sacerdotum, numerus auctus. Hi minori dignitate quam *augures* fuere, compluresque etiam suam operam privatis vili pretio locabant. Sic dicti plerisque videntur, quod

tum fore. » Igitur perlectis literis, quum prius omnes signa sua [10] cognovissent, senatus decernit, uti abdicatus magistratu [11] Lentulus, item ceteri in liberis custodiis [12] haberentur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri [13], qui tum ædilis [14], Cethegus Q. Cornificio [15], Statilius C. Cæsari, Gabinius M. Crasso [16], Cœparius (nam is paullo ante ex fuga retractus) Cn. Terentio [17] senatori traduntur.

XLVIII. Interea plebes, conjuratione patefacta, quæ primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente, Catilinæ consilia exsecrari, Ciceronem ad cœlum tollere [1]; veluti ex servitute erepta gaudium atque lætitiam

hostiam in *ara inspicerent*. Ceterum *Haruspicis* eamdem esse quam *Harioli* radicem animadverte.

10. *Signa sua*. Gallice, *leurs cachets*, *leurs sceaux*.

11. *Abdicatus magistratu*. Alii legunt, *abdicato magistratu*. Et utrumque convenit romanæ linguæ ingenio. Sed si cum Cortio legimus *abdicatus*, facilius intelligitur demptum ei esse magistratum, non sponte depositum ab ipso.

12. *In liberis custodiis*. Rei nobiliores ante judicium custodiendi seu magistratibus, seu etiam privatis tradebantur. *Libera* dicitur hujusmodi custodia, quia *sine vinculis* asservabantur. Ideo et Plutarchus vocat ἄδεσμον φυλακήν. Exempla petantur apud Livium XXXIX, 14; Tacitum, Ann. VI, 3; Sueton. in Vitellio, 11.

13. *P. Lentulo Spintheri*. Is Spinther cognominatus est, quia Spintheri cuidam histrioni ore simillimus. Consul fuit anno 697, cum Metello Nepote, qui alterum histrionem Pamphilum, mirum in modum, vultu referebat; (Val. Max. IX, 14, 4. Plin. VII, 12.) Spinther omnes opes consulatus sui ad revocandum exilio Ciceronem contulit. In bellis civilibus Pompeium, Cæsare interempto Brutum et Cassium sequutus est, ibi semper visus, ubi jus et libertas erat.

14. *Ædilis*. Errant igitur Plutarchus et Appianus, qui reos *prætoribus* traditos fuisse dicunt.

15. *Q. Cornificio*. Hic est qui consulatum petens cum Cicerone, repulsam tulerat. Neque hic prætor illo anno fuit. Nam præturam inter et petitionem consulatus tempus aliquod interfuisse necesse est.

16. *C. Cæsari... M. Crasso*. Magnæ enimvero sapientiæ fuit, his etiam conjuratos custodiendos dare, quamvis nonnihil suspicionis ad eos quoque perveniret. Sic bonos et fideles credere simulando, bonos esse et fideles coegit senatus. Sic Ciceronem de Cæsare loquentem inducit, *Volt.*, *Rome sauvée*, act. V, sc. 3:

Je l'enchaîne à l'état en me fiant à lui.

17. *Cn. Terentio*. Is anno posteriore prætor fuit.

CAP. XLVIII. 1. *Ad cœlum tollere*. E senatu egressus, nocte jam appropinquante, eam orationem habuit Cicero, quæ tertia est in Catilinam; et qua rerum omnium, quæ

agitabant. Namque alia belli facinora prædæ magis [2] quam detrimento; incendium vero crudele, immoderatum [3], ac sibi maxume calamitosum putabat; quippe cui omnes copiæ [4] in usu quotidiano [5] et cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum aiebant. Is quum se diceret indicaturum de conjuratione, si fides publica data esset; jussus a consule, quæ sciret, edicere, eadem fere, quæ Volturcius, de paratis incendiis, de cæde bonorum, de itinere hostium senatum edocet: præterea se missum a M. Crasso, qui Catilinæ nunciaret, ne Lentulus, Cethegus, alii ex conjuratione deprehensi terrerent [6]; eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperentur. Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, summa potentia; alii, rem incredibilem rati; pars, tametsi verum existumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis [7] leniunda magis, quam exagitanda videbatur; plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii [8], conclamant indicem fal-

gestæ sunt, populo rationem reddit. Tunc cognovit plebes quanto periculo erepta fuisset; eumque virum summis laudibus extulit, quem mox ob eamdem causam in exilium erat ejectura!

2. *Prædæ magis.* Prædam magis quam detrimentum sibi allatura putabat.

3. *Immoderatum.* Omnem modum excedens. Scilicet interficere, rapere, prædari, id plebi non admodum displicuisset; urbem vero incendere, hoc erat ultra modum progredi, quia neque pauperibus flamma parceret.

4. *Omnes copiæ.* Omnia vitæ subsidia, omnes opes et facultates.

5. *In usu quotidiano.* In iis quibus quotidie utuntur, nempe domus supellectili et artium instrumentis. — *Cultu corporis.* Vestitu. De his omnibus consule Cicer. in Cat. IV. 8.

6. *Ne... terrerent.* Scilicet Catilinam. Ne ille desponderet animum, quia nonnulli conjurati deprehensi fuerant.

7. *Tanta vis hominis.* Homo tantis pollens viribus. At vero, jam prope est ut dominum agnoscat ea civitas, in qua civis est aliquis, quem leniendum potius quam plectendum censeant, vel qui nocentem credunt.

8. *Ex negotiis privatis obnoxii.* Nempe quos pecunia vel mutuo data, vel gratis suppeditata, vel aliis officiis Crassus sibi devinxerat, obnoxiosque fecerat.

sum, deque ea re postulant uti referatur[9]. Itaque, consulente Cicerone, frequens senatus[10] decernit: « Tarquinii indicium falsum videri, eumque in vinculis retinendum, neque amplius potestatem[11] faciundam, nisi de eo indicaret, cujus consilio tantam rem mentitus esset. » Erant eo tempore, qui æstumarent, illud a P. Autronio machinatum[12], quo facilius, appellato[13] Crasso, per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret. Alii Tarquinium a Cicerone immissum aiebant, ne Crassus, more suo[14], suscepto malorum patrocinio rempublicam conturbaret. Ipsum Crassum ego postea prædicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam[15].

XLIX. Sed[1] iisdem temporibus Q. Catulus[2] et C.

9. *De ea re... uti referatur.* Consulatur senatus verumne an falsum indicium videatur.

10. *Frequens senatus.* Senatores, qui frequentes, id est, magno numero convenerant.

11. *Potestatem.* Supple *indicandi.*

12. *Machinatum.* Confictum. Nota participium hoc passive sumptum, quamvis *machinor* active dicatur.

13. *Appellato.* Accusato, in causam vocato. Eodem sensu usurpatum est verbum *appellare* in hoc Ciceronis loco de Officiis, 1, 25: « Cavendum est etiam,... ne iisdem de causis alii plectantur, alii ne *appellentur* quidem. »

14. *More suo.* Narrat Plutarchus, in vita Crassi, quum Pompeius persæpe, et Cæsar, et Cicero nonnullas causas tanquam se indignas repudiarent, earum patrocinium suscipere solitum fuisse Crassum, ideoque magnam sibi apud populum gratiam conciliavisse, quod suæ vocis auxilium nulli petenti recusaret.

15. *Impositam.* Eodem sensu Liv. IV, 32: « Qui *talem* dictaturæ suæ *imposuerint.* » *Impositam* vero dixit, non *iniustam*, quia falsa contumelia *imponi* tantum et injici alicui potest, non *inuri* et adhærescere.

Quod ad rem ipsam attinet, dixit Sallustius, supra XVII: « Fuere ea tempestate qui crederent M. Licinium Crassum non ignarum ejus consilii fuisse. » Idem narrat Plut. in vita Crassi; huncque addit Tullio fuisse inimicum, quod crederet ab eo subornatum esse quemdam e conjuratis, qui ipsum falso nominaret. Quæ inimicitia ne palam erumperet, impedimento fuit Pub. Crassus, Marci filius, qui, quod esset philosophiæ studiosissimus, ideo Ciceronem vehementer diligebat.

CAP. XLIX. 1. *Sed.* Hac particula ad excusandum Ciceronem uti videtur Sallustius, quasi diceret: Hæc de Crasso, verane an falsa, accepimus. *Sed* de Cæsare compertum est nulla ratione impelli potuisse Ciceronem, ut eum inter conjuratos nominari juberet.

2. *Q. Catulus.* Q. Lutatius Catulus, qui consul fuerat cum M.

Piso[3] neque gratia, neque precibus, neque pretio Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges, aut alium indicem C. Cæsar falso nominaretur[4]. Nam uterque cum illo graves inimicitias exercebant : Piso oppugnatus[5] in judicio repetundarum, propter cujusdam Transpadani[6] supplicium injustum ; Catulus ex petitione pontificatus[7] odio incensus, quod extrema ætate, maxumis honoribus usus,

Æmilio Lepido, A. 676; tunc autem erat princeps senatus. Non dubitat V. Cl. *De Brosses* Sallustium mendacii arguere, quod spectatissimæ probitatis virum ad has pessimas artes, Cæsaris perdendi causa, descendisse insimulat : neque enim tale quidquam narrare Plutarchum, qui tantummodo dicit, in Cæsare, Catulum et Pisonem culpam Ciceronis postea reprehendisse, qui, in vindicando conjuratorum scelere, Cæsari pepercisset tot indiciis accusato. Sed amicus Cæsari Sallustius eum invidioso crimine purgare quacumque ratione quærit. Et quidem adhuc dubium est an Cæsar particeps conjurationis fuerit. Testatur quidem, in vita Crassi, Plutarch. hoc scelus Crasso et Cæsari nominatim objecisse Ciceronem in aliqua oratione, quæ tamen post utriusque mortem vulgata est, nec ad nos pervenit. Et ipse Cicero satis aperte declarat, quid de Cæsare sibi videatur, de Offic. II, 24 : « At vero hic noster victor (Cæsar) RUNC quidem victus, *quæ cogitarat* (de *tabulis novis* agitur, quas sociis Catilina promiserat), tum ea perfecit, quum ejus jam nihil interesset. » Verissima porro conjectura est Cæsarem, si ipse cum Catilina non conjuraverit, at saltem Catilinæ consilia cognovisse, eisque favisse, si conjuratio valuisset, belli civilis spolia erepturum. Huic sententiæ suffragatur scriptor in omni genere litterarum, sed in tragœdia præsertim excellens *Voltaire*, *Rome sauvée*, act. II, sc. 3.

CÉSAR.

J'ai pesé tes projets ; je ne veux pas leur nuire ;
Je peux leur applaudir ; et n'y veux point entrer.

CATILINA.

J'entends ; pour les heureux tu veux te déclarer.
Des premiers mouvements spectateur immobile,
Tu veux ravir les fruits de la guerre civile ;
Sur nos communs débris établir ta grandeur.

3. *C. Piso.* C. Calpurnius Piso, qui consul fuerat A. 687, et postea in Gallia citeriore proconsul, ut ex Cicerone notum est, ad Att. I, 1.

4. *Nominaretur.* Narrat Suetonius, cap. XVII, Cæsarem, anno sequente, inter conjuratos nominatum fuisse a Curio in senatu, et a L. Vettio apud Novium Nigrum quæstorem, sed indicio creditum non fuisse.

5. *Oppugnatus.* Scilicet a Cæsare. Nam redux e Gallia C. Piso repetundarum reus factus est, et a Cicerone tum consule defensus, ut patet ex Cic. oratione pro L. Flacco, XXXIX. Piso judicio liberatus est.

6. *Transpadani.* Galli trans Padum incolentis, respectu Romæ. De hujus hominis supplicio nihil in scriptoribus reperitur. Nam quod narrat *De Brosses*, ex Seneca, (de Ira I, 16), de alio Pisone intelligi debet.

7. *Ex petitione pontificatus.* Ex quo tempore una cum Cæsare pontifi-

ab adolescentulo Cæsare [8] victus discesserat. Res autem opportuna [9] videbatur; quod privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo, atque ementiundo, quæ se ex Volturcio aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant; usque eo, ut nonnulli equites romani, qui præsidii caussa cum telis erant circum ædem Concordiæ, seu periculi magnitudine, seu animi nobilitate [10] impulsi, quo studium suum in rempublicam clarius esset, egredienti ex senatu Cæsari gladio minitarentur [11].

L. Dum hæc in senatu aguntur [1], et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, præmia decernuntur; liberti, et pauci ex clientibus Lentuli, diversis itineribus opifices atque servitia in vicis [2] ad

catum petierat. Narrant enim in Cæsaris vita Plutarch. et Suetonius, mortuo Metello pontifice maximo, Cæsarem, non sine profusissima largitione, pontificem creatum esse, posthabitis clarissimis viris et multum ætate superantibus Q. Catulo et Servilio Isaurico. Id ipso anno conjurationis factum est.

8. *Ab adolescentulo Cæsare.* Qui vixdum XXXVII annos natus, cum Catulo comparatus, adolescens videri poterat.

9. *Res... opportuna.* Ipsa res opportunam Cæsarem accusandi occasionem præbere videbatur, quod ille, tum *egregia* in privatos *liberalitate*, tum magnificentia in publicis *muneribus*, id est, ludis, qua, teste Plutarcho, omnes ædiles superavit, æs alienum grande conflaverat, ideoque novarum rerum, et novarum præsertim tabularum, appetens esse credebatur. Vocat autem Sallustius *egregiam liberalitatem*, quod magis vere Suetonius, *profusissimam largitionem.*

10. *Animi nobilitate.* Excelsitate, magnitudine. Eodem sensu apud Ovid. Metam. VII, 44:

Non ea nobilitas animo est, ea gratia formæ,
Ut timeam fraudem.

11. *Gladio minitarentur.* Hoc factum est eo die quo damnati sunt conjurati. In senatu sedenti hoc Cæsari accidisse narrat Suetonius, cap. XIV. Sed Plutarchus, in Cæsare, cum Sallustio consentit.

CAP. L. 1. *Dum hæc aguntur.* Omnia hæc trium dierum spatio gesta sunt: tertio ante nonas decembris, deprehensi et in custodiam traditi duces conjurationis; pridie nonas præmia indicibus decreta; nonis vero (5 decembr.) conjurati affecti supplicio. Vide Cic. in Cat. IV, 3.

2. *In vicis. Vicus* est via in urbe, e græco οἶκος, domus, quia sit *series domorum.*

eum eripiendum[3] sollicitabant; partim[4] exquirebant duces multitudinum[5], qui pretio[6] rempublicam vexare soliti. Cethegus autem per nuncios familiam[7] atque libertos suos, lectos et exercitatos in audaciam, orabat, grege facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi eâ parari cognovit, dispositis præsidiis, uti res atque tempus monebat, convocato senatu refert[8], quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. Sed eos paullo ante frequens senatus judicaverat contra rempublicam fecisse[9]. Tum D. Junius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore[10]

3. *Eripiendum*. Sc. e custodia. Docet Cicero in Cat. IV. 8, quamvis sollicitati sint animi egentium atque imperitorum, nullos inventos esse tam fortuna miseros aut voluntate perditos, qui non pacem et otium maluerint. Appianus tamen narrat ipsis nonis decembribus, quum senatus de supplicio conjuratorum deliberaret, magnum motum prope curiam factum esse ab opificum turba, qui in domos, ubi custodiebantur, irrumpere tentabant; egressumque foras Ciceronem, sedato tumultu, rediisse in senatum, ut reorum damnationem urgeret.

4. *Partim*. Id est, *pars*, seu *alii exquirebant*. *Partim* proprie est vetus vocabuli *pars* accusativus. Pro adverbio usurpari cœpit in hujuscemodi locis, ubi accusativi sensum retinet: « Quum amici *partim* deseruerint me, *partim* etiam prodiderint. » Cic. I, ad Q. Fratrem, 3. Deinde ad nominativi etiam usum translatum est; ut hic et in Jug. XL: *Huic rogationi partim* (id est *alii*) *conscii sibi*, *etc*. Cujusmodi alia permulta, et in nostro, et in Cicerone, exempla occurrunt. Ceterum, de toto hoc vide Gellium X, 13.

5. *Duces multitudinum*. Nota *multitudinum*, non *multitudinis*, quod alium sensum efficeret. Duces multitudinum iidem sunt, quos Liv. III, 68, *turbarum ac seditionum duces* vocat. Gallice, *chefs d'attroupements*.

6. *Pretio*. Accepta ab hominibus potentioribus, ad turbas concitandas vexandamque rempublicam, pecunia.

7. *Familiam*. Servos.

8. *Refert*. Deliberandum proponit. Solemne est verbum *referre* pro eo quod gallice dicimus, 1° *faire un rapport*; 2° *mettre en délibération*; 3° *faire une proposition*. Sed prima et propria vis, unde etiam alii sensus derivantur, est, ut vox ipsa indicat, *faire un rapport*.

9. *Contra rempublicam fecisse*. Hac formula uti solebat senatus, ubi quid factum fuerat, quo quietus civitatis status turbaretur. Cujus rei aliud quid exemplum habere si velis, vide Cic. pro Milone, V et VI.

10. *Quod eo tempore*, *etc*. Solebat primus sententiam dicere, nondum electis anni sequentis consulibus, princeps senatus. Quum vero aderat consul designatus, hic primus sententiam rogabatur, sive honoris

consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur, præterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent [11], supplicium sumendum [12] decreverat: isque postea, permotus oratione C. Cæsaris, pedibus in sententiam Tiberii Neronis iturum [13] se dixerat; quod de ea re, præsidiis additis, referundum censuerat. Sed Cæsar [14], ubi ad eum ventum, rogatus sententiam a consule, hujuscemodi verba locutus est.

causa, sive quia sæpius ei exsequenda per suum consulatum incumbebant, quæ senatus anno priori decrevisset. De servato in rogandis sententiis ordine, vide *Adam, Antiquités romaines*, *Article* SÉNAT.

11. *Si deprehensi forent.* Scil. hi nondum in custodiis tenebantur.

12. *Supplicium sumendum.* Eos morte plectendos esse.

13. *Pedibus... iturum.* Postquam orationes aliquot in utramque partem habitæ fuerant, jubebat magistratus, qui senatui præerat, *discessionem fieri*, id est, a sede sua discedere, et in ejus partem *transire*, cujus sententiam quisque probabat. Hinc *pedibus ire in sententiam alicujus*, nihil aliud est quam eam probare; et qui ipsi non dicebant sententiam, sed ab alio dictam comprobabant, senatores *pedarii* vocabantur. Vide Plin. Ep. II, 11; Cic. ad Att. I, 19 et 20. A. Gell. III, 18. — *Tiberii Neronis;* qui fuit avus Tiberii imperatoris. Ille scilicet, teste Appiano, Bell. Civ. II, custodiendos reos censuerat, præsidiis additis ne eripi possent, donec Catilina debellaretur, negotiumque totum diligentius perpenderetur; quo facto, tum demum ad P. C. referendum esse.

14. *Sed Cæsar.* Non modo Silanus, sed et Murena, alter consul designatus, et multi consulares viri, (Cic. ad Attic. XII, 21) supplicio afficiendos censuerant. Solus dissenserat Tib. Claud. Nero. Quum vero Cæsar, prætor designatus, sententiam dixisset, plurimi senatores magna Cæsaris apud plebem auctoritate permoti, veriti sunt ne severius judicium atrocem Ciceroni invidiam conflaret; sollicitique et hæsitantes consulem aspiciebant. Tum Cicero divinam illam habuit orationem, quæ est quarta in Catilinam. Qua oratione non bene tamen confirmatis animis, plerique, ne excepto quidem fratre Ciceronis, in Cæsaris partes abibant; et ipse suam sententiam leniori interpretatione retractabat Silanus: *carcerem* scilicet, non *mortem*, quum *extremum supplicium* diceret, intellexisse.

In eo res erant, quum M. Porcius Cato, tribunus plebis designatus (Cic. pro Sextio, XXVIII), et post dies quinque magistratum initurus, vehementi et digna gentilitiæ virtutis oratione, sicarios parricidasque patriæ justo supplicio damnavit. Cujus sententiam sequutus est senatus. Vide Plut. in Cicerone, Cæsare et Catone Utic.; Sueton. in Cæs. XIV; Velleium, II, 35; Appianum de Bell. Civ. II; et denique

LI. « Omnes homines [1], patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos [2] esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt [3]; neque quisquam omnium lubidini simul et usui paruit [4]. Ubi intenderis ingenium [5], valet: si lubido possidet, ea dominatur; animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi, P. C., qui reges atque populi, ira aut misericordia impulsi, male consuluerint [6]; sed ea malo dicere, quæ majores nostri, contra lubidinem animi, recte atque ordine [7] fecere. Bello Macedonico [8], quod cum rege Perse [9] gessimus, Rhodiorum

gallicum commentarium Cl. V. *De Brosses*.

Cap. LI. 1. *Omnes homines*. Putat *De Brosses* has esse non easdem modo res, sed eadem etiam verba quæ dixit Cæsar. Et quidem narrat Plut. in Catone, celerrimos quosdam scriptores a Cicerone dispositos, qui signis quibusdam et notis brevibus, multarum litterarum vim habentibus, dicta omnia colligerent; quod initium fuit illius artis, quam *stenographiam* seu *tachygraphiam* vocamus. Ab his quidem excipi potuit et Cæsaris et Catonis oratio; nec dubium est quin Sallustius res omnes, quæ tum dictæ sunt, apprime cognoverit. Sed verba certe suo modo protulit. Nam primo, ex narrationibus Plutarchi in Catone, et Velleii, II, 35, constat quædam dixisse Catonem, tum laudandi Ciceronis, tum criminandi Cæsaris causa, quæ hic non leguntur. Adde quod *hujuscemodi verba, hujuscemodi orationem* dicendo, Sallustius non pollicetur *eadem omnia verba* se relaturum. Denique quis non hic quoque Sallustianum dicendi genus agnoscit? Sic igitur statuamus, nos sententias Cæsaris et Catonis, Sallustii autem verba ob oculos habere.

2. *Ab odio...vacuos*. Hæc Demosth. (de Chersoneso) imitari videtur: Ἐδει μὲν τοὺς λέγοντας ἅπαντας ἐν ἡμῖν, μήτε πρὸς ἔχθραν ποιεῖσθαι λόγον μηδένα, μήτε πρὸς χάριν.

3. *Officiunt*. *Officere* seu *obficere* dicitur, quidquid *ob oculos positum* impedimento est ne alia videamus.

4. *Usui paruit*. Nemo unquam libidini simul et utilitati inserviit.

5. *Intenderis ingenium*. Ingenii, quasi arcus, nervos intenderis.

6. *Male consuluerint*. Funesta consilia ceperint.

7. *Recte atque ordine* Secundum rectum legitimumque ordinem. Hæc verba sæpius conjunguntur, ut in Cic. pro Quint. VII: « Si hoc... recte atque ordine factum videtur. » Item pro Rosc. Am. XLVIII: « Laudabunt omnes, si recte et ordine judicaris. »

8. *Bello Macedonico*. Illo scilicet quod confecit Æmilius Paulus, A. U. 586; « Qui finis fuit, inquit Liv. XLV, 9, inclyti per Europæ plerumque, atque Asiam omnem, regni. »

9. *Rege Perse*. Dicitur et *Perseus*,

civitas [10], magna atque magnifica, quæ populi romani opibus creverat [11], infida atque advorsa nobis fuit; sed postquam, bello confecto, de Rhodiis consultum est, majores nostri, ne quis divitiarum magis, quam injuriæ caussa bellum inceptum diceret, impunitos dimisere [12]. Item bellis punicis omnibus, quum sæpe Carthaginienses et in pace, et per inducias, multa nefaria facinora fecissent; numquam ipsi per occasionem [13] talia fecere: magis, quid se dignum foret [14], quam quid in illis jure fieri posset [15], quærebant. Hoc idem vobis providendum est, patres conscripti, ne plus valeat apud vos P. Lentuli et ceterorum scelus, quam vestra dignitas; neu magis iræ, quam famæ consulatis. Nam si digna pœna pro factis eorum reperitur [16], novum consilium approbo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat [17], iis utendum censeo, quæ legibus comparata

Persei, abl. *Perseo;* et *Perses*, *Persis*, abl. *Perse;* et *Perses*, *Persi*, abl. *Persa;* (Gell. VII, 3). Hic ab Æmilio ductus in triumphum Romam cum liberis, Albæ, jussu senatus, asservatus est, et ibi mœrore confectus interiit.

10. *Rhodiorum civitas.* V. Livium, XLIV, 14; XLV, 20 et seq. Nec tamen Rhodii adversus Romanos arma ceperunt; sed, ut ait Velleius, I, 9: « Fidelissimi antea Romanis, tum dubia fide speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse visi sunt. »

11. *Quæ P. R. opibus creverat.* Accepta scilicet a Romanis, quos in bello adversus Antiochum adjuverant, magna parte Lyciæ et Cariæ. Liv. XXXVII, 55.

12. *Impunitos dimisere.* Bellum Rhodiis non intulerunt Romani; sed datas olim provincias eripuerunt. Leguntur in Gellio, VII, 3, fragmenta pulcherrimæ orationis, quam pro iis habuit in senatu Cato Major.

13. *Per occasionem.* Data occasione.

14. *Magis quid se dignum foret.* Sic fere Cicero, pro Rabirio Postumo, V: « Quid deceat vos, non quantum liceat vobis spectare debetis. » Et Val. Max. VI, 6: « Se tunc senatus, non eos quibus hoc præstabatur, aspexit. »

15. *In illis fieri posset.* Vulgo *in illos.* Vide notam ad cap. XI, *in civibus.*

16. *Nam si... reperitur.* Si aliqua pœna reperiri posset non minor eorum scelere, non recuso quin *novum consilium* probetis; id est, recedatis a more majorum, per quem non licet morte mulctare civem romanum.

17. *Sin... exsuperat.* Mira calliditas oratoris, qui ex ipsa sceleris magnitudine argumentum petit, quo levior irrogetur pœna, et atrocitatem facinoris in salutem nocentium convertit.

sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite atque magnifice casum reipublicæ miserati sunt [18]: quæ belli sævitia [19], quæ victis acciderent, enumeravere: rapi virgines, pueros; divelli liberos a parentium complexu; matres familiarum pati, quæ victoribus collibuissent; fana atque domos exspoliari; cædem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per deos immortales, quo illa oratio pertinuit? An, uti vos infestos conjurationi faceret? scilicet [20] quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet! Non ita est: neque cuiquam mortalium injuriæ suæ [21] parvæ videntur; multi eas gravius æquo habuere. Sed aliis alia licentia [22], patres conscripti. Qui demissi in obscuro vitam habent [23], si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna pares sunt: qui magno imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere [24]. Ita in maxuma fortuna [25],

18. *Miserati sunt.* Hunc miserationis locum egregie tractavit Cic. in Cat. IV. 6. Sed non hoc innuit Cæs.; nam post illum locutus est consul.

19. *Quæ belli sævitia.* Scil. dum geritur. — *Quæ victis acciderent.* Sc. post cladem. Putant alii vocem *sævitia* esse in sexto casu et ad verbum *acciderent* referri; alii intelligendum esse, *quæ belli sævitia* ESSET.

20. *Scilicet.* Ironice. Sensus est: Non certe eum oratio accendet, cujus iram non inflammavit tam atrox conjuratio.

21. *Injuriæ suæ.* Injuriæ quæ ipsi inferuntur. In toto hoc loco orator animos a proposita quæstione avocat, sic disserendo quasi omnes senatores irati atque infensi conjuratis essent. Sed hoc ipsum erat reipublicæ vulnus, quod nimis multi etiam faverent. Favebat et ipse Cæsar, quum, hæc quasi sapientiæ oracula proferendo, metumque famæ et futuræ hominum opinionis ostentando, senatum a justa severitate absterrebat.

22. *Aliis alia licentia.* Quod licet aliis, aliis non licet.

23. *In obscuro vitam habent.* Alii *vitam agunt.* Sed in librorum varietate, *habent* magis placet, quia *actionem* non indicat; dum contra *ætatem agere* mox dicuntur, qui imperio præditi, et ob id ipsum *actuosi* sunt.

24. *Eorum facta.... novere.* Sic Plin. Paneg. 83: « Habet hoc magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur. » Item Juvenalis, VIII, 140:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

25. *In maxuma fortuna, etc.* Præclara certe sententia, et digna quæ

minuma licentia est; neque studere [26], neque odisse, sed minume irasci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. Equidem ego [27] sic æstumo, patres conscripti, omnes cruciatus minores, quam facinora illorum esse; sed plerique mortales postrema meminere [28]; et in hominibus impiis sceleris obliti, de pœna disserunt, si ea paullo severior fuit. D. Silanum virum fortem atque strenuum, certe scio, quæ dixerit, studio reipublicæ dixisse, neque illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere. Eos mores [29], eam modestiam viri cognovi. Verum sententia ejus non mihi crudelis, (quid enim in tales homines crudele fieri potest?) sed aliena a republica nostra [30] videtur. Nam profecto aut metus, aut injuria [31] te subegit, Silane, consulem designatum [32], genus pœnæ novum decernere. De timore [33] supervacaneum est disserere, quum præsenti [34] diligentia

meliorem causam adjuvaret. Aliquid simile habet Seneca, de consolatione ad Polybium, XXVI: « Magna servitus est magna fortuna... Cæsari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. »

26. *Neque studere.* Nec ulli favere.

27. *Equidem ego.* Non compositum est, ut quidam falso putant, *equidem* ex *ego quidem;* quod si esset, hæ voces (*equidem ego*) non jungerentur. Sed *equidem* est *et-quidem;* ideoque non cum prima tantum singul. persona jungitur. Cicer. ad Attic. XIII, 26 : *equidem credibile non est.* Et infra, Sallust. : *possumus equidem.*

28. *Postrema meminere.* Ingens argumentum, cur victos clementer habeant, vel justissimi bellorum civilium victores. Sed hic res erat adhuc in discrimine, et ni acciperent mortem conjurati, dabant.

29. *Eos mores, etc.* Illius mores atque modestiam tales esse cognovi, ut in tanta re, neque amicitia neque odio moveatur.

30. *Aliena a republica nostra.* Contraria nostræ reipublicæ institutis videtur.

31. *Injuria.* Sceleris gravitas.

32. *Consulem designatum.* Non abundant hæ voces, ut putat Gruter. Multum enim intererat *consulis designati*, metum e republica tolli, affectis justa pœna sontibus; ideoque non senatoris tantum, sed mox futuri consulis animo dixisse sententiam videri potest.

33. *De timore.* Duo momenta elevat, quæ Silani sententiam ad severitatem inclinarunt. Primo timorem solvit, fingendo nihil esse timendum.

34. *Præsenti.* Vulgo *præsertim.* Quod non displicet. Sed Putsch. eruit e veteri codice, *præsenti*, quod etiam defendit Cortius, et sequitur

clarissumi viri consulis tanta præsidia sint in armis[35]. De pœna[36] possumus equidem dicere id, quod res habet: in luctu atque miseriis mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curæ[37] neque gaudio locum esse. Sed per deos immortales, quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? An, quia lex Porcia[38] vetat? At aliæ leges[39] item condemnatis civibus animam non eripi, sed exsilium permitti jubent. An, quia gravius est verberari, quam necari? Quid autem acerbum aut grave nimis in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia levius; qui convenit, in minore negotio[40]

Bipontinus editor. Est autem *præsens* diligentia, ea quæ ad defendendam rempublicam semper prompta atque parata sit.

35. *Tanta præsidia sint in armis.* Invidiose dictum in Ciceronem, quasi tantus media in urbe virium apparatus inutilis esset.

36. *De pœna.* Quæ scilicet tantam *injuriam* tantumque facinus sequi debet. Transitio est ad secundi momenti confutationem.

37. *Ultra neque curæ, etc.* Hocne credit, an se credere simulat Cæsar? nescio; certe dixit. Nam Cicero in Cat. IV. 4: « Alter (Cæsar) intelligit mortem a diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturæ, aut laborum ac miseriarum quietem esse. » Ceterum impiam hanc Cæsaris sententiam graviter reprehendit Cato, in sequenti oratione.

38. *Lex Porcia.* Lata anno U. C. 454, a tribuno plebis P. Porcio Læca, quæ civem romanum verberari aut necari vetabat. Liv. X, 9. Cic. pro Rabirio perduellionis reo, III et IV; in Verrem de suppliciis LXIII. — Porcius Læca, unus e conjuratis, e Porcii illius familia, ut monet cognomen, oriundus erat.

39. *At aliæ leges.* Docet Polyb. VI, apud romanos potestatem fuisse capitis accusatis, dum eorum fiebat judicium, unaque tribus supererat, quæ suffragia nondum tulisset, abeundi palam et in voluntarium secedendi exilium. Exulibus autem impune degere licebat Neapoli, Tibure, Præneste; item in aliis urbibus, quibus hoc jure fœdus intercedebat cum Romanis. Est etiam operæ pretium scire Valer. Publicolam (Livius II, 8); Valer. Potitum (Liv. III, 55); et M. Valerium (Liv. X, 9) leges tulisse, ne qui ad populum provocasset, eum virgis cædi securique necari liceret. Denique C. Gracchus (Plutarch. in Gracch.), tulit ne civis romanus, injussu populi, morte plecteretur, quæ lex Sempronia dicta est. Eam hic innuisse Cæsarem intelligere est, ex Cic. in Catil. IV, 5.

40. *In minore negotio.* Legem re-

legem timere, quum eam in majore neglexeris? At enim [41] quis reprehendet, quod in parricidas reipublicæ decretum erit? Tempus, dies, fortuna [42], cujus lubido gentibus moderatur. Illis merito accidet [43], quidquid evenerit; ceterum vos, patres conscripti, quid in alios statuatis [44], considerate. Omnia mala exempla ex bonis orta sunt; sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos [45] pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur [46]. Lacedæmonii, devictis Atheniensibus [47], triginta viros imposuere, qui rempublicam eorum tractarent. Hi primo cœpere pessumum quemque et om-

vereri, cives verberibus non cædendo. — *In majore*. Legem negligere, cives necando. — *Timere*. Vossius protulit e codice aliquo *tenere*, quod multo magis nobis placet. Hanc etiam lectionem adjuvat, quod in quibusdam legitur *observare*, merum certe glossema; sed verbi *tenere* potius, quam *timere*, glossema.

41. *At enim*. Objectionis formula. Gall. *mais, dira-t-on...*

42. *Tempus, dies, fortuna*. Scil. *reprehendent*. Nam optimus consiliorum factorumque judex, *tempus*. Longa vero *dies* iras leniet animosque mutabit. *Fortuna* denique afferet multa, quæ provideri non possunt.

43. *Illis merito accidet*. Concessio, ne conjuratis favere videatur.

44. *Quid in alios statuatis*. Dicit non ad conjuratos tantum pertinere quod decreverit senatus; sed exemplum inde in *alios* reos aliquando petitum iri. Porro exempla, quæ initio bona erant, sæpe in pessimam imitationem detorquentur. — *Ex bonis*, sc. *exemplis*. Alii volunt *initiis*, sed nulla MSS. auctoritate.

45. *Ad ignaros aut minus bonos*. Ad eos qui aut non sciant (*ignaros*), aut non velint (*minus bonos*) commisso imperio bene uti. Quidam tamen legunt *ad ignavos*; in quo facilis fuit error librarii.

46. *Ab dignis... transfertur*. Exemplum datum in hominibus pœna dignis, et in quos jure sævitum est, transfertur ad viros nil tale merentes, et in quos injusta est illa severitas. *Idoneus* hic in malam partem sumitur, ut apud Cicer. pro Cluentio, XLVII : « Per hominum *idoneorum* ignominiam. » Item apud Terentium, And. IV, 4 : « Adeon' vobis videmur esse *idonei*, in quibus sic illudatis? »

47. *Devictis Atheniensibus*. Qui finis fuit belli Peloponnesiaci, *ad ann. fere conditæ urbis* (*Romæ*) CCCXLVII, inquit Gellius, XVII, 21. De triginta tyrannis vide Justinum, V, 8 et seq. — *Imposuere*. Nota vim hujusce verbi. Sic Tac. Agric. XV : « Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos *imponi*. » Sic etiam *Racine*, *Britannicus*, Act. I, sc. 2 :

> Pensez-vous que ma voix
> Ait fait un empereur pour m'en *imposer*
> trois?

nibus invisum indemnatum necare : ea populus lætari[48] et merito dicere fieri. Post, ubi paullatim licentia crevit, juxta bonos et malos lubidinose interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas servitute oppressa, stultæ lætitiæ graves pœnas dedit. Nostra memoria, victor Sulla quum Damasippum[49] et alios hujusmodi, qui malo reipublicæ creverant, jugulari jussit; quis non factum ejus laudabat? Homines scelestos, factiosos, qui seditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit; nam uti quisque domum aut villam, postremo aut vas, aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam uti in proscriptorum numero esset. Ita quibus Damasippi mors lætitiæ fuerat, post paullo ipsi trahebantur[50]; neque prius finis jugulandi fuit, quam Sulla omnes suos divitiis explevit. Atque ego hæc non in M. Tullio, neque his temporibus vereor; sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit[51], falsum aliquid pro vero credi. Ubi hoc exemplo, per senati decretum, consul gladium eduxerit; quis finem statuet, aut quis moderabitur? Majores nostri, patres conscripti, neque consilii, neque audaciæ umquam eguere : neque superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba, imitarentur.

48. *Ea populus lætari.* Alii *ea re;* alii *eo.* Frustra. Nam recte dicitur *aliquid lætari.* Cic. Ep. VII, 1 : « *Utrumque lætor* et sine dolore corporis te fuisse, et animo valuisse. » Sallust. Jug. XIV: « *Lætandum* magis quam dolendum puto *casum* tuum. »

49. *Damasippum.* Is, C. Mario filio, et Cn. Carbone consulibus, prætor urbanus clarissimos senatores, jussu C. Marii paulo ante Syllæ victoriam interfecerat. Vide Vell. II, 26.

50. *Trahebantur.* Scilicet ad supplicium.

51. *Cui item exercitus in manu sit.* Hic iterum versutus orator, a vero et præsenti periculo, ad incerta et futura pericula avertit animos. Præterea obscure Ciceronem in invidiam vocat, quod in manu habeat exercitum. Nihil, inquit, vereor a M. Tullio. Sed alius consul, cui, ut M. Tullio, exercitus in manu erit, potest falsam aliquam conjurationem pro vera credere; atqui si consul ille, Ciceronis exemplum sequutus, gladium eduxerit, quis illi modum statuet?

Arma atque tela militaria [52] ab Samnitibus, insignia magistratuum [53] ab Tuscis pleraque sumserunt : postremo quod ubique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur : imitari, quam invidere bonis [54] malebant. Sed eodem illo tempore, Græciæ morem imitati, verberibus animadvertebant in cives; de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam respublica adolevit, et multitudine civium factiones valuere [55], circumveniri [56] innocentes, alia hujuscemodi fieri cœpere. Tum lex Porcia aliæque paratæ, quibus legibus exsilium damnatis permissum. Hanc ego caussam [57], patres

52. *Arma atque tela militaria.* *Arma* hic vocantur quæ ad defensionem usui sunt, ut scutum; *tela* vero, quibus hostis impetitur, ut gladii, pila, hastæ.

53. *Insignia magistratuum.* Duodecim secures cum fascibus, tunicam purpuream sellamque curulem. Nam Tusci, ut refert Dionysius, quum bello novennali a Tarquinio Prisco fracti essent, pacemque impetrassent hac conditione, ut eum agnoscerent suarum civitatum principem, insignia suorum regum ad eum detulerunt. Ornatum vero triumphalem ac consularem a Tarquiniis Romam fuisse translatum Strabo testatur, l. v. Quum Tarquinii legem de recipiendis insignibus illis populus jussisset, tum demum corona aurea, sceptro, sellaque eburnea, toga picta purpurea, lictoribusque duodecim, per omnem deinceps vitam, usus est. Expulsis regibus, ornamenta isthæc, excepta corona togaque picta, ad consules translata sunt. Confer Florum I, 5. Kun.

54. *Imitari, quam invidere bonis.* Cod. a Cortio laudatus habet *imitari* BONOS, *quam invidere bonis.* Sed ipse Cortius intelligit : imitari *bona instituta,* quam iis invidere malebant.

55. *Multitudine... valuere.* Nam in magna, quam in parva civitate, multo uberior est seditionibus materia, multoque plures ambitiosis hominibus ducibusque turbarum adjutores et socii.

56. *Circumveniri.* Innocentes falso accusari, et per malas fraudes damnari cœpere.

57. *Hanc ego caussam.* Narravit quomodo et institutus et sublatus fuerit mos verberibus et morte sontes plectendi. Ex hoc colligit standum esse iis quæ constituta sunt. Totius loci sententia est : nostri majores, quamvis consilium in inveniendo, audacia in agendo eis non defuerit, aliena tamen instituta imitari non dedignati sunt; inter quæ fuit, ut verberibus et morte in cives condemnatos animadverteretur. Sed, ut hoc a Græcis, ubi utile visum, sumpserant; sic, ubi perniciosum innocentibus, repudiaverunt. Ergo, quod ultimum placuit sapientibus illis viris majoribus nostris, servandum est.

conscripti, quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque sapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur[58] eos dimitti et augeri exercitum Catilinæ? Minume. Sed ita censeo[59] : publicandas[60] eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos per municipia[61], quæ maxume opibus valent; neu quis de his postea ad senatum referat, neve cum populo agat[62] : qui aliter fecerit, senatum existumare, eum contra rempublicam et salutem omnium facturum. »

LII. Postquam Cæsar dicendi finem fecit, ceteri verbo[1], alius alii varie assentiebantur : at M. Porcius Cato, rogatus sententiam, hujuscemodi orationem habuit.

« Longe mihi alia mens est[2], patres conscripti, quum

58. *Placet igitur.* Supple *dicet aliquis.*

59. *Censeo.* Proprium et solemne verbum, iis qui sententiam dicunt.

60. *Publicandas.* Publici juris faciendas et in ærarium redigendas eorum pecunias; quo nomine, non numerata solum *pecunia*, sed omnia bona comprehenduntur. Atqui injustam illam et crudelem bonorum publicationem (*la confiscation*), apud nos publica ratione et optimi regis edicto feliciter abrogatam, usurpaverunt Romani in crimine perduellionis, ut patet ex Livio, IV, 15, et aliis locis. Eam deinde ad alios condemnatos transtulit C. Jul. Cæsar. Suet. in Cæsare, XLII.

61. *Per municipia.* Specie, ne per seditionem, si Romæ sint, custodia eripiantur; re, ut facilius eripiantur; quia, ut mox ostendet Cato, *ibi plus potest audacia, ubi ad defendendum opes minores.*

62. *Cum populo agat.* « *Cum populo agere*, inquit Gellius, XIII, 15, est rogare quid populum, quod suffragiis suis aut jubeat aut vetet; *concionem autem habere*, est verba facere apud populum sine ulla rogatione. »

De tota hac Cæsaris sententia, vide Cic. in Catil. IV, 4; qui locus Ciceronis huic Sallustiano maximam lucem afferet.

CAP. LII. 1. *Ceteri verbo.* Id est, *uno* tantum *verbo*, non, ut Cato, *habita oratione* assentiebantur. — *Alius alii* : Silano nempe, aut Neroni, aut Cæsari. — *Varie*, variatis sententiis. Porro ne meminit quidem Sallustius Ciceronianæ orationis, in qua tamen vel maxime enituit consulis publicorum periculorum memoris, suorum obliti, fortitudo. Tacet quoque quod docet Plutarchus in Cicerone : primum, atque adeo ante Catonem, adversus Cæsaris sententiam surrexisse, et graviter dixisse Q. Lutatium Catulum.

2. *Longe mihi alia mens est.* Longe

res atque pericula nostra considero, et quum sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Illi mihi disseruisse videntur de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere : res autem monet, cavere ab illis magis, quam quid in illos statuamus, consultare. Nam cetera[3] tum persequare, ubi facta sunt : hoc, nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores : capta urbe, nihil fit reliqui victis. Sed, per deos immortales, vos ego appello[4], qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quam rempublicam, fecistis : si ista, cujuscumque modi sint, quæ amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium præbere voltis; expergiscimini aliquando, et capessite rempublicam. Non agitur[5] de vectigalibus, non de sociorum injuriis : libertas et anima

alia mihi veniunt in mentem, quum pericula nostra considero, alia quum sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Hæc fere ad verbum expressa sunt ex Demosth. III, Olynth., initio exordii : Οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γινώσκειν, ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω, καὶ ὅταν πρὸς τοὺς λόγους οὓς ἀκούω. Eadem fere similitudo in sequentibus apparet. Cato : « Illi mihi disseruisse videntur de pœna eorum, etc. » Demosth. Τοὺς μὲν λόγους περὶ τοῦ τιμωρήσασθαι Φίλιππον ὁρῶ γινομένους. Cato : « Res autem monet cavere ab illis magis, etc. » Demosth. Τὰ δὲ πράγματα εἰς τοῦτο προήκοντα, ὥστε, ὅπως μὴ πεισώμεθα αὐτοὶ πρότερον κακῶς, σκέψασθαι δέον.

Unde novum argumentum peto hæc Sallustii, non ipsius Catonis esse verba; quibus tamen Catonis mores, et ingenium, et præcipuæ, credo, sententiæ aptissime repræsentantur.

3. *Nam cetera.* « Vindicari possunt cetera maleficia, ubi evenerunt. Hoc vero providere oportet ne accidat; alioquin vindicari jam nullo modo posset. Accidet autem, ni sæviatur in conjuratos. » Sic reducit animos ad verum rei propositum, quibus Cæsar, locis communibus et callida oratione, tenebras offuderat.

4. *Vos ego appello.* Non ad strenuos fortesque cives orationem convertit; hi non egent adhortationibus. Eos appellat, quibus suæ deliciæ, magis quam respublica, curæ sunt. Omnia hæc amittent, quæ tanto fovent studio, ni capessant rempublicam, id est, ni libertatis et salutis communis causam animose suscipiant. — *Cujuscumque modi sunt.* Vere Catoniani ingenii verba, nugas istas contemnentis.

5. *Non agitur, etc.* Magnitudinem periculi subjicit oculis. Non agitur nunc, ut, verbi gratia, in bello Mithridatico (Cfr. Cic. pro lege Man. II), utrum vectigalia amissuri, sociosque indefensos relicturi simus, nec ne. Libertas et vita nostra in discrimine sunt.

nostra in dubio est. Sæpenumero, patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci : sæpe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum; multosque mortales ea caussa advorsos habeo. Qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam [6]. Sed, ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen respublica firma [7]; opulentia neglegentiam tolerabat [8]. Nunc vero non id agitur, bonis an malis moribus vivamus; neque quantum, aut quam magnificum imperium populi romani; sed, cujus hæc cumque modi [9], nostra, an nobiscum una, hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat [10]! Jampridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus [11]; quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia, fortitudo vocatur; eo respublica in extremo sita. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis;

6. *Haud facile... condonabam.* Hic totus est Cato, æque sibi et aliis severus. Quanquam verius et humanius illud P. Syri : *ignoscito sæpe alteri, nunquam tibi.* — *Gratiam fecissem.* Hoc interpretatione non indiget, quoniam gallice quoque dicitur, *faire grace*, pro eo quod est *ignoscere, condonare.*

7. *Respublica firma.* Supple *erat*, quod etiam in vulg. legitur.

8. *Opulentia neglegentiam tolerabat.* Opulentia negligentiæ damna resarciebat. Aliqua tamen vis est in tribus Sallustii verbis, quæ perit in interpretatione. Dicet infra, LII : « Respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia *sustentabat.* » Seneca de Consol. ad Helv. x : « Majores nostri, quorum virtus etiam nunc nostra vitia *sustentat.* » Livius xxvi, 41 : « Hæ secundæ res illas adversas *sustinuerunt.* » Eodem fere sensu, hoc loco, opulentia negligentiam *tolerare*, id est, *sustentare* dicitur, ne sentiantur ejus damna. Nam *tolerare* dici aliquando pro *sustentare*, vel ex hoc Virgilii patet, Æn. viii, 409 :

Cui *tolerare* colo vitam tenuique Minerva.

9. *Cujus hæc cumque modi.* Agitur an hæc, (sc. urbs, imperium, etc.), cujuscumque modi sint, nostra futura sint; an et ea, et nos ipsi, in hostium potestatem veniamus.

10. *Hic mihi quisquam, mansuetudinem et misericordiam nominat!* Exclamatio indignantis. Quum hæc ita sint, nobis quisquam indulgentes et misericordes esse suadebit! (Hoc loco mirum est quantum erraverit vir doct. Kunhardt, quem toties jam honoris causa nominavimus.)

11. *Nos... vera amisimus.* Sic fere Thucydides, iii, 82 : Τὴν εἰωθυῖαν ἀξίωσιν τῶν ὀνομάτων... ἀντήλλαξαν... Τόλμα μὲν γὰρ ἀλόγιστος, ἀνδρία φιλεταιρος ἐνομίσθη.

sint misericordes in furibus [12] ærarii : ne sanguinem nostrum largiantur [13]; et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant. Bene et composite [14] C. Cæsar paullo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit; falsa, credo, existumans quæ de inferis memorantur : diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, fœda atque formidolosa habere [15]. Itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia habendos; videlicet ne, aut a popularibus conjurationis, aut a multitudine conducta [16] per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores [17]. Quare vanum equidem [18] hoc consilium, si periculum ex illis metuit. Sin in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert, mihi atque vobis timere.

Quare quum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinæ et de omnibus conjuratis decernere. Quanto vos attentius [19] ea agetis, tanto illis animus infirmior erit. Si paullulum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt [20]. No-

12. *In furibus.* Erga fures. Vid. c. XI, *in civibus.*

13. *Ne... largiantur.* Ita tamen ut non sanguinem nostrum largiantur.

14. *Bene et composite.* Hic, ut in vehementi oratione decebat, oratoria potius ironia, quam philosophica disputatione refellit Cato, quod Cæsar de morte dixerat.

15. *Habere.* Habitare. Cf. Cicer. Tusc. 1, 30.

16. *Conducta.* Pretio concitata. — *Quasi vero.* Hæc formula respondet dictioni *videlicet*, per quam Cæsaris consilium, non sine irrisione quadam, interpretatur.

17. *Opes minores.* Nam opes minores in municipiis quam Romæ erunt, ad vim repellendam conjuratos liberare tentantium.

18. *Vanum equidem, etc.* Dilemma : aut metuit Cæsar, aut non metuit. Si metuit, vanum et inutile est illius consilium ; nam et extra urbem sunt scelesti. Si non metuit, eo magis et ego mihi, et vos vobis, timere debemus. Ergo utique repudiandum est illius consilium. — *Solus non timet.* Oblique suspectum facit Cæsarem, quasi conjurationis particeps sit.

19. *Attentius.* Intento magis et firmo animo. Mox opponet, *si vos languere viderint.* — *Ea agetis.* De sorte conjuratorum decernetis.

20. *Aderunt.* Vobis instabunt;

lite existumare[21], majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset, multo pulcherrumam[22] eam nos haberemus : quippe sociorum atque civium, præterea armorum atque equorum, major nobis copia[23], quam illis. Sed alia fuere[24], quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt : domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo[25] liber, nequē delicto, neque lubidini obnoxius[26]. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egestatem[27], privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam[28]; inter bonos et malos discrimen nullum; omnia virtutis præmia[29] ambitio possidet. Neque mirum, ubi vos separatim[30] sibi

adversus rempublicam insurgent.

21. *Nolite existumare*. Necessitatem ostendit fortiter decernendi, admonendo non armis solum, quod quis credere posset, sed civilibus quoque virtutibus, et præsertim libertate in consulendo, majores rempublicam ex parva magnam fecisse.

22. *Multo pulcherrumam*. Sæpe jungitur superlativis, ad vim augendam, adverbium *multo*, seu *longe*. Supra XXXVI, *multo maxume miserabile*. Jug. IX, *longe maxuma virtus*.

23. *Quippe... major nobis copia, etc.* Sic Demosth. Philipp. III, 4 : Ἐπεὶ καὶ τριήρεις γε, καὶ σωμάτων πλῆθος, καὶ χρημάτων πρόσοδοι, καὶ τῆς ἄλλης κατασκευῆς ἀφθονία, καὶ τ' ἄλλα οἷς ἄν τις ἰσχύειν τὰς πόλεις κρίνει, νῦν ἅπαντα καὶ πλείω καὶ μείζω ἐστὶ τῶν τότε πολλῷ.

24. *Sed alia fuere*. Ibidem, paulo supra : ἦν τι τότ', ἦν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐν ταῖς τῶν πολλῶν διανοίαις, ὃ νῦν οὐκ ἔστιν. Cujus loci totius et sententias, et formas dicendi, et vim admirabilem in hunc Catonianum, magna ex parte, transisse videbit, quisquis utrumque conferet.

25. *In consulendo*. In dando de negotiis publicis consilio.

26. *Neque.... obnoxius*. Cujus libertas non delicti alicujus conscientia, aut prava cupiditate obstricta sit. In nonnullos dictum, qui aut ipsi conjurationis participes, aut novarum rerum cupidi, *libere consulere* non poterant.

27. *Publice egestatem*. Respublica pauper est; privati, divites; contra quam de priscis canit Horat. Carm. II, 15 :

Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum.

28. *Sequimur inertiam*. Damus nos inertiæ; stultum! quum laudemus divitias, quæ sola industria parantur. Opponuntur invicem *laudamus* et *sequimur*, ut *probo* et *sequor*, in hoc Ovidii. Met. VII, 20 :

Video meliora proboque;
Deteriora sequor.

29. *Virtutis præmia*. Scilicet magistratus, imperia, honoresque omnes.

30. *Ubi vos separatim, etc.* Quum quisque propriæ, non publicæ utilitati consulat.

quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ, aut gratiæ servitis; eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam [31]. Sed ego hæc omitto. Conjuravere nobilissumi cives patriam incendere; Gallorum gentem infestissumam nomini romano ad bellum arcessunt; dux hostium cum exercitu supra caput est [32]. Vos cunctamini etiam nunc, quid intra mœnia apprehensis hostibus [33] faciatis? Misereamini censeo [34]; deliquere [35] homines adolescentuli per ambitionem; atque etiam armatos dimittatis. Næ [36] ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet. Scilicet res aspera est [37]; sed vos non timetis eam. Immo vero maxume; sed inertia et mollitia animi, alius alium exspectantes cunctamini;

31. *In vacuam rempublicam.* Translatio a re militari ducta. Impetus fit in rempublicam, quasi in vacuam defensoribus arcem.

32. *Dux hostium... supra caput est.* Catil. vestris capitibus imminet. Sic Liv. III. 17: « Quum hostes supra caput sint, discedi ab armis et leges ferri placet. » — Cortius delet *cum exercitu*, quod abest a MS. quodam.

33. *Apprehensis hostibus.* Vulg. *Deprehensis.* Cortius ex opt. codd. *Adprehensis* (seu *apprehensis*); quod significantius videtur: nam *deprehendere* est incautum opprimere, (*surprendre*); *apprehendere* autem, manum injicere alicui, (*mettre la main sur quelqu'un, le saisir*). Intellige vero non ablativum absolutum; sed *quid faciatis hostibus*, i. e. *de hostibus*, ut in Cic. pro Cluent. LXVI: « Quid istis hominibus factum est, Stratone et Nicostrato? Quæro abs te, Oppianice, servo tuo Nicostrato quid factum esse dicas. »

34. *Misereamini, censeo.* Permissio ironica.

35. *Deliquere.* Cum irrisione eorum facinus elevat, ut reipsa augeat. — *Deliquere....* Non erat *delictum*, sed *parricidium.* — *Adolescentuli....* Ea ætate erant, ut quid bonum, quid malum sit, dignoscerent. — *Per ambitionem.* Miram sane ambitionem, patriam incendere, cives trucidare!

36. *Næ.* Adverbium affirmandi, ex græco, ναί. Bipont. tamen scribit *ne*, quod omnes suos MSS. habere docet Cortius. — *Vertet*, pro *vertetur*, ut supra *convertit*, capite VI, n° 20.

37. *Scilicet res aspera est, sed vos non timetis eam.* Dicetis fortasse rem asperam quidem esse, sed vos eam non timere. Timetis vero, et maxime timetis; sed inertia atque mollitia animi cunctamini, exspectantes quisque donec alius agere incipiat. Sic Tacitus, Hist. I, 55: « Ceteri silentio proximi cujusque audaciam exspectantes, insita mortalibus natura, propere sequi, quæ piget inchoare. »

videlicet dis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maxumis sæpe periculis servavere. Non votis, neque suppliciis[38] muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospera omnia cedunt: ubi secordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequidquam deos implores[39]; irati infestique sunt. Apud majores nostros T. Manlius Torquatus[40] bello gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit; atque ille egregius adolescens immoderatæ fortitudinis morte pœnas dedit. Vos de crudelissumis parricidis quid statuatis, cunctamini[41]! Videlicet vita cetera eorum[42] huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si dis aut hominibus umquam ullis pepercit: ignoscite Cethegi adolescentiæ, nisi iterum[43] patriæ bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cœpario loquar? quibus si quidquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de republica habuissent.

Postremo, patres conscripti, si mehercule peccato locus esset[44], facile paterer, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina

38. *Suppliciis.* Supplicationibus, ut supra, IX, n° 4. — *Muliebribus.* Quæ mulieres, non viros, decent.

39. *Nequidquam, etc.* Verba quædam Metelli Numidici refert Gell. I, 6, in eamdem sententiam, memoratu dignissima: « Quid ergo nos a diis immortalibus divinitus exspectemus, nisi malis rationibus finem faciamus? His demum deos propitios esse æquum est, qui sibi adversarii non sunt. Dii immortales virtutem approbare, non adhibere debent. »

40. *T. Manlius Torquatus.* Vide Livium, VIII, 7, qui hoc in bello non gallico, sed latino, factum esse testatur.

41. *Vos... cunctamini.* Argumentum *a fortiori*, cujus prima pars est, *apud majores nostros*, etc.

42. *Videlicet vita cetera eorum, etc.* Ironice. Ostendit ex reliqua eorum vita præsenti sceleri excusationem peti non posse.

43. *Nisi iterum, etc.* Primum Cethegus patriæ bellum fecit cum Mario. Vid. c. XVII, n° 11. *Ignoscite adolescentiæ*, ironice dictum est. Male enim se ætatis imperitia tuetur, qui viginti ante annos, patriæ jam bellum intulit.

44. *Si... peccato locus esset.* Si sine certa pernicie aliquid in hac re peccare, id est, minus bene consulere possemus.

cum exercitu faucibus urget[45] : alii intra mœnia[46], in sinu urbis sunt hostes : neque parari, neque consuli quidquam occulte potest : quo magis properandum. Quare ita ego censeo[47] : quum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, cædem, incendia, alia fœda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis[48] rerum capitalium, more majorum supplicium sumendum. »

LIII. Postquam Cato assedit, consulares omnes, itemque senatus magna pars sententiam ejus laudant, virtutem animi ad cœlum ferunt : alii alios increpantes timidos vocant : Cato magnus atque clarus habetur : senati decretum fit, sicuti ille censuerat. Sed mihi multa legenti[1],

45. *Faucibus urget.* Male aliqui libri, *in faucibus;* unde nonnulli interpretantur : Catilina in faucibus Etruriæ est, et nos urget. Perperam. *Faucibus urgere*, est aliquem premere, et eum faucibus apprehendere. Sic Val. Max. v, 3, 2 : « Qui pestifera Tib. Gracchi manu *faucibus apprehensam* rempublicam strangulari passus non est. » Item Cicero, pro Cluent. XXXI : « *Quum faucibus premeretur,* » id est, quum vehementer urgeretur. Hic ergo *faucibus urget*, translate dicitur, ut paulo ante, *supra caput est.*

46. *Alii intra mœnia, etc.* Idem fere, aliis verbis, Cicero pro Mur. XXXIX : « Hostis est enim non apud Anienem, quod bello Punico gravissimum visum est, sed in urbe, in foro (dii immortales ! sine gemitu hoc dici non potest) : non nemo etiam in illo sacrario reipublicæ, in ipsa, inquam, curia, non nemo hostis est. »

47. *Quare ita ego censeo.* Hic incipit ipsa sententiæ pronunciatio ; simul paucis aperit, cur ita censeat.

48. *Sicuti de manifestis rerum capitalium.* Censeo supplicium sumendum de iis qui talia confessi sunt, sicuti sumi æquum est de hominibus criminum capitalium manifesto convictis. — *Manifestus* hoc sensu non raro dicitur. Jug. XXXV : « At Jugurtha *manifestus* tanti sceleris. » Tacit. Ann. XIII, 26 : « At criminum *manifestos* merito ad servitutem retrahi. » Plaut. Trucul. I, 2, 30 : « *Manifestam* mendacii, mala, te teneo. »

CAP. LIII. 1. *Sed mihi multa legenti.* Digressio, quam malit abesse lector ad eventum festinans, nisi unum e præstantissimis Sallust. locis ea contineret. Scilicet quum Cæsaris et Catonis orationes exhibuerit, hinc ansam arripit eorum quoque indolem conferendi; hæcque transitio est (quam si quis longius tractam

multa audienti, quæ populus romanus domi militiæque, mari atque terra, præclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quæ res maxume tanta negotia sustinuisset [2]. Sciebam [3], sæpenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse; cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus; ad hoc sæpe fortunæ violentiam toleravisse; facundia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse: ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse; eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrupta est, rursus respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat [4]; ac, veluti effeta parente [5], multis tempestatibus haud sane quisquam

judicaverit, nil repugno): Magnorum virorum virtus rempublicam initio parvam amplificavit, diuque sustinuit. Sustinet nunc, in penuria virtutum, reipublicæ magnitudo imperatorum atque magistratuum inertiam. Quanquam duos viros hæc ætas protulit ingenti virtute, Catonem et Cæsarem; quorum ego naturam et mores aperiam.

2. *Quæ res... sustinuisset.* Quæ res potissimum Romanis vires suffecisset, ut tanta negotia sustinerent.

3. *Sciebam.* Enumerat quot et quanta obstiterint populo romano, ne ad tantum gloriæ apicem evaderet. 1° Paucis militibus adversus multos pugnabat. 2° Parvis copiis (gallice, *moyens, ressources*), cum regibus opulentis bellum gerebat. 3° Sævitiam fortunæ non semel passus est. 4° Græcis facundia, Gallis gloria belli, inferior fuit. Quid igitur eum in tantam provexit magnitudinem? Egregia scilicet paucorum civium virtus.

4. *Sustentabat.* Vide not. 8, ad cap. LII. Non jam viri reipublicæ, sed respublica viris adjumento est, ne suis ipsi vitiis corruant.

5. *Veluti effeta parente.* Quasi fecunda virorum mater Roma, tandem effeta sit, nec ullos jam possit gignere. Hoc vero, *effeta parente*, quod post Bip. damus, Cortius monet in uno tantum codice inveniri; et ex reliquis omnibus legit, *veluti effeta parentum;* sicque interpretatur: *sicuti effeta parens* (inter parentes) *sese habere solet.* Sed paulo durior videtur ellipsis. Ceterum interpretes omnes de lectione, *effeta parentum* sine fine disputant, neque ullus nodum solvit. Gronovius (apud Hav.) conjicit cum voce *effeta*, subaudiendum esse *tempestate*, quod petit ex sequentibus verbis, *multis tempestatibus.* Sed nihil inde sani elicit, et postea se ipse damnat. Quid tamen? si, quam relinquit ille, conjecturam nos sequuti, sic intelligamus: *veluti effeta parentum tempestate;*

Romæ virtute magnus fuit. Sed memoria mea, ingenti virtute, divorsi moribus fuere viri duo, M. Cato et C. Cæsar: quos, quoniam res obtulerat, silentio præterire non fuit consilium, quin[6] utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

LIV. Igitur his genus[1], ætas[2], eloquentia prope æqualia fuere: magnitudo animi[3] par, item gloria[4]; sed alia alii. Cæsar beneficiis atque munificentia magnus habebatur; integritate vitæ Cato. Ille mansuetudine et misericordia clarus factus; huic severitas dignitatem addiderat. Cæsar dando, sublevando, ignoscendo[5]; Cato nihil largiundo[6] gloriam adeptus. In altero miseris perfugium; in altero malis pernicies; illius facilitas[7], hujus constantia lauda-

id est: quasi patrum nostrorum *tempestas* (seu ætas) tot magnorum virorum partubus exhausta fuisset, multæ deinceps *tempestates* virtutibus caruerunt. Et hoc quidem sic intellecto, qui *effeta parentum* reponere voluerit, ei libenter suffragabimur. — *Effeta*, vel *effata* promiscue scribitur. Cortius dicit suos omnes libros *e*, non *æ* habere.

6. *Silentio præterire.... quin*, *etc.* Consilium non fuit illos silentio præterire, *ita ut non* utriusque naturam.... aperirem.

Cap. LIV. 1. *Genus.* M. Porcius Cato, dictus post mortem Uticensis, pronepos erat M. Porcii Prisci, qui censor fuit, atque ob sapientiam Cato dictus, hoc cognomen liberis transmisit. Porcia gens plebeia erat, Julia vero patricia. Sed quum nobilitas ex gestis honoribus censeretur, non minus erat illustre Catonis quam Cæsaris genus.

2. *Ætas.* Conjurationis tempore, natus erat annos XXXIII Cato, circiter XXXVII Cæsar.

3. *Magnitudo animi.* Magnus utrique et elatus et excellens animus. Sic intelligi debere *magnitudinem animi* apparet ex Cic. de Offic. I, 19 et 20.

4. *Item gloria.* Subaudi *par.* — *Alia alii.* Hic, quamvis de duobus dicitur non *altera alteri*, sed *alia alii*; videlicet quia *differentiæ* notio, adjectivo *alius* inhærens, præcipue exprimenda erat. Sic Liv. I, 21: « Ita duo deinceps reges, *alius alia* via, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt. »

5. *Ignoscendo.* Indulgentem se præbendo, et mitia consilia suadendo, ut erga conjuratos fecerat. Hoc verbum Kunhardt, post Cortium, omittit, ratus, opinor, supervacuum. Non tamen idem omnino significat quod *misericordia*; quæ parcit ipsa quidem reo, quem punire potest.

6. *Nihil largiundo.* Nec dando quidquam, nec ullius delicti gratiam faciendo. Latius enim patet verbum *largiri*, quam ad pecuniæ largitiones; hicque tribus simul antecedentibus opponitur. Græce diceres, οὐδὲν χαριζόμενος.

7. *Facilitas.* Animus flecti facilis,

batur. Postremo Cæsar in animum induxerat [8] laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus, sua neglegere; nihil denegare, quod dono dignum [9] esset; sibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiæ, decoris, sed maxume severitatis [10] erat: non divitiis cum divite, neque factione cum factioso; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente [11] abstinentia certabat: esse, quam videri, bonus malebat [12]: ita, quo minus gloriam petebat, eo magis sequebatur [13].

aliquid de suo jure et de sua sententia libenter remittens, et rebus et hominibus se accommodans. — *Constantia.* Animus semper sibi constans, firmus et propositi tenax.

8. *In animum induxerat.* Secum ipse constituerat. — *Vigilare.* Translate: animum attentum, atque oculos apertos semper habere.

9. *Dono dignum.* Dignum quod daretur. Non enim omnia honeste et decore dari possunt; et, ut ait Seneca, de Benef. II, 15: « Quædam minora sunt, quam ut exire a magnis viris debeant; quædam accipiente minora sunt. »

10. *Modestiæ, decoris,.. severitatis.* In omnibus rebus *modum* et *decus* servare, sed præsertim mores *severos* colere studebat. *Severitas* enim, hoc loco, non ad alios (ut supra, ubi opponitur *misericordiæ* et *mansuetudini*), sed ad ipsum pertinet.

11. *Cum innocente.* Cum integro et abstinente. Nam et *innocentia* quoque pro *abstinentia* dicitur, et opponitur *avaritiæ*. Vide Cic. pro lege Manil. XIII.

12. *Esse quam videri bonus malebat.* Ante Sallustium dixerat Æsch. Sept. contra Thebas, v. 593:
Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.
Maxima certe laudatio, nisi majus sit quod de eodem Catone dicit Velleius, II, 35: « Homo virtuti simillimus, et per omnia ingenio diis, quam hominibus, propior: qui nunquam recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat; cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam; omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit. »

13. *Eo magis sequebatur.* Eo magis gloria eum sequebatur. Sic quidem non est utriusque *propositionis* idem *subjectum*. Sed neque omnino desunt hujus mutationis exempla. Curt. IV, 14: « Effugit *mortem*, quisquis contempserit; timidissimum quemque consequitur (scilicet *mors*). » Et *gloria sequi* virum jam dicta est ab Sall. supra, III. Male ergo hic legunt alii *illum*, alii *illam adsequebatur*.

In egregia hac dissimillimorum virorum comparatione, ingenium scriptoris certe mireris; historici fidem forte requiras. Multus est in laudanda Cæsaris munificentia Sallustius. At, hercle, facile fuit Cæsari liberalem esse ex alienis fortunis; qui, quum ex prætura in provin-

LV. Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit [1], consul optumum factum [2] ratus, noctem, quæ instabat, antecapere, ne quid eo spatio novaretur, triumviros [3] quæ supplicium postulabat, parare jubet : ipse, dispositis præsidiis, Lentulum in carcerem deducit : idem fit ceteris [4] per prætores. Est locus [5] in carcere, quod Tullianum appellatur, ubi paullulum ascenderis ad lævam, circiter duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes [6], atque insuper camera, lapideis forni-

ciam Hispaniam proficisceretur, ære alieno obrutus, retinentes creditores, non nisi interventu sponsorum removit; (Suet. in Cæs. XVIII). Ejusdem *facilitatem* multum jactitat, et Catonis *severitati* ita opponit, ut qui ex hoc utrumque æstimaverit, Catonem non minus fortasse miretur, Cæsarem certe magis diligat. At Cæsar tamen patriæ libertatem oppressit; oppressæ Cato non superfuit. Ex hoc uno judicavit ambos æqua posteritas.

CAP. LV. 1. *Discessit.* Vide not. 13, ad cap. L.

2. *Optumum factum.* Vulg. *optumum factu.* Sed Cortius *factum*, ex optimis MSS. protulit, pluribusque confirmavit exemplis. Satis erit hoc Plauti retulisse, Pseud. 1, 2, 52 : « Nunc adeo hoc *factum* est *optumum*, ut nomine quamque appellem suo. » Jam vero notissima res est prætores, boni ominis causa, hæc duo verba *bonum factum*, omnibus edictis præponere solitos fuisse, (vid. Suet. in Cæs. LXXX; in Vitell. XIV; Plautum in prologo Pœnuli); unde hoc, OPTUMUM FACTUM, manasse non absimilis vero conjectura fuerit.

3. *Triumviros.* Triumviri capitales dicebantur minores quidam magistratus, quibus cura carceris et suppliciorum mandata erat. Supplicia vero non ipsi, sed per ministros, sumebant, ut patet ex Valer. Maxim. V, 4, 7. Iidem tribunal habebant ad columnam Mæniam, ubi servos et infimæ conditionis homines judicabant. Cic. pro Clu. XIII.

4. *Idem fit ceteris.* De ceteris. V. cap. LII, not. 33.

5. *Est locus... quod Tullianum appellatur.* Carcer publicus ab Anco Martio exstructus erat in declivitate collis Capitolini, foro imminens. « In hoc, inquit Varro, de Ling. lat. IV, pars quæ sub terra *Tullianum*, ideo quod additum a Tullio rege. » Hujus loci ingressus est, *ubi paullulum ascenderis ad lævam*, et ipse locus *circiter duodecim pedes* in altitudinem *depressus.* — Cortius, pro *ascenderis*, legit *escenderis*, eodem sensu. Aliqui *descenderis ;* male. Nam quum carcer in declivi staret, quidni ascendendum fuerit, priusquam ad depressi illius loci ingressum venires? Narrat Cl. V. *De Brosses* in Tullianum se descendisse, quod nunc est sacellum Sancto Petro (*San Pietro in carcere*) dicatum; faciléque descriptam ab Sall. locorum positionem agnovisse.

6. *Parietes.* Nempe et ipsi subterranei. — *Camera.* Gallice, *une voute.*

cibus vincta; sed incultu, tenebris, odore, fœda atque terribilis ejus facies est; in eum locum postquam demissus Lentulus, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere[7]. Ita ille patricius, ex clarissuma gente Corneliorum, qui consulare imperium[8] Romæ habuerat, dignum moribus factisque suis exitum vitæ invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Cœpario, eodem modo supplicium sumtum.

LVI. Dum ea Romæ geruntur, Catilina ex omni copia quam et ipse adduxerat, et Manlius habuerat, duas legiones instituit; cohortes, pro numero militum, complet[1]: dein, ut quisque voluntarius, aut ex sociis in castra venit, æqualiter distribuerat, ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat, quum initio non amplius duobus millibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos[2] aut lanceas, alii præacutas sudes por-

Fornices, hoc loco, sunt arcus qui *cameram* sustinent, contignationis vice. Sæpe tamen pro ipsa *camera* fornix sumitur.

7. *Laqueo gulam fregere.* Illum strangulavere. Notat Cortius morem fuisse in carcere necari, qui alicujus nominis aut dignitatis essent; in homines humilioris fortunæ palam animadverti. Vide Val. Max. v, 4, 7; Tac. Ann. III, 51; Hist. I, 46. Sed de his occultum sumi supplicium, propter conjurationis participes, etiam necessarium fuit.

8. *Consulare imperium.* Nempe quamvis tunc prætor, antea tamen consul fuerat. Vid. not. 8, ad c. XVII.

Cap. LVI. 1. *Cohortes, pro numero militum, complet.* Decem in legione cohortes erant, quarum singulæ vulgo militum 420, ideoque legio 4200. Qui numerus tamen non semper idem fuit. Nam legionem sex millium, teste Festo, primus conscripsit Marius. Jam vero, quum duo tantum millia hominum Catilinæ essent, *duas* tamen *legiones*, id est *viginti cohortes* instituit, quæ scilicet justum numerum non habebant, mox autem novis undique sociis advenientibus, expletæ sunt. (De legione et cohortibus vide, seu *Niewpoort*, seu *Adam*, *Antiq. rom.*) — *Voluntarius.* Qui se ultro belli socium adjungebat. — *Ex sociis.* Ex iis qui jam ante conjurationis participes erant. Nam frustra *voluntarios* intelligi vult Cortius veteres romanos milites, stipendia jam emeritos, aut juvenes in delectu non scriptos (quasi *delectum* habere potuisset Catilina!) *socios* vero, non conjurationis participes, sed *populi romani socios.*

2. *Sparos.* Incertum quæ hujus teli forma fuerit. Servius, ad Æn. XI, 682: « Telum rusticum in modum *pedis* (vel potius *pedi*, ut vult

tabant. Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montes iter facere, ad urbem modo, modo in Galliam versus[3] castra movere; hostibus occasionem pugnandi non dare. Sperabat propediem magnas copias se habiturum[4], si Romæ socii incepta patravissent. Interea servitia repudiabat, cujus[5] initio ad eum magnæ copiæ concurrebant, opibus conjurationis fretus, simul alienum suis rationibus[6] existumans, videri caussam civium cum servis fugitivis[7] communicavisse.

LVII. Sed postquam in castra nuncius pervenit, Romæ conjurationem patefactam, de Lentulo, Cethego, ceteris quos supra memoravi, supplicium sumtum; plerique, quos ad bellum spes rapinarum, aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur: reliquos Catilina per montes asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem[1] abducit; eo consilio, uti per tramites occulte profugeret[2] in Galliam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in

Rob. Steph.) recurvum. » Nonnius: « *Spara*, minimi generis jacula, a spargendo dicta. »

3. *In Galliam versus*. Nempe Cisalpinam. — *In* et *versus* sæpe conjunguntur. Curt. IV, 7: « *In* meridiem *versus* Arabes spectant. »

4. *Sperabat propediem magnas copias se habiturum*. Sic in Haverc. et vulgatis legitur. Cortius unius codicis auctoritate delet *magnas copias*, et intelligit: « Sperabat Catilina opportunam pugnandi occasionem, quam hostibus non dedisset, ipsum se mox habiturum. » Quum enim hæc duo vocabula, *magnæ copiæ*, statim recurrant, ea Sallustio addita ille arbitratur. Sed minima hæc antiquos non curavisse, sat multis exemplis apparet, veteremque lectionem Cortianæ conjecturæ prætulimus.

5. *Servitia repudiabat, cujus*, etc. Cujus servitii. *Cujus* enim, hoc loco, ad rem, non ad verba, referri debet, ut docuit Priscianus, XVIII. *Servitium* autem nomen *collectivum* est, quo *servi* designantur.

6. *Alienum suis rationibus*. Suæ utilitati contrarium.

7. *Cum servis fugitivis*. *Fugitivus* dicitur servus, qui ab heri domo profugit. Græce, δραπέτης.

CAP. LVII. 1. *In agrum Pistoriensem*. Ubi erat urbs Pistorium, nunc *Pistoia*; gallice, *Pistoie*, in Etruria.

2. *Profugeret*. Ipse scilicet et socii. Cortius, *perfugerent*. — *In Galliam*. Nimirum Cisalpinam. Longius enim iter in Transalpinam erat, quam ut primam eo fugam direxisse credatur. Recte igitur Cortius rejicit *Transalpinam*, quod in quibusdam legitur. Sed quo tandem errore deceptus Allobrogas ponit in Cisalpina?

agro Piceno præsidebat [3], ex difficultate rerum eadem illa existumans [4] Catilinam agitare. Igitur ubi iter ejus ex perfugis cognovit, castra propere movet, ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat [5]. Neque tamen Antonius procul aberat; utpote qui [6] magno exercitu, locis æquioribus, expeditos in fugam sequeretur. Sed Catilina postquam videt montibus atque copiis [7] hostium sese clausum, in urbe res adversas, neque fugæ, neque præsidii ullam spem; optumum factum ratus in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque, concione advocata, hujuscemodi orationem habuit.

LVIII. « Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere [1]; neque ex ignavo strenuum [2], neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cujusque [3] animo audacia natura aut moribus inest, tanta in

3. *Præsidebat.* Præsidio erat, ut Catilinæ motus observaret.

4. *Eadem illa existumans, etc.* Ex Catilinæ periculo existimabat Metellus, eum hæc ipsa animo destinare; scilicet ut clam fugeret in Galliam. Post *existumans*, vulgo additur, *quæ supra diximus;* quod, auctore Grutero, delevit Bip.

5. *Qua illi descensus erat.* Scil. in Galliam. Nempe agro Piceno contermina est Gallia Cisalpina, in quam ex Apenninis jugis Catilina descendere parabat. Et hic quoque additur, *in Galliam properanti,* quod, ut inutile glossema, uncinis includit Cortius, omnino rejicit Bip.

6. *Utpote qui, etc.* Antonius non longe aberat, quia *magnum* quidem, sed *locis æquioribus*, exercitum ducens, Catilinarios, licet in *fugam expeditos,* tamen *sequebatur.* — *Locis æquioribus.* Iter habebat per planum Antonius, Catilina *per montes asperos.* — *Expeditos in fugam.* Sine impedimentis fugientes. Quæ omnia quum non videret Cortius, alium sensum quærens, textum sic corrupit: *utpote qui.... locis æquioribus expeditus, in fuga sequeretur.*

7. *Montibus atque copiis.* Antonii copiæ, in Etruria, Catilinam a tergo urgebant. Metellus in Gallia, sub radicibus Apennini, stabat fugientem excepturus. Itaque mox dicet Catilina: « Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia, obstant. »

Cap. LVIII. 1. *Verba virtutem non addere.* Supple *militibus*, seu etiam *viris*, quod addunt aliqui sine MSS. auctoritate.

2. *Strenuum.* Strenuus est, qui sponte ad agendum vel audendum fertur; *fortis*, qui in ipso periculo non timet. Recte ergo priori *ignavus*, posteriori *timidus* opponitur.

3. *Quanta cujusque, etc.* Quam

bello patere solet: quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere; timor animi auribus officit[4]. Sed ego vos, quo pauca monerem[5], advocavi; simul uti caussam consilii aperirem. Scitis equidem, milites, secordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi cladem nobisque attulerit; quoque modo[6], dum ex urbe præsidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero quo in loco res nostræ sint, juxta mecum omnes intellegitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe[7], alter a Gallia, obstant: diutius in his locis esse, si maxume[8] animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet; quocumque ire placet, ferro iter aperiundum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis; et, quum prælium inibitis, memineritis vos[9] divitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dextris portare. Si vincimus, omnia tuta erunt; commeatus abunde, coloniæ atque municipia patebunt. Sin metu cesserimus, eadem illa advorsa

quisque audaciam seu a natura accepit, seu ex consuetudine traxit, ea in bello patere solet.

4. *Auribus officit.* Timor *animi* impedimento est, ne *aures* verba imperatoris excipiant.

5. *Quo pauca monerem.* Non ergo vos advocavi, ut ad fortiter pugnandum hortarer; sed ut paucis admonerem, quid vobis faciendum sit, et cur ego nunc confligendi cum Antonio consilium ceperim.

6. *Quoque modo, etc.* Et quomodo, qui ex urbe præsidia exspectabam, ea non solum frustra exspectaverim; sed ne potuerim quidem in Galliam proficisci. Obvius sane videtur hic sensus. Omnes tamen, quos quidem legerimus, sic interpretantur, quasi urbanorum auxiliorum exspectatio Catilinam morata fuisset, quominus in Galliam proficisceretur. Sed in Galliam ire primum non destinaverat. Imo, promiserat, c. XXXII, *sese propediem cum magno exercitu ad urbem accessurum.* Hæc igitur illius querela esse debet, non quod, vana exspectatione detentus, iter in Galliam facere nequiverit; sed quod ab ipsa quoque Gallia arceatur, nedum ab urbe subsidia habuerit.

7. *Unus ab urbe.* Antonii scilicet. — *Alter a Gallia.* Metelli.

8. *Si maxume, etc.* Etiamsi maxime id cuperemus.

9. *Memineritis, etc.* Hic eos hortatur per quidquid mortales maxime movere solet. Sic Darius. ap. Curt. IV, 14: « In dextris vestris jam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis. » Ea autem omnia in dextris portant, quia virtute, gladio, *manibus* denique ea sibi asserere possunt.

fiunt [10] : neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Præterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet; nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; illis supervacaneum est [11] pugnare pro potentia paucorum; quo audacius aggredimini [12], memores pristinæ virtutis. Licuit nobis [13] cum summa turpitudine in exsilio ætatem agere : potuistis nonnulli Romæ, amissis bonis, alienas opes exspectare. Quia illa fœda atque intoleranda viris videbantur, hæc sequi [14] decrevistis. Si hæc relinquere voltis [15], audacia opus est; nemo, nisi victor, pace bellum mutavit [16]. Nam in fuga salutem sperare,

10. *Eadem illa adversa fiunt.* Quæ victoribus tuta fuissent, eadem fient victis infesta : deerunt commeatus; coloniæ atque municipia portas claudent. Tac. Agr. XXXIII : « Omnia prona victoribus, atque eadem victis adversa. » Et mox : « Ita fugientibus periculosissima, quæ hodie prosperrima sunt. »

11. *Nos pro patria... certamus; illis supervacaneum est, etc.* Plena et justa esset oppositio, si dixisset : *nos pro patria.... certamus; illi pugnant pro potentia paucorum.* Sed multa paucis complexus, hæc intelligi voluit : Nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus; *quod necessarium maxime certamen est :* illi pro potentia paucorum pugnant, *quod profecto supervacaneum.* Atqui remissius pugnat, qui causam pugnandi non habet. Justinus, V, 9 : « Sed quum hinc pro patria *summis viribus*, inde pro aliena dominatione *securius* pugnaretur, tyranni vincuntur. »

12. *Aggredimini.* In imperandi modo, quo semper in hujuscemodi adhortationibus, non subjunctivo, uti Sallustium admonet Cortius.

13. *Licuit nobis.* Revocat illis in memoriam, quas contumelias fugientes arma sumpserint; ne forte eos suscepti consilii pœniteat.

14. *Hæc sequi.* Bellum scilicet atque arma. Nota oppositionem : *quia* ILLA *fœda... videbantur,* HÆC *sequi decrevistis.*

15. *Si hæc relinquere voltis.* Reposuimus *hæc,* Cortio et Bip. sine causa rejectum. Non enim sic displicet : HÆC *sequi decrevistis. Si* HÆC *relinquere voltis...* Nam vocula *hæc* non sola pronominis vice hoc loco fungitur. Illa una voce Catilina designat et conjurationem, et bellum quod incepit, et pericula quæ consilium hoc sequuntur. Has partes, inquit, hanc fortunam amplexi estis, turpitudinis vitandæ causa. Nunc si ab incepto desistere vultis, id sola audacia potestis efficere. Non enim in vestra potestate est, bellum an pacem habeatis. Habetis bellum, quod nemo, nisi victor, ubi vult, finire potest.

16. *Pace bellum, etc.* Pro bello pacem habuit. Sic fere Jug. LXXXIII : « Omne bellum sumi facile, ceterum ægerrume desinere; non in ejusdem potestate initium ejus et finem esse; incipere cuivis, etiam ignavo, licere; deponi, quum victores velint. »

quum arma, quis corpus tegitur, ab hostibus averteris [17], ea vero dementia est [18]. Semper in prælio his maxumum est periculum [19], qui maxume timent: audacia pro muro habetur. Quum vos considero, milites, et quum facta vestra æstumo, magna me spes victoriæ tenet. Animus, ætas, virtus vestra hortantur [20]; præterea necessitudo [21], quæ etiam timidos fortes facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiæ loci. Quod si virtuti vestræ fortuna inviderit, cavete inulti animam amittatis; neu capti potius, sicuti pecora, trucidemini, quam virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis. »

LIX. Hæc ubi dixit, paullulum commoratus, signa canere [1] jubet, atque instructos ordines in locum æquum deducit: dein, remotis omnium equis, quo militibus, exæquato periculo, animus amplior esset, ipse pedes [2] exerci-

17. *Quum arma... ab hostibus averteris.* Quum arma, quibus pectus tegitur, eo converteris, unde non veniunt hostes, versoque tergo indefensum corpus telis objeceris.

18. *Ea vero dementia est.* Eximia latini sermonis elegantia, pronomen demonstrativum ad id quod sequitur, non ad id quod præcedit, referre. Dicere poterat: « Id *profecto dementia est.* Maluit dicere: Ea vero dementia est; » ut c. VII: « *Eas* divitias, *eam* bonam famam putabant. » Item XX: « Idem velle atque nolle, *ea* demum firma amicitia est. » — *Vero.* Adverbium affirmandi, cujus unum hoc pro millibus exemplum sit, Cic. de Offic. III, 1: « Magnifica *vero* vox, et magno viro ac sapiente digna. »

19. *Maxumum est periculum, etc.* Curtius, loco jam allato, IV, 14. « Effugit mortem quisquis contempserit; timidissimum quemque consequitur. Horat. Carm. III, 2:

Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus timidoque tergo.

20. *Hortantur.* Sc. ut bonam spem habeam. Vulgo, *me* hortantur; sed Cortius ex MSS. delevit *me.*

21. *Præterea necessitudo.* Jam dixit: *non eadem nobis et illis necessitudo impendet.* Sed illic loquebatur de ea necessitate, quæ sociis suis arma induerat; hic, de ea necessitate, quæ victoriam inter et mortem nil medium relinquit. Eodem hoc sensu Curtius, V, 4: « Ignaviam quoque necessitas acuit, et sæpe desperatio spei causa est. » Liv. IV, 28: « Virtute pares, necessitate, quæ ultimum ac maximum telum est, superiores estis. »

Cap. LIX. 1. *Signa canere.* Nam tubis et buccinis signum dabatur.

2. *Ipse pedes, etc.* Ipse, dimisso equo, pedesque factus, ut ceteri

tum, pro loco atque copiis, instruit. Nam, uti planities erat[3] inter sinistros montes, et, ab dextera, rupes aspera, octo cohortes in fronte constituit; reliqua signa[4] in subsidio artius collocat. Ab his centuriones omnes lectos et evocatos[5], præterea ex gregariis militibus optumum quemque

omnes, exercitum instruit, prout vel loci natura, vel militum numerus postulat. Modo dixit: *instructos ordines in locum æquum deducit;* nunc: *instruit exercitum.* Scilicet priusquam *exercitus* instruatur, varios, quibus constat, *ordines* instructos esse oportet.

3. *Uti planities erat.* Quum planities esset, quæ a sinistra montes, a dextra rupem asperam habebat. — *Sinistros montes.* Nempe Catilina pedem e fuga referre coactus, ne in Metelli exercitum incideret, simulque ut persequenti resisteret Antonio, Romæ frontem obverterat, ideoque sinistros habebat Apenninos montes. — *Rupes aspera.* Hoc reposuimus ex Havercampo. Nam Cortius, *rupe aspera*, Bip. *rupis aspera;* nec necessaria, nec satis fulta auctoritatibus mutatione. Quidam velint: *inter sinistros montes, et ab dextera, rupem asperam;* ut media sit duarum rerum præpositio *inter.* Sed postquam dictum est: *planities erat inter sinistros montes;* statim subjicitur pro secundo membro: *et, ab dextera* (erat) *rupes aspera.* Et sensus sic quoque patet.

4. *Reliqua signa.* Reliquas cohortes, militari metonymia. Sic Tacit. Agric. XVIII: «Contractis legionum vexillis, pro *contractis legionum vexillariis.* — *Artius.* Idem quod *arctius.* Sic dicitur *artare* pro *arctare; multare* pro *mulctare.* — *In subsidio.* Sic vocabatur extrema acies ad ferendam laborantibus o em constituta. *Subsidebant* nixi genibus, unde *subsidium* dictum. Plaut. Fragmentorum versu 90: *Subsidete* omnes, quasi solent triarii.»

5. *Evocatos.* Peculiariter dicuntur *evocati*, qui, emeritis stipendiis, non poterant in *delectu* scribi, sed sponte militiam resumebant. Et, hoc quoque loco, sic volunt Cort. et Bip., et plerique gallici interpretes intelligi *evocatos;* eoque nomine designari veteranos et militia exercitatos homines, qui cum Catilina erant. Ulline vero dici possunt *evocati*, hoc est, extra delectum adsciti, ubi *delectus* esse non potuit? Si *evocatus*, miles *voluntarius* est, omnes voluntarii sunt in rebellis ducis exercitu. Si *veteranus*, cur *veteranos* non dixit? *Evocatos* hic potius pro participio simpliciter acceperim, ut et *lectos*, hoc sensu: *Centuriones omnes ab his*, qui in subsidiis erant, *legit et evocat;* simulque, cum optimis gregariorum militum, *in primam aciem subducit.* Bip. legit: *ab his centuriones omnes, electos, et evocatos... subducit;* adnotatque ex Veg. II, 6: «*Electi* erant legionis caput, prima cohors, quæ aquilam suscipiebat, et in prima acie locabatur.» Sed mox videbimus, non cum illis prope aquilam astitisse Catilinam. Gruterus *centuriones omnes lectos* interpretatur, *lectissimos quosque centurionum:* «Nam, inquit, ineptum fuerit cogitare omnes centuriones

armatum[6] in primam aciem subducit. C. Manlium in dextera, Fæsulanum[7] quemdam in sinistra parte curare jubet; ipse cum libertis[8] et colonis propter aquilam[9] adsistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte C. Antonius, pedibus æger[10], quod prælio adesse nequibat, M. Petreio[11] legato exercitum permittit. Ille cohortes veteranas, quas tumulti[12] caussa

ablatos. » Nonne vero alii erant, qui centurionum vicem explere possent? Nos in legendo, Havercampum et Cortium, in interpretando Kunhardt, sed multo magis rationem, ducem sequimur.

6. *Armatum*. Ex iis qui armis militaribus instructi erant. Vide supra, cap. LVI.

7. *Fæsulanum*. Hominem ex Fæsulis. Plutarchus Furium vocat. — *Curare*. Omnium rerum curam gerere. *Curare*, inquit Cortius, proprium verbum. Jug. LVII: «Legatis imperat, ubi quisque curaret.» Et alibi sæpe.

8. *Cum libertis*. Nempe suis. Nam si universe intelligeret libertinæ conditionis homines, diceret *cum libertinis*, quod quidem habent codices nonnulli. — *Et colonis*. Recte Gronovius intelligit veteranos Syllæ milites, in colonias deductos. Quid de iis, qui probant, quasi veram lectionem, *calonibus?* quasi ex vilissimis militum servis prætoriam cohortem Catilina sibi fecisset. *Colonus* etiam esse potest, qui agros alicujus *colit*. « Sed, inquit Cortius, non tam late possidebat Catilina, ut familiam colonorum haberet. »

9. *Propter aquilam*. De ista aquila Cicero in Cat. I, 9; quem vide.

10. *Pedibus æger*. Dio, XXXVII, testatur Antonium simulasse morbum, veritum ne strenue ipsum certantem Catilina probris incesseret, quem socium aliquando conjurationis habuisset. CORT.

11. *M. Petreio*. Idem ille Petreius in Hispania primum, deinde in Africa Pompeianas legiones contra Cæsarem duxit. Attritis vero apud Thapsum suis partibus, Petreius, ejusdemque belli socius Juba, rex Mauritaniæ, ne vivi ab hoste caperentur, inter se ferro dimicaverunt; rexque, occiso Petreio, ipse sibi mortem, servi cujusdam sui manu, conscivit. (Ex notis gallicis *De Brosses*, qui auctorem Africani belli sequitur; nam rem paulo aliter narrat Seneca, de Providentia, II, et Florus, IV, 2.)

12. *Tumulti*. Pro *tumultus*. Ut *senati*, pro *senatus*; vid. not. 4, ad cap. XXX. — *Tumultus* autem vocabatur seu repentinus Gallorum impetus, seu populorum Italorum rebellio. «Majores nostri, inquit Cic., Philipp. VIII, I, *tumultum Italicum*, quod erat domesticus, *tumultum Gallicum*, quod erat Italiæ finitimus. præterea nullum *tumultum* nominabant.» Porro ubi tale aliquod periculum imminebat, *tumultus decernebatur*, delectusque habebatur, sublata omni militiæ vacatione (Cic. Phil. V, 12); et quando singulos inter-

conscripserat, in fronte; post eas ceterum exercitum in subsidiis locat. Ipse [13] equo circumiens, unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat, uti meminerint, se contra latrones inermos [14], pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis cernere. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut præfectus, aut legatus, aut prætor cum magna gloria fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

LX. Sed ubi, rebus omnibus exploratis, Petreius tuba signum dat; cohortes paullatim incedere jubet. Idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum, unde a ferentariis [1] prælium committi posset, maxumo clamore cum infestis signis [2] concurrunt: pila [3] omittunt; gladiis res geritur. Veterani [4], pristinæ virtutis memores, cominus acriter instare; illi haud timidi resistunt. Maxuma vi certatur. Interea Catilina [5] cum expeditis in prima acie versari, laborantibus

rogare non vacabat, qui convenerant, simul jurabant, et dicebatur ista militia, *conjuratio*, ut docet Servius, in Virg. Æn. VIII, 4:

Extemplo turbati animi; simul omne *tumultu*
Conjurat trepido Latium.

13. *Ipse*. Et hoc quoque pronomen Petreium designat, quamvis in re tam expedita hæsitent Wasse, Glareanus, et alii; quibus oppositionem videre libet inter hoc: *ille cohortes veteranas*..., et hoc: *ipse equo circumiens*... Nonne vero ea res luce clarior: Antonius Petreio exercitum permittit. *Ille* Petreius, etc.? et rursus: Petreius suum cuique cohorti locum assignat; *ipse*, equo circumiens, etc?

14. *Inermos*. Antiq. pro *inermes*. — *Cernere*. Certare.

Cap. LX. 1. *A ferentariis*. *Ferentarii* erant milites levis armaturæ, qui prælii initium facere solebant, pilis atque missilibus pugnantes. Veget. I, 20. (Ex Cortio.)

2. *Cum infestis signis*. Aliqui deleri volunt *cum*, quod tamen in omnibus MSS. vidit Cortius. Et forsan non abundat. Indicare enim videtur eos non eminus primum, ut solet, et circum signa stantes, certavisse; sed statim, *cum ipsis signis*, ad manus miscendas concurrisse.

3. *Pila*. Pilum erat telum missile, proprium Romanis, ligneum, ferro armatum, quod manu contorquebatur. Unde Lucanus, I, 364:

Et dum pila valent fortes torquere lacerti.

4. *Veterani*. Ex exercitu romano. — *Illi*. Catilinarii.

5. *Interea Catilina*. Attendant lectores ad rapidum orationis flumen, quo Catilinam promptissime agentem velut corripi videmus. Plures

succurrere, integros pro sauciis arcessere, omnia providere, multum ipse pugnare, sæpe hostem ferire. Strenui militis, et boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petreius, ubi videt Catilinam, contra ac ratus erat[6], magna vi tendere; cohortem prætoriam[7] in medios hostes inducit, eos perturbatos atque alios alibi resistentes[8] interficit; deinde utrimque ex lateribus ceteros aggreditur. Manlius et Fæsulanus in primis pugnantes cadunt[9]. Postquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque pristinæ dignitatis, in confertissimos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur.

LXI. Sed confecto prælio, tum vero cerneres[1], quanta audacia quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinæ. Nam fere quem quisque pugnando locum[2] ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors prætoria disjecerat[3], paullo diversius[4], sed omnes

infinitivi eleganter excipiuntur verbo finito, *exsequebatur*, in quo legentis animus adquiescit. Kun.

6. *Contra ac ratus erat.* Præter opinionem. Modo enim dixit rem esse adversus *latrones inermos.*

7. *Cohortem prætoriam.* Sic dicebatur delectorum ex omni exercitu militum cohors, quæ a *prætore*, id est, *duce* non discedebat. Hoc institutum ad Scipionem Africanum refert Festus.

8. *Alios alibi resistentes.* Id est, non jam confertos, et in ordine pugnantes; sed alium hic, alium illic resistentes.

9. *In primis pugnantes cadunt. In primis* ad *cadunt* refer, non ad *pugnantes;* ita ut sensus fit: fuere ex primis qui pugnantes ceciderunt. Ad laudem enim eorum dicitur, *pugnantes cecidisse.* Sed vix laudatio esset dicere, eos pugnavisse *in primis* (vel, quod magis latinum, *inter primos*). Qui enim aliter in tali certamine facere poterant?

Cap. LXI. 1. *Tum vero cerneres, etc.* Quasi diceret: non solum in medio ardore pugnæ apparuit *quanta audacia* esset *in exercitu Catilinæ.* Tum præsertim id cernere fuit, quum prælium confectum est.

2. *Quem quisque... locum, etc.* Quam graviter, quam nove dicit, neminem loco pulsum retro cessisse! Quanta vis in hac oppositione, *amissa anima, corpore tegebat!* Quasi mortuus etiam assignatum sibi locum defenderet.

3. *Quos medios... disjecerat.* Quos disjecerat, in *medios* irrumpendo. Quorum agmen *medium* perruperat. Obvius quidem sensus; qui si Cortio se obtulisset, non ille vocabulum, *medios*, hic ferri non posse affirmans, arbitrio suo delevisset.

4. *Paullo diversius.* Magis disjuncti, ut qui *alii alibi restitissent;* ut

tamen adversis volneribus conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans, ferociamque animi [5], quam habuerat vivus, in voltu retinens. Postremo ex omni copia neque in prælio, neque in fuga, quisquam civis ingenuus [6] captus : ita cuncti suæ hostiumque vitæ juxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi romani lætam aut incruentam victoriam adeptus; nam strenuissimus quisque aut occiderat in prælio, aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem, qui de castris visundi, aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera [7], amicum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant; fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum lætitia, mœror, luctus atque gaudia [8] agitabantur.

paulo ante dictum est. — *Adversis volneribus.* In pectore, quod *ad* hostem *vertitur*, exceptis.

5. *Ferociamque animi.* Ita Silius, v, 673 :

Fronte minæ durant, et stant in vultibus iræ.

Idem, XIII, 733 :

Cui frons nec morte remissa
Irarum servat rabiem.

6. *Ingenuus.* Liber et ex parentibus liberis natus. Opponitur servo aut libertino homini.

7. *Volventes hostilia cadavera, amicum alii, etc.* Si ex omni opere, et præsertim ex historia documentum aliquod exsistere oportet; quantum documentum, ut mortales bella civilia horreant! et quam apta hujusmodi historiæ conclusio!

8. *Lætitia, mœror, luctus atque gaudia. Gaudium* animi votorum compotis interior et placidus affectus est. *Lætitia*, gaudium effusius se foras efferens. *Mœror* et *luctus* sæpe conjunguntur, utraque vox pro dolore animi exterius prodito. Differentiam tamen notat Cicero, Tusc. IV, 8 : « *Luctus* est ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo; *mœror*, ægritudo flebilis. » Hic ergo mœror lætitiæ, gaudio luctus opponitur.

CATILINARIUM BELLUM,

EX L. ANNÆI FLORI LIBRO IV, CAP. I.[1]

CATILINAM, luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familiaris, simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma romana peregrinabantur[2], in nefaria consilia opprimendæ patriæ suæ compulere: senatum confodere, consules trucidare, distringere incendiis urbem, diripere ærarium, totam denique rempublicam funditus tollere, et quidquid nec Annibal videretur optasse[3].

Quibus id, o nefas! sociis aggressus est? Ipse patricius; sed hoc minus est: Curii, Porcii, Sullæ, Cethegi, Autronii, Vargunteii, atque Longini; quæ familiæ! quæ senatus insignia! Lentulus quoque quum maxime prætor. Hos omnes immanissimi facinoris satellites habuit.

Additum est pignus conjurationis, sanguis humanus; quem circumlatum pateris bibere: summum nefas, nisi amplius esset, propter quod biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa conjuratio in Ciceronem

1. Non ingratum fore lectori putavimus, si, post Sallustianam conjurationis historiam, hanc velut *epitomen* haberet, summatim et paucis comprehensa verbis recogniturus, quæ fusius explicata perlegit.

2. *Peregrinabantur*. Sall. XVI: « In Italia nullus exercitus; Cn. Pompeius in extremis terris (scilicet adversus Tigranem et Mithridatem) bellum gerebat. »

3. *Et quidquid nec Annibal videretur optasse*. Perperam nonnulli sic interpungunt, ut hoc cum sequentibus jungatur, hoc modo: « Quibus, o nefas! sociis aggressus est senatum confodere, consules trucidare,.... et quidquid nec Annibal videretur optasse? » Sed quis non videt, nihil magis contrarium esse Flori ingenio? Nunquam Florum intellexit, qui non intelligit, *senatum confodere*,

et Antonium[4] consules, incidisset; quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit.

Tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum, sed parricidii innocens.

Tum consul, habito senatu, in præsentem parricidam, in præsentem reum, Cicero peroravit: sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque palam professo incendium suum restincturum ruina minaretur.

Et ille quidem ad præparatum a Mallio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus urbi. Lentulus, destinatum familiæ suæ sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad præstitutum a Catilina diem, urbe tota viros, faces, tela disponit; nec civili conspiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma sollicitatis: et isset ultra Alpes furor, nisi altera proditione Vulturcii, prætoris litteræ tenerentur. Statim Ciceronis imperio injecta est barbaris manus: palam prætor in senatu convincitur. De supplicio agentibus, Cæsar parcendum dignitati, Cato animadvertendum pro scelere censebat: quam sententiam sequutis omnibus, in carcere parricidæ strangulantur.

Quamvis parte conjurationis oppressa, tamen ab incepto Catilina non destitit; sed infestis ab Etruria signis patriam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit: nemo hostium bello superfuit; quem quisque in pugnando ceperat locum, eum, amissa anima, corpore tegebat; Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est: pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.

et reliqua, *appositionem* esse, declarantem quæ sint *nefaria illa opprimendæ patriæ consilia;* totumque illud, Flori more (qui mos sæpe in vitium vertit), sententia nova et inexspectata concludi.

4. *In Ciceronem et Antonium.* Hic Florus, immerito sane, et vix brevitatis necessitate excusandus, Antonium Ciceroni prope æquavit; quorum alter ultro et suis periculis servavit patriam, alter e sinu pene conjurationis ad consulatum evectus, non nisi spe opulentissimæ provinciæ induci potuit, ne contra rempublicam sentiret.

L. CATILINAE

GENUS, ET VITA

ANTE CONJURATIONEM.

QUAMVIS in luculenta Sallustii historia, egregiaque Flori epitome, nihil desiderandum sit, quod ad conjurationem pertineat; curiosum tamen antiquitatis lectorem fortasse non pigebit pauca hic invenire, tum de Catilinæ majoribus, tum de acta ejus ante ultimum illud facinus vita. Sic demum intelligetur, quibus gradibus ad summum ille pervenerit nefas, patriæ parricidium.

Nomen ejus fuit Lucius Sergius; cognomen Catilina; quod unde petitum sit, inter doctos ambigitur. Si credamus sagacissimo etymorum indagatori *De Brosses*, CATILINA idem sonat, quod gallica vox *pillard*. Nititur ille Festi auctoritate, in quo hæc: « CATILLATIO grave opprobrium hominibus generosis objiciebatur, si qui provincias amicas populi romani exspoliassent. » Viderint periti an recte *Catilina* a *catillatione* derivetur; certe congruere hominis moribus interpretationem nemo inficias iverit. Nec congruet minus, si *Catilinam* pro *Cati* seu *Catonis* diminutivo accipias; ut *Cato* prudentem, *Catilina* subdolum significet.

Gens Sergia, quæ dedecus hoc pulcherrimi nominis progenuit, auctorem generis sui ferebat Sergestum, Æneæ comitem, de quo Virgilius, Æneid. V, 121:

Sergestusque, domus tenet a quo Sergia nomen.

Ex ea gente, quum Romulus centum creavit senatores, unus adscitus est; præterea una ex rusticis tribubus Sergia nominata. Multi vero ab anno post U. C. circiter trecentesimo Sergii exstitere, domi militiæque nobiles; nullus nobilior M. Sergio, de quo, ne semper in scelere et conjurationibus versemur, egregium Plinii locum referemus (lib. VII, cap. 28):

« Marco Sergio, ut quidem arbitror, nemo quemquam hominum jure prætulerit, licet pronepos Catilina gratiam nomini deroget. Secundo stipendio dexteram manum perdidit; stipendiis duobus, ter et vicies vulneratus est; ob id neutra manu, neutro pede satis utilis; uno tantum servo, plurimis postea stipendiis debilis miles. Bis ab Annibale captus (neque enim cum quolibet hoste res fuit), bis vinculorum ejus profugus, viginti mensibus, nullo non die, in catenis aut compedibus custoditus. Sinistra manu sola quater pugnavit, duobus equis insidente eo suffossis. Dexteram sibi ferream fecit, eaque religata præliatus, Cremonam obsidione exemit, Placentiam tutatus est, duodena castra hostium in Gallia cepit; quæ omnia ex oratione ejus apparent, quum in prætura sacris arceretur a collegis, ut debilis. Quos hic coronarum acervos constructurus, hoste mutato? Etenim plurimum refert, in quæ cujusque virtus tempora inciderit. Quas Trebia, Ticinusve aut Trasymenus civicas dedere? Quæ Cannis corona merita? unde fugisse virtutis summum opus fuit. Ceteri profecto victores hominum fuere, Sergius vicit etiam fortunam. »

Hujus tanti viri abnepos[1] fuit Catilina, cuilibet majo-

1. *Abnepos.* Pronepotem dixit Plinius, sed, opinor, non stricto sensu. Nam omnes ordine majores Catilinæ enumerat *De Brosses*, in quibus *abavum* ejus fuisse apparet Marcum illum Sergium. Abavus autem est *quartus pater*, ut constat ex hoc Plauti versu, Pers. 1, 2, 5:

Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos;

Quibus respondent, eadem serie, filius, nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos. — *Nota bene.*

rum gloriæ, scelerum suorum fama, caliginem inducturus. Patrem habuit senatorem Q. Sergium[2], quem inter sicarios damnatum memorat, nulla alia re addita, Cicero in oratione quam prætor habuit pro Cluentio, apud collegam suum Voconium Nasonem.

Natus est anno U. C. circiter 646, si tempus æstimatur, quo magistratus petivit. Syllæ quæstor in bello civili, ejusdem in proscriptionibus adjutor et minister, vere in cædibus et rapinis, ut ait Sallustius, juventutem suam exercuit. Præfectus enim, Syllæ jussu, barbaræ Gallorum multitudini, qui proscriptorum civium capita demebant[3], ne eorum quidem opera indigebat; sitiens ipse sanguinis, et parum ratus si tantummodo supplicia juberet. Itaque suis ipse manibus hominem optimum, Q. Cæcilium sororis suæ virum, equitem romanum, nullarum partium, occidit; videlicet ut sibi majorem cum propria sorore[4] stupri licentiam faceret.

Quid? quod M. Marium[5] Gratidianum, avunculum Ciceronis, hominem populo romano gratissimum, extractum latebra, virgis per totam urbem cecidit, egitque ad Lutatiæ gentis bustum, Q. Catulo, in C. Marii septimum consulis victoria interempto, minime gratas inferias

Avos, correpta ultima, nominativus est, ut avus. Item de ceteris. — Tritavus est quasi *tertius avus*, sive *sextus pater*; item trinepos, *tertius nepos*, sive *sextus filius*.

2. *Q. Sergium.* Cic. pro Cluentio, vii. Ceterum hic interpretis jam laudati *De Brosses* conjecturam sequimur. Nam Q. Cicero, de Petitione Consulatus, ii, tantummodo de Catilina dicit, *natus in patris egestate*; nec de condemnatione loquitur.

3. *Capita demebant.* Q. Cicero, de Petit. Consul. ii. — *Q. Cæcilium.* Ibidem.

4. *Cum propria sorore.* Q. Cicero, ibid.: «Educatus in sororis stupris.»

5. *M. Marium.* Ibidem. Adde Val. Max. ix, 2. Præterea Lucanum, Pharsal. ii, 173, et seqq.

Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam? cui victima tristes
Inferias Marius, forsan nolentibus umbris,
Pendit, inexpleto non fanda piacula busto:
Quum laceros artus, aquataque vulnera membris
Vidimus, et toto quamvis in corpore cæso
Nil animæ letale datum, moremque nefandæ
Dirum sævitiæ, pereuntis parcere morti.
Avulsæ cecidere manus, exsectaque lingua
Palpitat, et muto vacuum ferit æra motu.
Hic aures, alius spiramina naris adunca
Amputat; ille cavis evolvit sedibus orbes,
Ultimaque effodit spectatis lumina membris.
Vix erit ulla fides, tam sævi criminis unum
Tot pœnas cepisse caput.

missurus, mitissimi viri crudelissimus ultor. Non prius enim M. Marium vita privavit, quam oculos erueret, linguam, aures, manus amputaret, crura perfringeret, totum denique corpus paulatim et per singulos artus laceraret. Quin etiam vivi adhuc caput arreptum capillis gladio suo resecuit, resectumque sua manu per ora vulgi, a Janiculo ad Apollinis templum, prope portam Carmentalem[6], Syllæ detulit, stillante inter ferentis digitos sanguine; mox addito religionum ludibrio, lustrali Apollinis aqua manus abluit cruentas[7].

Nefanda illa quidem; restat tamen aliquid, quod inter tot nefanda horreas. Ille M. Plætorium[8], quod ad Marii supplicium exanimis ceciderat, continuo ibi mactavit; ut misericordiæ expers, ita miserescere quemquam non passus.

Sed jam antea, id facinus patraverat, quod ne sic quidem æquavit. Nam interfecto ante confectum bellum fratre[9] germano, eum inter proscriptos quasi vivum referri curavit, in uno homine, quoad licuit, bis parricida.

Hæc qui fecerat adolescens, nil mirum si vir ad filii cædem[10], filiæque nuptias[11] veterem atque usu corrobora-

6. *Prope portam Carmentalem.* Vid. Asconii Commentationem in Cic. Orat. in Toga Candida.

7. *Manus abluit cruentas.* Plut. in vita Syllæ: Μάρκον τινὰ Μάριον τῶν ἐκ τῆς ἐναντίας στάσεως ἀποκτείνας, τὴν μὲν κεφαλὴν ἐν ἀγορᾷ καθεζομένῳ τῷ Σύλλᾳ προσήνεγκε, τῷ δὲ περιῤῥαντηρίῳ τοῦ Ἀπόλλωνος ἐγγὺς ὄντι προσελθὼν, ἀπενίψατο τὰς χεῖρας.

8. *M. Plætorium.* Hoc de L. Sylla narrat Valerius Maximus, IX, 2; cujus hæc verba sunt: « At ille (Sylla) etiam M. Plætorium, quod ad Marii supplicium exanimis ceciderat, continuo ibi mactavit, novus punitor misericordiæ, apud quem iniquo animo scelus intueri, scelus admittere fuit. » Idem necem Gratidiani Syllæ quoque adscribit. Sed utrumque scelus Catilinæ manu patratum esse constat tum ex Plut. et Q. Cicer., tum ex Seneca, *de Ira*, III, 18; qui de supplicio Marii loquutus (quod statim consequuta est nex Plætorii), hæc adjicit: « Quis erat hujus imperii minister? quia, nisi Catilina, jam in omne facinus manus exercens? »

9. *Interfecto.... fratre.* Plutarch. in Sylla: Οὔτος γὰρ, οὔπω τῶν πραγμάτων κεκριμένων, ἀνῃρηκὼς ἀδελφὸν, ἐδεήθη τοῦ Σύλλα τότε προγράψαι τὸν ἄνθρωπον, ὡς ζῶντα· καὶ προεγράφη.

10. *Ad filii cædem.* Sallust. Cat. XV. Item Cic. in Catil. I, 6.

11. *Filiæque nuptias.* Cicero, in

tam amentiam converterit. Nam quod Orestillæ vacuam domum fecerit, morte alterius uxoris, in tali portento mediocris et fere jam vulgaris immanitatis videtur. Illa enim jam non unius aut paucorum scelera fuere. Stupet animus cogitando quot venefici, quot sicarii, quot parricidæ, quot testamentorum subjectores, quot perjuri falsique testes vulgo, tunc temporis, in Italia et in ipsa urbe versarentur, impudentissimique oris, nullis vindicatam judiciis, ignominiam circumferrent[12]. Quo minus mireris civitatem, in qua tot privatis facinoribus impune erat, publicam aliquando pestem genuisse.

Sed Catilina tempus, quod mortem Syllæ sequutum est, egit, ut consueverat, inter exoletos et gladiatores; quorum ministerio[13] tum ad libidines, tum ad facinora, utebatur. Magnum certe malum reipublicæ fuit, hunc talem hominem in civitate omnino exsistere; majus multo, ad honores accedere. Sed eum summa generis nobilitas commendabat, nec ad postulandum calliditas et astutiæ deerant. Igitur quæstor fuit anno U. C. 676; post quæsturam legatus Curionis in Macedonia, strenue et acriter militiam obiit; quippe jam adolescentulus consueverat labores, inediam, insomnia pati, nuda humo jacere, noc-

Toga Candida: « Ex eodem stupro tibi et uxorem et filiam invenisti. » Quæ verba ita interpretatur Asconius: « Dicitur Catilina adulterium commisisse cum ea quæ ei postea socrus fuit, et ex stupro duxisse uxorem, quum ejus filia esset. Hæc Lucceius quoque Catilinæ objicit in orationibus, quas in eum scripsit. Nomina harum mulierum nondum inveni. » Ex his patet sine satis firmo argumento putare quosdam mulierem illam, quæ eadem Catilinæ et filia fuit et uxor, ipsam Orestillam fuisse. Nec minus incertum est quot uxores habuerit Catilina.

12. *Ignominiam circumferrent.* Si aliud scelerum omnium exemplar, ipsi non impar Catilinæ, intueri libeat, Ciceronem adi, pro Cluent. v, et seq. Ibi quidquid sceleris excogitari posse vix credas vel a multis nefariisque hominibus, ab uno Oppianico effectum et patratum videbis; simulque intelliges quid audaciæ tunc temporis impune licuerit.

13. *Quorum ministerio... utebatur.* Q. Cic. de Petitione Consulatus, III: « Qui postea cum histrionibus et cum gladiatoribus ita vixit, ut alteros libidinis, alteros facinoris adjutores haberet. »

tes totas sub dio tolerare, dum vel ad scelus, vel ad stupra vigilaret. Prætura functus anno 686, dein Africam provinciam obtinuit; cujus quum prædo potius quam præfectus fuisset, Romam redux, postulantibus Afris, in judicium vocatus est. Accusatorem vero habuit, quod memoratu sane haud indignum est, P. illum Clodium [14], qui post ejus mortem, dux et signifer turbarum civilium, id pro virili parte effecit, ne vexandæ reipublicæ deesset alter Catilina.

Eodem ipso tempore quo reus erat repetundarum, prioris conjurationis consilia iniit cum Autronio et Pisone; quæ si non irrita cecidissent, primum omnium neci dabat consulem Torquatum, ipsi et tunc amicum, et postea in illo judicio advocatum [15]. Nam adfuerunt Catilinæ [16] multi et præclari viri, sive illum adversus patriam conjurasse non crederent, sive nonnihil credentes, dissimularent tamen; invalescente jampridem apud Romanos more, ut injustam civis, quam justam externorum causam vincere mallent. Nec longe abfuit ipse Cicero, quin hominis defensionem susciperet. « Hoc tempore, inquit, Catilinam competitorem nostrum defendere cogitamus..... Spero, si absolutus fuerit, conjunctiorem illum nobis fore in ratione petitionis; sin aliter acciderit, humaniter feremus [17]. » Quanquam

14. *P. illum Clodium.* Asconius, Comm. in Cic. Cornelianam. « Fuit autem Catilina patricius, et eodem illo tempore erat reus repetundarum, quum provinciam Africam obtinuisset, et consulatus candidatum se ostendisset. Accusator erat ejus P. Clodius, adolescens ipse quoque perditus, qui postea cum Cicerone inimicitias gessit. »

15. *In illo judicio advocatum.* Cic. pro P. Sylla, XXIX : « Quin etiam parens tuus, Torquate, consul reo de pecuniis repetundis Catilinæ fuit advocatus, improbo homini, at supplici; fortasse audaci, at aliquando amico. Cui quum adfuit post delatam ad eum primam illam conjurationem, indicavit se audisse aliquid, non credidisse. »

16. *Nam adfuerunt Catilinæ.* Cicero, ibidem : « Si tuus parens (consul Torquatus) etiam in illa suspicione periculi sui, tamen humanitate adductus advocationem hominis improbissimi, sella curuli atque ornamentis et suis et consulatus, honestavit; quid est quamobrem consulares, qui Catilinæ adfuerunt, reprehendantur? »

17. *Humaniter feremus.* Cicer. Ep. ad Attic. I, 2. — Tunc, anno 689,

consilium mutavit Cicero, nec ejus nomini[18] hæc macula adhæret, ut pro Catilina dixerit. Qui tamen non ideo minus absolutus est. Nam patrocinium aliquod habebat, omni certius et efficacius eloquentia : ereptam provinciæ pecuniam, paratos corrumpenti judices, prævaricantem accusatorem[19]. Igitur Clodii et judicum infamia hoc judicio liberatus[20], quum malis artibus et summa ambitus licentia consulatum peteret, contra eum et alterum competitorem C. Antonium, *in toga candida*, orationem apud senatum habuit Cicero, qua commemoratis utriusque flagitiis petitionem eorum labefactaret.

Paucis vero postquam repulsam tulisset mensibus Catilina, reus factus est *inter sicarios*, a L. Lucullo[21] propter Syllani temporis cædes, iterumque absolutus[22]. Sic ad ulti-

Cicero et Catilina consulatum, in annum 691, simul petebant.

18. *Nec ejus nomini, etc.* Etiam hic Asconii verba referemus : « Defensus est Catilina, ut Fenestella tradit, a M. Cicerone. Quod ego ut addubitem hæc ipsa Ciceronis oratio facit; maxime quod is nullam mentionem rei habet, quum potuerit invidiam facere competitori tam turpiter adversus se coeunti. » Et mox in hæc Ciceronis verba : *Nam ut te illic* (in provincia) *gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es. Mentitos esse equites romanos, falsas fuisse tabellas honestissimæ civitatis existimo, mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam fuisse nescio quid, apud illos judices qui te innocentem judicaverunt. O miser, qui non sentias illo judicio te non absolutum, verum ad aliquod severius judicium ac majus supplicium reservatum!* In hæc, inquam, Asconius : « Verine ergo simile est hæc eum Catilinæ objicere, si illo defendente « absolutus est? etc. » Asc. in Cic. Orat. in Toga Candida.

19. *Prævaricantem accusatorem.* Cicero, de Harusp. resp. xx : « A Catilina pecuniam accepit, ut turpissime prævaricaretur. » Prævaricatur autem accusator, quum mercede aut alia causa inductus, ita actionem suam instituit, ut reum adjuvet potius, quam impugnet.

20. *Hoc judicio liberatus.* Q. Cicero, de Petit. Consul. « Sed tamen hoc mihi non prætermittendum videtur, quod primum ex eo judicio tam egens discessit, quam quidam judices ejus ante illud judicium fuerunt; deinde tam invidiosus, ut aliud in eum judicium quotidie flagitaretur. »

21. *A L. Lucullo.* Asconius in Cic. Orat. in Toga Candida.

22. *Iterumque absolutus.* Cic. Ep. ad Attic. I, 16 : « Bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam. » Ceterum Orosius, VI, 3, ait Catilinam, jam ante duas illas accusationes, in

mum, quod jam tum parabat, contra patriam facinus, felici ad hoc tempus audacia, et præteritorum scelerum impunitate confirmatus accessit [23].

judicium vocatum fuisse ob corruptam virginem vestalem (Sall. Catil. xv), Catulique gratia fultum evasisse. Sed Cicero, in *Toga Candida*, Catilinam alloquens, hoc tantum dicit:... « Quum ita vixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non adventus tuus, *etiam quum nulla culpa subesset*, crimen afferret. » In quæ verba Asconius: « Fabia virgo vestalis causam incesti dixerat, quum ei Catilina objiceretur, eratque absoluta. Hæc Fabia quia soror erat Terentiæ Ciceronis, ideo sic dixit: *Etiam si nulla culpa subesset*. Ita et suis pepercit, et nihilo levius inimico summi opprobrii turpitudinem objecit. » Ex hoc loco, cum ante dicta epistola collato, apparet primi illius criminis reum ipsum Catilinam factum non fuisse; ideo his tantum capitis causam dixisse.

23. Hic addimus, ne quid de Catilinæ moribus desit, ejus indolem a Cic. descriptam, pro Cœlio, v.

« Habuit ille permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum. Utebatur hominibus improbis multis; et quidem optimis se viris deditum esse simulabat. Erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam industriæ quidam stimuli ac laboris. Flagrabant vitia libidinis apud illum; vigebant etiam studia rei militaris. Neque ego unquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque, inter se pugnantibus, naturæ studiis cupiditatibusque conflatum.

Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hostis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? Illa vero, judices, in illo homine mirabilia fuerunt: comprehendere multos amicitia, tueri obsequio, cum omnibus communicare quod habebat, servire temporibus suorum omnium pecunia, gratia, labore corporis, scelere etiam, si opus esset, et audacia: versare suam naturam, et regere ad tempus, atque huc et illuc torquere et flectere: cum tristibus severe, cum remissis jucunde, cum senibus graviter, cum juventute comiter, cum facinorosis audacter, cum libidinosis luxuriose vivere. Hac ille tam varia multiplicique natura, quum omnes omnibus ex terris homines improbos audacesque collegerat; tum etiam multos fortes viros et bonos specie quadam virtutis assimulatæ tenebat. Neque unquam ex illo delendi hujus imperii tam consceleratus impetus exstitisset, nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facilitatis et patientiæ radicibus niteretur. »

SERIES
RERUM ET TEMPORUM
AD HISTORIAM CONJURATIONIS PERTINENTIUM,
SEU FASTI CONJURATIONIS,

A CL. V. DE BROSSES GALLICE CONSCRIPTI,
IN LATINUM SERMONEM LIBERE CONVERSI.

ANNI URBIS CONDITÆ.

686. *

Consules. L. Cæcilius Metellus. Q. Marcius Rex.

Catilina prætor.

687.

Consules. C. Calpurnius Piso. M. Acilius Glabrio.

Catilina in Africa præturam gerit.

688.

Consules. L. Volcatius Tullus. M. Æmilius Lepidus.

Catilina profitetur se petere consulatum.

Postulantibus Africæ legatis, a P. Clodio repetundarum accusatur.

---

* *De Brosses*, 685; item de omni annorum serie. Nos receptam hodie apud doctos rationem sequuti sumus; qua annus urbis conditæ 754, primus ævi Christiani numeratur, Ciceronisque consulatus in annum 691 incidit. Item infra, uno aut altero die, bis terve, ab auctore nostro discedimus, Cicerone duce. Nec non et aliqua, præsertim circa finem, quæ paucissimis ille verbis exhibuerat, paulo apertiora ostendimus, ex ejusdem appendice, cui titulus : *Suite de l'histoire de la conjuration.*

Tullus consilium publicum habet, an Catilinæ consulatum petendi potestas facienda sit.

Catilina desistit a petitione.

Non. decemb. (5 *decemb.*) Prioris conjurationis consilium initur.

689.

Consules. L. Manlius Torquatus. L. Aurelius Cotta.

Kal. jan. Frustra novos consules interficere tentat Catilina.

Clodius in Catilinam legibus repetundarum agere pergit.

Non. febr. Iterum frustra tentatur consulum multorumque senatorum cædes.

XVI kal. sext. (17 *jullet.*) Catilina repetundarum reus absolvitur, rursusque in annum 691 consulatum ambit.

Piso quæstor pro prætore mittitur in Hispaniam.

690.

Consules. L. Julius Cæsar. C. Marcius Figulus Thermus.

Kal. jun. Catilina secundæ conjurationis socios convocat.

Candidati consulatus in annum 691:

L. Sergius Catilina; *C.* (*C.* conjurationis, *S.* senatus partes indicat.)

P. Sulpicius Galba; *S.*

C. Antonius Hybrida; *designatus. C.*

C. Licinius Sacerdos;

Q. Cornificius; *S.*

L. Cassius Longinus; *C.*

M. Tullius Cicero; *designatus. S.*

Sextus Aufidius;

C. Aquilius Gallus;

M. Cæsonius;

M. Lollius Palicanus.

Catilina repulsam patitur. Accusatur *inter sicarios*

a Lucullo. In annum 692 denuo consulatum ambit.

691.

Consules. M. Tullius Cicero. *S.* — C. Antonius Hybrida. *C.*

Prætores. P. Cornelius Lentulus Sura, prætor urbanus; *C.*
Q. Cæcilius Metellus Celer; *S.*
C. Pomptinus; *S.*
L. Valerius Flaccus; *S.*
Q. Pompeius Rufus; *S.*
C. Sulpicius Gallus; *S.*
C. Cosconius; *S.*
L. Afranius.

Ædil. curul. P. Cornelius Lentulus Spinther; *S.*
L. Julius Cæsar. *S.*

Ædil. plebeii. L. Scribonius Libo;
C. Memmius Gemellus.

Tribuni plebeii, usque ad decimum diem decembris. P. Servilius Rullus; *C.*
T. Attius Labienus; *C.*
L. Cæcilius; *C.*
T. Ampius Balbus;
Manlius Lentinus; *S.*
M. Domitius Calvinus;
L. Apuleius;
P. Licinius Crassus; *S.*
C. Verginius;
P. Silius Nerva.

Tribuni plebeii post decimum diem decembris. Q. Metellus Nepos; *C.*
M. Porcius Cato; *S.*
L. Calpurnius Bestia; *C.*
Q. Minucius Thermus; *S.*
P. Nigidius Figulus; *S.*
L. Ælius Tubero;
M. Nonius Suffenas;
Q. Titatius Varus;
Q. Lucretius Vespillo.

Quæstores. Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio, quæstor urbanus;
C. Claudius Marcellus, idem;
T. Fadius, quæstor Ciceronis;
P. Sextius, quæstor Antonii; *S.*
P. Vatinius; *C.*
Sext. Atilius Serranus; *C.*
Servius Sulpicius Galba, quæstor Pomptini. *S.*

CANDIDATI CONSULATUS IN ANNUM 692.

L. Sergius Catilina; *C.*
L. Licinius Murena, *designatus; S.*
Servius Sulpicius; *S.*
D. Junius Silanus, *designatus; S.*

PRÆTORES DESIGNATI.

C. Julius Cæsar, prætor urbanus; *C.*
Q. Tullius Cicero; *S.*
C. Virgilius;
M. Attius Balbus;
M. Valerius Messala; *S.*
M. Calpurnius Bibulus; *S.*
L. Cæsellius Bassus;
L. Lucceius Hirrus.

Censores. L. Aurelius Cotta; *S.*
P. Servilius Isauricus. *S.*

Princeps senatus. Q. Lutatius Catulus; *S.*

Summus pontifex. Q. Cæcilius Metellus Pius, *S.*; et post ejus mortem,
C. Julius Cæsar. *C.*

EXERCITUUM DUCES.

Cn. Pompeius Magnus, Pontum et Bithyniam provincias obtinens; *S.*
C. Antonius Hybrida, *C.*, Macedoniam post consulatum habiturus, quam post eum habuit
C. Octavius, Cæsaris Octaviani pater; *S.*

Q. Marcius Rex, imperator, in Etruria; *S.*

Q. Cæcilius Metellus Creticus, in Apulia; *S.*

Q. Cæcilius Metellus Celer, *S.*, in Piceno et Gallia Cisalpina, quam primum sortitus fuerat M. Tullius Cicero;

C. Licinius Murena, in Gallia Transalpina;

Cn. Calpurnius Piso, in Hispania; *C.*

P. Orbius, in Asia;

Q. Pompeius Rufus, in Campania; *S.*

C. Pomptinus, apud Allobrogas; *S.*

Q. Tullius Cicero, in Bruttio; *S.*

M. Calpurnius Bibulus, apud Pelignos; *S.*

M. Petreius, Antonii legatus; *S.*

C. Manlius, seu Mallius, Catilinæ legatus; *C.*

P. Furius (apud Sallust. Fæsulanus), idem; *C.*

Piso in Hispaniam profectus interficitur.

In certo mensis octobris die. Catoni respondet Catilina *se incendium suum ruina restincturum.*

XIII kal. nov. (20 *octobre*). Cicero de conjuratione ad senatum refert.

Senatus-consultum, ne postero die comitia habeantur.

XII kal. nov. (21 *octobre.*) Nuntiantes magnum periculum litteras Crassus noctu ad Ciceronem affert.

Senatus in æde Concordiæ habetur. Cicero Catilinam palam interrogat, jubetque respondere.

Alterum senatus-consultum, DARENT OPERAM CONSULES, NE QUID RESPUBLICA DETRIMENTI CAPERET. *

---

* De hac rerum serie, in qua sequimur *De Brosses*, vide notam 4, ad cap. XXIV. Neque tamen nescimus, et ex ipso Sallustio et ex Plutarcho (in Cicerone) colligi posse, decretum illud factum fuisse non ante, sed post comitia consulibus eligendis, die octob. XXII, habita. Sed Cicero in Catil. I, 2, de hoc decreto, apud senatum, die nov. VIII, dicebat: *vicesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis;* quod cum exhibita hic temporum ratione optime congruit. Quod si Plutar-

XI kal. nov. (22 *octobr.*) Eliguntur consules Silanus et Murena, Catilinaque repulsam patitur.

X kal. nov. (23 *octobr.*) Catilina *lege Plautia de vi* a L. Paulo accusatur.

VI kal. nov. (27 *octobr.*) Manlius arma capit in Etruria.

V kal. nov. (28 *octobr.*) Dies ad cædem optimatum a Catilina destinatus. (Cic. in Catil. I, 3).

Kal. nov. Catilina Præneste occupare nocturno impetu tentat.

VIII idus nov. (6 *nov.*) Catilina socios apud Læcam convocat, ea nocte quæ sextum diem novembris a septimo dividit.

VII id. nov. (7 *nov.*) Vargunteius et Cornelius mane ad Ciceronem eunt, illum in lecto suo confossuri.

VI id. nov. (8 *nov.*) Cicero senatum in ædem Jovis Statoris convocat.

Prima Ciceronis in Catilinam oratio.

Catilina Roma se proripit, nocte quæ consequuta est octavum diem novembris.

V id. nov. (9 *nov.*) Secunda Ciceronis Catilinaria, ad quirites. Habetur senatus.

XII kal. dec. (20 *nov.*) vel circiter. Tertio senatus-consulto, Catilina et Manlius hostes judicantur.

Circa finem novembris. Cicero Murenam ambitus reum defendit.

Conjurati legatis Allobrogum rem omnem aperiunt, in domo Semproniæ.

Kal. decemb. vel circiter. Conjurati, vocante Lentulo, concilium habent.

Autronius Etruriam petit.

Cassius Roma aufugit.

III non. dec. (3 *dec.*) Allobroges in ponte Milvio, cum litteris totius rei indicibus, per noctem, quæ hunc diem præcedit, deprehenduntur.

---

chum sequamur, ad alium quoque diem, post comitia, referri debebunt litteræ a Crasso ad Ciceronem delatæ. Hoc monendum credidimus, ne quid in utramque partem lector ignoret.

Introducti in curiam conjurati, præsentibus legatis, interrogantur.

Quarto senatus-consulto, traduntur in custodiam conjurati, supplicationesque, Ciceronis nomine, decernuntur.

Tertia Catilinaria, ad quirites, ineunte nocte habita.

Pridie non. decemb. (4 *décemb.*) Decreta conjurationis indicibus præmia.

Non. dec. (5 *décemb.*) Quarta Ciceronis adversus Catilinam oratio, in æde Concordiæ, ad senatum. Senatus de conjuratis supplicium sumi jubet, amplissimisque honoribus Ciceronem decorat.

Equites romani Cæsari gladio minitantur. Supplicium sumitur de Lentulo et ceteris.

XVI kal. jan. (17 *décemb.*) Dies ille ad urbem cædibus et incendio vastandam a Lentulo destinatus fuerat.

Prid. kal. jan. (31 *décemb.*) Cicero magistratum deponit, juratque verissimum pulcherrimumque jusjurandum : rempublicam atque urbem Romam sua unius opera esse salvam.

692.

Consules. Kal. jan. D. Junius Silanus. L. Licinius Murena.

Cicero, in senatu, tribunum Metellum Nepotem, vehementi oratione, insectatur.

III non. jan. Metellus Nepos adversus Ciceronem e rostris concionatur.

Non. jan. (5 *janv.*) Prælium Pistoriense. Mors Catilinæ.

Attritæ in Gallia Cisalpina, a Metello Celere, reliquiæ conjuratorum.

Metellus Nepos Pompeium cum exercitu ex Asia Romam advocare vult. Ex urbe fugit.

Ciceronem inter et Metellum Celerem jurgium intercedit.

Lege Plautia *de vi* accusati, damnantur exilio Cassius, Læca, Serv. Sylla, Varguntéius, Cornelius, et Antronius.

Reus factus P. Sylla, et a Cicerone defensus, absolvitur.

Prid. non. dec. (4 *decemb.*) P. Clodius in C. Cæsaris domo, muliebri vestitu, deprehenditur.

693.

Consules. M. Pupius Piso. M. Valerius Messala.

Bellum adversus Allobrogas gerit Pomptinus.

694.

Consules. Q. Cæcilius Metellus Celer. L. Afranius.

Pompeius, Cæsar, et Crassus societatem ineunt, quæ triumviratus nomine dicta est.

695.

Consules. C. Julius Cæsar. M. Calpurnius Bibulus.

III non. jan. (3 *janu.*) Metellus Celer veneno necatur ab uxore sua Clodia, P. Clodii sorore.

Octavius veteres Catilinæ et Spartaci socios, novos in Macedonia motus cientes, profligat. (Suet. in Aug. IV.)

C. Antonius accusatur, quasi Catilinariæ conjurationis particeps. A Cicerone defensus, et hoc crimine purgatus, damnatur tamen ob pessime administratam Macedoniam.

P. Clodius, a Fonteio plebeio adoptatus, ad plebem transit.

Valerius Flaccus, Catilinariæ factioni ob deprehensos in ponte Milvio Allobrogas invisus, repetundarum accusatur ex Asia redux, quam ex prætura obtinuerat; defendentibusque Cicerone et Hortensio, quæstione liberatur.

Initio decemb. P. Clodii tribunatus.

696.

Consules. L. Calpurnius Piso Cæsonius. A. Gabinius.

Circa finem mensis martii. Clodianorum vi et furoribus pulsus, in exilium abit Cicero.

697.

Consules. L. Cornelius Lentulus Spinther. Q. Cæcilius Metellus Nepos.

Kal. jann. Spinther de revocando Cicerone ad senatum refert.

Prid. id. quintilis. (14 *julliet.*) Habetur in Capitolio senatus, Ciceronemque decreto revocat.

III non. sept. (3 *septemb.*) Redux Cicero Romam ingreditur.

698.

Consules. Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus. L. Marcius Philippus.

Ambitus accusatus a Cæcilio, Calpurnius Bestia exilio damnatur.

699.

Consules. Cn. Pompeius Magnus. M. Licinius Crassus.

Fulvius Nobilior exilio damnatur. Nec quisquam præterea Catilinæ sociorum pœna mulctatus est.

700.

Consules. L. Domitius Ahenobarbus. Appius Clodius Pulcher.

Prid. kal. nov. (31 *octob.*) Pomptinus idem qui, cum Flacco, legatos Allobrogum in ponte Milvio deprehenderat, de hac gente exspectatum per quinque annos triumphum agit.

C. CRISPI SALLUSTII

JUGURTHA.

SINGULORUM CAPITUM

ARGUMENTA.

I. Proœmium. Falso queruntur homines, quod natura imbecilla et ævum breve sit. Si viribus et tempore bene uterentur, gloria æterni fierent.

II. Quum bona corporis fluxa sint, animi opera immortalia; eorum pravitas admiranda est, qui dediti corporis gaudiis, ingenium ignavia torpescere sinunt.

III. Gloriam tamen quærere ex rerum publicarum tractatione, in tam turbidis temporibus, non sapientis est.

IV. Porro ex omnibus negotiis, quæ ingenio exercentur, historiam scribendi munus elegit Sallustius, ratus utilem eum laborem fore, propositis in corrupto sæculo virtutum exemplis. (Hic finis est proœmii.)

V. Jugurthinum bellum scripturus, magnum et atrox, et cum civilibus discordiis conjunctum, res ab initio repetit: Masinissam, Numidarum regem, in amicitiam receptum a P. Scipione; Jugurtham a Micipsa, Masinissæ filio, eodem cultu quo liberos domi habitum.

VI. Jugurthæ adolescentia, optimis artibus dedita, amorem Numidarum ipsi conciliat; mox Micipsæ suspicionem movet, ne talis vir in sui et liberorum perniciem crescat.

VII. Igitur Micipsa Jugurtham, periculo mortis objecturus, præficit Numidis, quos in Hispaniam Romanis adver-

sus Numantinos mittebat. Sed ibi Jugurtha gloriam, non mortem, invenit.

VIII. Spes imperii Numidarum potiundi Jugurthæ injicitur; innuentibus nonnullis, illud a paucis Romæ potentioribus emi posse; monente vero Scipione regnum illi ultro venturum, si publice potius quam privatim amicitiam populi romani colere velit.

IX. Jugurtha cum honorificentissimis litteris ad regem dimittitur; qui virtute viri permotus eum adoptat, hæredemque pariter cum Adherbale et Hiempsale filiis instituit.

X. Micipsæ morientis oratio, qua Jugurtham filiosque ad pacem et concordiam hortatur.

XI. Mortuo Micipsa, reguli conveniunt, de summis regni rebus deliberaturi. Quo in concilio, gravi contumelia provocatus ab Hiempsale Jugurtha, ultionis consilia secum agitat.

XII. Hiempsal a Jugurthæ satellitibus noctu per dolum interficitur.

XIII. Scissa, ab tantum facinus, in duas partes Numidia, plures Adherbalem, bello meliores Jugurtham sequuntur. Prælio victus Adherbal Romam contendit. Jugurtha nobilitatis animos pellicit, missa per legatos pecunia.

XIV. Oratio Adherbalis ad senatum contra Jugurtham.

XV. Legatorum Jugurthæ breve responsum. Diversæ senatorum sententiæ.

XVI. Senatus Jugurtham inter et Adherbalem Numidiam dividi jubet. Pars agro et viris opulentior Jugurthæ traditur.

XVII. Brevis Africæ descriptio.

XVIII. Gentium Africam incolentium, ac præcipue Numidarum, origo.

XIX. Urbes a Phœnicibus in Africa conditæ. Africæ status initio belli Jugurthini.

XX. Jugurtha repentino impetu Adherbalis fines invadit, et cum multa præda in regnum suum revertitur. Mox aperte totius Numidiæ imperium petit.

XXI. Necessitate coactus Adherbal arma capit, pugnat, victusque in oppido Cirta obsidetur. Senatus legatos in Africam mittit, qui reges ab armis discedere jubeant.

XXII. Legatis respondet Jugurtha se jure gentium uti, adversus hostem vitæ suæ insidiatum. Ceterum de omnibus rebus se brevi Romam missurum legatos.

XXIII. Jugurtha Cirtæ obsidionem urget; unde duo impigri homines noctu evadunt, Adherbalis querelas Romam delaturi.

XXIV. Adherbalis litteræ ad senatum.

XXV. Missi iterum legati, in quibus M. Scaurus princeps senatus, Jugurtham in provinciam romanam evocant. Quo ille quum, tentato prius in Cirtam impetu, tandem venisset, multis verbis utrimque consumptis, legati frustra discedunt.

XXVI. Adherbal suadentibus Italicis, qui urbem defendebant, se Jugurthæ deditiium tradit, moxque ab eo excruciatus necatur.

XXVII. Et huic quoque sceleri impune fuisset, ni Memmii, tribuni plebis designati, conciones senatui metum injecissent. Igitur copiæ parantur, quas Calpurnius Bestia consul in Africam transvehat.

XXVIII. Jugurtha, his auditis, filium et duos familiares Romam mittit, addito præcepto, *omnes mortales pecunia aggrediantur*. Quibus intra decem dies Italia excedere jussis, Bestia cum Scauro trajicit in Africam, et urbes aliquot pugnando capit.

XXIX. Mox corruptus pecunia regis, participe et socio consiliorum Scauro, Jugurtham in simulatam deditionem accipit, Romamque revertitur.

XXX. Cunctante senatu tantum flagitium vindicare, plebis animos accendit Memmius.

XXXI. Oratio Memmii ad quirites contra optimatum crudelitatem, superbiam atque avaritiam.

XXXII. Cassius prætor, jussu populi, ad Jugurtham missus, eum interposita fide publica Romam adducit, quo facilius, ejus indicio, Scauri et ceterorum delicta patefiant.

XXXIII. Statim Jugurtha C. Bæbii, tribuni plebis, auxilium magna mercede parat. Interea C. Memmius regem in concionem producit, jubetque sceleris sui socios aperire.

XXXIV. C. Bæbius regem tacere jubet, populusque ludibrio habitus e concione discedit.

XXXV. Massiva, Masinissæ nepos, ex Africa ob metum Jugurthæ profugus, suadente Sp. Albino consule, regnum Numidiæ petit a senatu. Quo, jussu Jugurthæ, Bomilcaris opera, interfecto, accusatus Bomilcar, clam in Numidiam abit; Jugurtha jubetur Italia decedere.

XXXVI. Albinus, renovato bello, maturat in Africam proficisci. Sed ille quoque, sive Jugurthæ dolis elusus, sive ipse non satis fidus, infecta re, Aulo fratre in castris relicto, ad comitiorum diem Romam revertitur.

XXXVII. Dilatis vero, propter tribunicias seditiones, per totum annum comitiis, ea mora in spem adductus Aulus aut bellum conficiendi, aut pecuniam ab Jugurtha terrore exercitus eliciendi, oppidum Suthul, ubi regis thesauri erant, media hieme obsidere parat.

XXXVIII. At propria imperitia, regis calliditate, centurionum proditione, in insidias adductus, nocturnoque oppressus impetu, ignominiosum fœdus cum Jugurtha facit: ut subiret jugum, et decem diebus Numidia decederet.

XXXIX. Consul Albinus copias parat, quas ne in Africam secum portaret a tribunis plebis impeditus, solus proficiscitur. Sed corruptis licentia atque lascivia militibus, bellum renovare nequit.

XL. Lex Mamilia, ut in fautores Jugurthæ quæratur. Tres quæsitores creantur, inter quos idem ille M. Scaurus, qui legatus Bestiæ fuerat.

XLI. Digressio de factionum origine, causa et effectibus. Post Carthaginem deletam, otio et abundantia plebs in licentiam, nobilitas in dominationem abutuntur. Potentior nobilitas. Plebis inopia et misera servitus.

XLII. Vindices libertatis Gracchi ferro necantur. Inde nobilitas sævire magis ac magis; quæ res in posterum studia partium accendit potius, quam restinxit.

XLIII. Creatus consul Q. Metellus, vir acer et divitiis invictus, parato novo exercitu, magna spe civium in Numidiam proficiscitur.

XLIV. Ibi Sp. Albini exercitum accipit, omnibus ignaviæ luxuriæque probris inquinatum; quem, priusquam bellum attingat, disciplina coercere instituit.

XLV. Metelli diligentia, prohibendo a delictis magis quam vindicando, exercitum confirmat.

XLVI. Fama viri territus Jugurtha veram tum demum deditionem facere conatur. Cujus promissis diffidens Metellus legatis persuadet, ut eum vivum necatumve sibi tradant. Ipse infesto exercitu Numidiam ingreditur. C. Marius equitatum ducit.

XLVII. Metellus, imposito urbi Vaccæ præsidio, novos ab rege legatos, ut priores, ad proditionem illicit. Regi pacem neque abnuit, neque pollicetur.

XLVIII. Jugurtha, ubi se suis artibus tentari animadvertit, statuit armis certare. Ideo romanum exercitum per occultos tramites antevenit; et non procul a flumine Muthul, post montem, in colle minus edito, considet.

XLIX. Ignarus insidiarum Metellus, conspectis, dum monte degreditur, hostibus, aciem, ut tempus poscebat, instruit et in planum deducit.

L. Rutilius legatus cum expeditis ad flumen præmittitur, locum castris antecapturus. Metellus cum Mario

paulatim procedit. Mox eorum agmen Jugurtha transversum invadit, ordinesque conturbat.

LI. Incerto, fere usque ad vesperam, eventu pugnatur. Ordines restituit Metellus. Duces utrimque suos hortantur.

LII. Tandem Romani Numidas in colle considentes adversos aggressi loco pellunt. Interea Bomilcar, dum Rutilius ad flumen castra ponere festinat, a tergo ejus aciem instruit, moxque ad castra procedit.

LIII. Commisso in ea parte prælio, Romani victores obviam Metello contendunt, ignari quid ejus iter moraretur. Venienti occurrunt obscura nocte, lætique suos agnoscunt, postquam alteri alteros pene invasissent, hostes rati.

LIV. Metellus in castris quatriduo moratus, ubi per exploratores comperit Jugurtham novum exercitum cogere; ipse Numidiam vastare, loca munita incendere cœpit. Quem per avia sequutus cum delectis equitibus Jugurtha, improviso impetu, Romanos palantes aggreditur.

LV. Gaudium ingens Romæ exortum, cognitis Metelli rebus. Ipse intentius ab insidiis regis cavere, qui per colles sequens variis eum dolis eludit.

LVI. Metellus Zamam oppugnare statuit. Quo cognito, Jugurtha oppidum præsidio firmat, et inde profectus Marium in urbe Sicca pene opprimit.

LVII. Metellus Zamam vi expugnare aggreditur.

LVIII. Dum acerrime pugnatur apud Zamam, Jugurtha ex improviso castra romana invadit. Unde a Mario expulsus, multis amissis, in loca munita se recipit.

LIX. Postero die Zamæ murum aggreditur iterum Metellus. Iterum Jugurtha Romanos ex occulto invadit, multumque perturbat.

LX. Dum fervet utrimque pugna, simul ad castra, simul apud urbem; muros, appositis scalis, superare tentans Marius repellitur.

LXI. Relicta obsidione, Metellus exercitum in provinciam romanam, hiemandi causa, deducit. Ibi allecto ad colloquium Bomilcari persuadet, ut sibi vivum necatumve tradat Jugurtham.

LXII. Precibus Bomilcaris evictus Jugurtha Metello per legatos nunciat, sese regnumque suum in illius fidem se tradere. Et traditis quidem, quæ Metellus imperaverat, ipse tamen supplicii metu venire dubitat, bellumque de integro sumit.

LXIII. C. Mario, quem ingens cupido tenebat consulatum adipiscendi, magna omnia portendit haruspex. Marii initia et indoles.

LXIV. Ille haruspicis responso confirmatus missionem a Metello rogat, consulatus petendi gratia. A quo quum superbum responsum tulisset, eum in invidiam apud milites negotiatoresque vocare studet.

LXV. Gaudam Numidam, Masinissæ nepotem, Metello infensum, spe regni, multos Romanos, spe pacis impellit, ut Romam ad suos necessarios aspere in Metellum scribant, Marium imperatorem poscant.

LXVI. Interea bellum Jugurtha strenue parare; cuncta per Africam agitare; multos mortales ad defectionem pellicere; ex quibus Vaccenses præsidium romanum crudeliter trucidant.

LXVII. Continuata cædis descriptio; ex qua, unus ex omnibus Italicis, Turpilius præsidii præfectus aufugit, salva vita, non fama.

LXVIII. Ulturus tantam injuriam Metellus ad Vaccam propere contendit, equitibus Numidis in primo agmine collocatis.

LXIX. Quibus visis Vaccenses rati Jugurtham adventare, se læti obviam effundunt. Eorum magna strages oritur. Urbs diripitur. Turpilius capite plectitur.

LXX. Bomilcar de rege interficiendo conjurat, assumpto in societatem consilii Nabdalsa. Qui quum magnitudine

facinoris perculsus rem aggredi cunctaretur, eum per litteras confirmare nititur Bomilcar.

LXXI. Epistola, in pulvino dormientis Nabdalsæ forte deprehensa, ad regem perfertur. Quem confestim adit ille, veniam precaturus.

LXXII. Nabdalsæ Jugurtha placide respondet; Bomilcarem aliosque insidiarum conscios interficit. Mox ipse vecordi formidine exagitatur.

LXXIII. Metellus, cognito casu Bomilcaris, omnia tanquam ad integrum bellum parat. Marium fatigantem de profectione, domum dimittit. Mario, homini novo, consulatus et Africani belli cura mandatur.

LXXIV. Interim Jugurtha, dum copias huc illuc traducit, inops consilii, nec loco nec homini cuiquam satis fidens; Metello non sponte obviam factus, pugnat et vincitur.

LXXV. Victus in solitudines, dein Thalam pervenit; quo Metellus eum mature consequitur, loca deserta feliciter emensus.

LXXVI. Jugurtha ex urbe noctu profugit. Ea potiuntur post quadraginta dierum obsidionem Romani; postquam perfugæ, qui in oppido erant, sese cum divitiis concremaverunt.

LXXVII. Leptim præsidium, cum C. Annio præfecto, mittit rogatus ab incolis Metellus.

LXXVIII. Leptis a Sidoniis condita; sita inter duas Syrtes, quæ breviter describuntur.

LXXIX. Narratur per digressionem Philænorum fratrum memorabile facinus, qui se ultro vivos obrui passi sunt, quo patriæ suæ Carthaginis fines longius proferrent.

LXXX. Amissâ Thala, per magnas solitudines cum paucis profectus Jugurtha pervenit ad Gætulos, e quibus novum exercitum cogit. Præterea regem Mauritaniæ Bocchum ad belli societatem pellicit.

LXXXI. Postquam utriusque regis exercitus in destinatum

locum convenere, et Jugurtha Bocchi animum in Romanos accendit; ad Cirtam iter constituunt, ubi Metellus prædam, captivos et impedimenta locaverat.

LXXXII. Dum Metellus castris munitis reges opperitur, ubi commodum foret pugnam facturus, provinciam Numidiam Mario datam, non sine summo animi dolore, comperit.

LXXXIII. Igitur stultum ratus alienam rem suo periculo gerere, Bocchum regem ad pacem cum populo romano servandam hortatur. Ita, missis ultro citroque legatis, bellum intactum trahitur.

LXXXIV. Romæ interea Marius simul nobilitatem quotidianis dicteriis lacessit, simul omnia parat, quæ bello opus sunt. Animi plebis ad militiam, duce Mario, capessendam arrecti; præsertim oratione quam ille, omnibus quæ postulaverat decretis, apud populum habuit.

LXXXV. Oratio C. Marii contra nobilitatem, de novitate sua, et de bello Numidico.

LXXXVI. Marius, Manlio legato cum onerariis navibus præmisso, milites promiscue, vel ex infima plebe, scribit. Ipse profectus in Africam, paucisque diebus Uticam advectus, exercitum a P. Rutilio legato accipit.

LXXXVII. Marius in agrum fertilem exercitum ducit, multisque et levibus præliis novorum militum virtutem confirmat. Reges, cognito adventu Marii, diversi in locos difficiles abeunt.

LXXXVIII. Metellus Romam revertitur, præter spem etiam plebi acceptus. Interea Marius, impiger æque et prudens, Jugurtham frequentibus præliis fatigat. Dein illius urbes singulas circumvenit.

LXXXIX. Aliquot oppidis potitus, urbem magnam et valentem Capsam, inter ingentes solitudines arte et situ munitam, expugnare statuit, Metellum æmulatus Thalæ expugnatorem.

XC. Igitur extrema æstate, omnibus, quantum licebat, provisis, Manlium ad oppidum Laris ire jubet, simulans se propediem eo sequuturum. Sed ipse pergit ad flumen Tanam.

XCI. Sexto die ad flumen, inde multis utribus aqua repletis, tertia nocte (nam noctu solum faciebat iter) prope Capsam pervenit. Quam ex improviso captam ferro et incendio delet.

XCII. Gloria auctus, suis carus, hostibus terribilis, omnibus vi aut metu subjectis, castellum in prærupto undique saxo positum, ubi erant Jugurthæ thesauri, oppugnare aggreditur.

XCIII. Quum vero multis diebus et laboribus consumptis secum deliberaret, an omitteret inceptum; invento per Ligurem militem tramite, quinque tubicines, cum Ligure et quatuor centurionibus, in summam rupem evadere jubet.

XCIV. Quibus huc egressis, dum pugna ex altera parte fervet, repente canentibus a tergo signis Numidæ terrentur. Tum Marius acrius instat, Romanique murum superant.

XCV. Interim L. Sylla quæstor in castra venit cum magno equitatu, quem ut ex Italia cogeret, Romæ relictus erat. Syllæ natura et indoles.

XCVI. Ille optimis artibus Marii et militum gratiam brevi sibi conciliat.

XCVII. Eodem tempore dubium cunctantemque Bocchum Jugurtha, tertiam pollicitus Numidiæ partem, illicit ut ad se cum magna multitudine veniat. Ambo, junctis viribus, sub vesperam Mario ingruunt.

XCVIII. Ibi, atroci edito prælio, conturbatisque omnibus Romanis barbarisque, Marius duos colles inter se propinquos occupat. Huc milites paulatim in unum contractos subducit. Colles barbari circumveniunt.

XCIX. Adventante luce, in Mauros Gætulosque, incautos

et somno demersos erumpunt Romani, pluresque eo prælio, quam omnibus superioribus, interficiunt.

C. Marius in hiberna tendit, victor, nec minus ideo adversus hostilem impetum cautus.

CI. Haud procul ab oppido Cirta iterum hostes apparent. Prælium ingens, in quo Sylla, Bocchus, Marius, Jugurtha strenue decertant. Denique hostes undique fusi.

CII. Marius Cirtam ingreditur. Ibi per legatos a Boccho rogatus, ad eum mittit Syllam et Manlium de pace acturos. Verba Syllæ ad Bocchum; qui mox ab amicis, Jugurthæ pecunia corruptis, ad aliud consilium trahitur.

CIII. Interea Marius cum expeditis ad obsidendam turrim regiam in deserta loca proficiscitur. Simul Bocchus, iterum mutata mente, novos ad hiberna Romanorum legatos de pace mittit. Quos liberaliter habet Sylla, quæstor pro prætore a Mario relictus.

CIV. Reversus Cirtam re infecta Marius, advocato concilio, legatis eundi Romam potestatem facit. Hi responsum ferunt: Boccho veniam dari; amicitiam datum iri, quum meruerit.

CV. Marius petenti Boccho Syllam mittit, de communibus negotiis acturum. Hic cum equitum peditumque præsidio profectus, Bocchi filium Volucem cum armatis, quinto die, obvium habet.

CVI. Quum Volux se a patre missum obviam Romanis docuisset, simul iter faciunt. Post biduum nunciatur Jugurtham duum millium intervallo consedisse.

CVII. In tanto discrimine Sylla suos hortatus, obtestatusque Jovem ut Mauri perfidiæ testis adesset, Volucem castris abire jubet. Quo tamen doli suspicionem deprecante, seque comitem offerente, Sylla per media Jugurtæ castra incolumis evadit.

CVIII. Bocchus Dabarem Numidam, ex gente Masinissæ,

sibi carum, fidumque Romanis, præmittit a Sylla petiturum, ut colloquio locum et diem constituat.

CIX. Bocchus et Sylla, coram Aspare, qui a Jugurtha missus Bocchi consilia speculatum venerat, pauca loquuntur. Dein per noctem Sylla a Boccho occulte arcessitur.

CX. Bocchi oratio, qua gratum erga Syllam, benevolum erga Romanos animum declarat.

CXI. Sylla Boccho, primum reluctanti, persuadet ut Jugurtham Romanis tradat. Dein, dolo ad simulandam pacem, cujus Numida avidus erat, composito, digrediuntur.

CXII. Jugurtha contra, per Asparem, a Boccho postulat, ut Sylla sibi per dolum tradatur: ita enim fore, ut jussu senatus populique romani fœdus fiat, ne talis vir in hostium potestate relinquatur.

CXIII. Hoc quoque Maurus pollicetur; dolo an vere, incertum. Numidæ tamen insidias tendit; qui Syllæ traditus, ab eo ad Marium deducitur.

CXIV. Romæ, postquam bellum confectum, Jugurthamque vinctum adduci nunciatum est, Marius iterum consul absens creatur, eique decernitur provincia Gallia, in qua male a Manlio et Cæpione pugnatum erat. Marius kalendis januariis triumphat.

C. C. SALLUSTII

JUGURTHA,

SEU BELLUM JUGURTHINUM.

I.[1] Falso queritur de natura sua genus humanum, quod imbecilla atque ævi brevis[2] forte potius, quam virtute regatur. Nam contra, reputando[3], neque majus aliud, neque præstabilius invenias; magisque naturæ industriam hominum, quam vim aut tempus deesse. Sed dux atque imperator[4] vitæ mortalium animus est; qui ubi ad glo-

Cap. I. 1. Jam in *argumentis* ostendimus quæ rerum series quatuor his primis capitibus contineatur. Hic quoque, ut in Catilina, non pauca præmittit auctor de plurimorum hominum socordia et pravis libidinibus; de infirmitate corporis, et animi præstantia; de suo consilio ætatem procul a negotiis publicis habendi, gloriamque ex conscribenda rerum gestarum memoria quærendi. Qua tantum conclusione procemium cum opere proposito connectitur. Nam reliqua de moribus, præclara illa quidem; sed quæ non hic magis, quam alio quolibet loco niteant. Adde, quod in Catilinæ procemio jam dicta hic iisdem fere verbis recurrunt. Quanquam id minus offendere debuit illius ævi lectores, ut in duobus nec simul editis, nec ullo nexu conjunctis operibus. Neque illud adeo mirum est, otium suum sæpius excusare, publicos mores accusando, Sallustium, qui olim in medias reipublicæ procellas tam vehementi studio sese conjecerat.

2. *Imbecilla atque ævi brevis.* Scilicet natura hominis; id est, ipse homo. — *Forte.* Fortuito rerum atque eventuum nexu. Nam sæpe *fors* pro derivato suo, *fortuna*, dicitur.

3. *Nam contra reputando.* Res attente considerando, invenies nihil majus aut præstabilius esse, quam hominis naturam. — *Industriam.* Diligentiam et laborem. Sic Quint. 1, 1: « Manifestum est naturam non defecisse, sed curam. »

4. *Sed dux atque imperator, etc.* His verbis eos refellit qui homines *forte potius quam virtute regi* queruntur.

riam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est, neque fortunæ eget : quippe probitatem, industriam, alias artes bonas, neque dare[5] neque eripere cuiquam potest : sin captus pravis cupidinibus, ad inertiam et voluptates corporis pessum datus est[6] : perniciosa lubidine paullisper usus[7], ubi per secordiam vires, tempus,

Non fortuna, inquit, sed animus dux atque imperator vitæ mortalium est. Ille imperio suo bene utatur; omni fortuna potentior erit. — *Grassatur. Grassor*, frequent. a *gradior*, sæpius in malam partem, hic tamen in bonam accipitur. — *Pollens potensque. Pollens* proprie ad ipsas vires pertinet; *potens* magis ad earum usum. Promiscue tamen, multis locis, usurpantur.

5. *Neque dare, etc.* Senec. de Constant. v : « Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit. » Sil. Ital. xv, 105 :

Nec bona censendum, quæ fors infida dedisse,
Atque eadem repuisse valet.

6. *Pessum datus est.* De vocis *pessum* etymologia multæ sunt conjecturæ, quarum nulla universe probatur. Quocirca mihi quoque meam proferre licebit. Ac primum huic vocabulo inhæret *pervertendi* ac *deprimendi* notio. Plaut. Rud. : II, 3, 64 : « Nunc eam cum navi scilicet *abiisse pessum* in altum. » Lucret. lib. VI, v. 588 :

Et multis per mare pessum
Subsedere suis pariter cum civibus urbes.

Et in hoc quoque Sallustii loco, *pessum datus* exponitur, *dejectus*, *depressus*. Nunc si attendas ex multis particulis adverbia derivari, quæ in *sum* exeunt; v. g. ex QUO, *quorsum* (quo-versum); ex SUS, *susum* (sus-versum); ex DE, *deorsum* (de-versum); ex PRO, *prorsum* (pro-versum) : obvium erit deducere ex PES, *pessum* (per-versum), eliso *r*, euphoniæ causa, ut in, *prosa* (prorsa), *susum* (sursum). Et verissime quidem *it perversum* navis, quæ in profundum mergitur. Inde vero facillime transitur ad *perniciei* notionem, quæ huic quoque vocabulo subest. Nam et *pessum-dare* est *per-dere*; *pessum-ire*, *per-ire;* in quibus compositis verbis, *pessum* et *per* eamdem vim habentia, nonne aliquatenus declarantur eamdem quoque originem habere?

7. *Perniciosa lubidine paullisper usus.* Sic incipit periodi pars secunda, quasi dicere voluisset : *perniciosa lubidine paullisper usus.... naturæ infirmitatem accusat.* Sed abrupta, dum interponitur *ubi per secordiam*, *etc.* serie verborum, et mutata constructione, novus inducitur nominativus, *infirmitas*, atque *usus* caret suo verbo. Hoc Græci dicunt ἀναπόδοτον. Sic Polyæn. I, 18 : Οἱ πολέμιοι τὸ λόγιον εἰδότες, κοινὸν αὐτοῖς ἦν παράγγελμα ἐν ταῖς μάχαις ἀπέχεσθαι Κόδρου. Sic ex Latinis, Auctor Bel. Afr. XXV : « Dum hæc ita fierent, res *Juba*, cognitis Cæsaris difficultatibus copiarumque paucitate, *non est visum* dari spatium convalescendi, augendarumque ejus opum. » Si Sallustiana verba ad normam latinæ dictionis reducere volueris, sic intellige : POSTQUAM *perniciosa lubidine*

ingenium defluxere, naturæ infirmitas accusatur; suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt. Quod si hominibus bonarum rerum[8] tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura, multumque etiam periculosa petunt : neque regerentur magis[9], quam regerent casus; et eo magnitudinis[10] procederent, ubi pro mortalibus gloria æterni fierent.

II. Nam uti genus hominum compositum ex anima[1] et corpore : ita res cunctæ[2] studiaque omnia nostra, corporis alia, alia animi naturam sequuntur. Igitur præclara facies,

paullisper usus EST. Sed hæc ellipsis minus etiam latina est, quam ille hellenismus. Ellipsim quidem et hellenismum vitat Bip. sic distinguendo: Sin ad inertiam et voluptates corporis pessum datus, est perniciosa lubidine paullisper usus, etc. Sed sensum turbat; qui ut bene constet, necesse est primam periodi partem ad verba *pessum datus est* desinere.

8. *Bonarum rerum.* Scilicet probitatis, industriæ, omniumque bonarum artium. — *Aliena.* Non vere ad hominem pertinentia. — *Multumque etiam periculosa.* Et quæ multum etiam habent periculi. Cortius exponit *multum etiam, sæpe etiam;* et auctoritatem affert Plin. Ep. 1, 9, *multum ineptos labores.* Sed procul dubio Plinius quoque intellexit labores qui multum habent ineptiarum; non, qui sæpe inepti sunt.

9. *Neque regerentur magis, etc.* Supple *casibus.* Hic incipit periodi apodosis; ac solvendum est *neque* in *et non*, propter sequens *et: et non regerentur...., et procederent.* Hoc autem refertur ad hominum querelam, quod forte potius quam virtute regantur. Jam si ipsam dicendi formulam respicias, *non regerentur magis quam regerent,* Thucydidea illa quoque est, ut in Catil. IX, n. 2, *jus bonumque, etc.*

10. *Eo magnitudinis.* Ad eam magnitudinem procederent, quam assequuti, licet naturæ lege mortales, gloria tamen æterni et immortales fierent.

CAP. II. 1. *Ex anima.* De voce *anima* vide Catil. II, n. 22. Mox sequitur *animi;* nec multo post recurrit *anima;* et rursum *animus.* Unde patet hic saltem utraque voce idem significari. Quanquam nescio quid legentem submonere videtur, minus bene usurum fuisse Sallustium *anima*, ubi usus est *animo.* Non enim apte diceretur, *anima rectrix humani generis agit atque habet cuncta, neque ipsa habetur.* Nec sine consilio *ducem vitæ nostræ* ANIMUM fecit, non ANIMAM. Sed rerum adeo similium discrimen cogitatione potius quam verbis assequaris.

2. *Ita res cunctæ.* Scilicet quæ ad nos pertinent. — *Studia.* Ea omnia quibus studemus, quibus vitam nostram impendimus; græce ἐπιτηδεύματα; quo nomine comprehenditur omnis vitæ agitandæ ratio, omnisque nostrarum facultatum usus.

magnæ divitiæ, ad hoc vis corporis, alia hujuscemodi omnia brevi dilabuntur : at ingenii egregia facinora[3], sicuti anima, immortalia sunt. Postremo[4] corporis et fortunæ bonorum, ut initium, sic finis est; omniaque orta occidunt, et aucta senescunt : animus incorruptus, æternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta[5], neque ipse habetur. Quo magis pravitas[6] eorum admiranda est, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam ætatem agunt; ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium est, incultu atque secordia torpescere sinunt : quum præsertim tam multæ variæque sint artes animi, quibus summa claritudo paratur.

III. Verum ex his magistratus et imperia, postremo omnis cura rerum publicarum, minume mihi hac tempes-

3. *Ingenii egregia facinora.* Quidquid præclarum ingenio, i. e. animi viribus efficitur. Quo in numero sunt non modo scripta egregia, aliaque ejusmodi; sed etiam rerum publicarum cura et bene gesti magistratus, ut ostendunt mox sequutura : « Quum præsertim tam multæ variæque sint artes animi.... Verum ex his magistratus et imperia, etc. »

4. *Postremo.* Uno verbo. — *Ut initium, etc.* Corporis et fortunæ bona, quia initium, sic etiam finem habent. Atqui corporis et fortunæ bona sunt, quæ jam dicta : præclara facies, magnæ divitiæ, vis corporis, et alia hujuscemodi. Itaque *finis est*, non idem omnino sonat, quod *brevi dilabuntur*. Hoc indicat tantum bona illa caduca esse, et facile hominibus eripi. Nam qui hodie pulcher, dives, robustus est, cras potest deformis, pauper, infirmus esse. *Finis est* autem monet, etiamsi omnia hæc homini quam diutissime supersint, tamen eorum finem fore, quia fuit initium. Nam quidquid nascitur, occidit; quidquid augetur, ubi auctum est, senescit. Hæc ultima habes pluribus verbis in Senec. Consol. ad Marc. XXIII : « Quidquid ad summum pervenit, ad exitium prope est.... Nam ubi incremento locus non est, vicinus occasus est.... Et appetit finis, ubi incrementa consumpta sunt. »

5. *Agit atque habet cuncta. Agit cuncta* : Omnia ducit, movet, regitque arbitrio suo. — *Habet.* Possidet, sub ditione tenet. Sic Jupiter, Ovid. Met. I, 197 :

Quum mihi, qui fulmen, qui vos *habeoque* regoque.

— *Neque ipse habetur.* Neque ipse possidetur, nec alieno imperio subjectus est.

6. *Pravitas.* Perversa et naturæ repugnans agendi ratio.

tate cupiunda videntur : quoniam neque virtuti honos datur[1]; neque illi, quibus per fraudem jus fuit[2], tuti, aut eo magis honesti[3] sunt. Nam vi quidem[4] regere patriam aut parentes[5], quamquam et possis, et delicta corrigas, tamen importunum est; quum præsertim omnes rerum mutationes cædem, fugam, aliaque hostilia portendant :

Cap. III. 1. *Neque virtuti honos datur.* Debitum virtuti honorem denegant, ei magistratus et imperia non committendo.

2. *Quibus per fraudem jus fuit.* Qui per fraudem potentiam adepti sunt. Frustra verba consumit Cortius, dum contendit intelligendum esse *jus honorum :* quasi per se jus non satis plenum sensum habeat. *Jus*, quum fiat a *jubendo*, optime denotat potestatem jubendi quidquid velis, id est, potentiam atque imperium. Eos autem carpit Sallustius, quicumque ad honores iis viis grassati sunt, quas se dedignatum esse innuit.

3. *Honesti.* Honorati. Sic Cicer. Ep. XI, 3 : « Nos in hac sententia sumus, ut te cupiamus in libera republica magnum et honestum esse. »

4. *Nam vi quidem, etc.* Vis fraudi opponitur. Hoc ergo non de iisdem dicitur, quos superioribus verbis notavit. Verba hæc, *quamquam et possis, et delicta corrigas*, indicare videntur de Cæsare sermonem esse; qui quidem *vi regere patriam potuit*, et *delictis corrigendis* dedit operam. Quanquam arbitratur *De Brosses*, nec forsan sine causa, hæc de Sylla dici. Sed verius fortasse, qui de utroque, et Sylla et Cæsare, intellexerit. Nam quod in genere dictum est, nil mirum si pluribus conveniat. Nec quis objiciat non eum fuisse Sallustium, qui Cæsarem carperet. Si quid enim in tota sententia invidiosum est, id corrigitur hisce verbis, *et delicta corrigas.*

5. *Patriam aut parentes.* Hæc verba tam sæpe conjunguntur et apud Sallustium et apud ceteros, nusquam dubio sensu, ut hic quoque *parentes* nihil aliud esse possint, quam *qui nos genuérunt.* Præterea illud a Platone expressum videtur, qui hoc habet in Epist. ad Dionis propinquos : Πατίρα δὲ ἢ μητίρα οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι προσβιάζεσθαι.... Βίαν δὲ πατρίδι πολιτείας μεταβολῆς μὴ προσφέρειν, ὅταν ἄνευ φυγῶν, καὶ σφαγῆς ἀνδρῶν, μὴ δυνατὸν ᾖ γίγνεσθαι τὴν ἀρίστην. » Item in Critone : « Βιάζεσθαι δὲ οὐχ ὅσιον οὔτε μητίρα, οὔτε πατίρα, πολὺ δὲ τούτων ἔτι ἧττον τὴν πατρίδα. » Quem locum Cic. Ep. I, 9, sic imitatur : Id enim jubet idem ille Plato.... vim neque *parenti* neque *patriæ* afferre oportere. » Errant igitur, qui *parentes* intelligunt populos Romanis *obedientes.* Sed quid sibi vult Sallust. huc intrudendo *aut parentes ?* Ille, opinor, ita scripsit consuetudine ductus; ea simul mente, ut comparationem inter similia institueret, quasi dixerit : Patriam, non secus ac parentes, vel, Ut parentes, sic patriam vi regere importunum est. — *Importunum.* Res et aliis odiosa, et ipsi imperanti gravis. — *Quum præser-*

frustra autem niti[6], neque aliud se fatigando, nisi odium, quærere, extremæ dementiæ est : nisi forte quem[7] inhonesta et perniciosa lubido tenet, potentiæ paucorum decus atque libertatem suam gratificari.

IV. Ceterum ex aliis negotiis, quæ ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum[1] : cujus de virtute quia multi dixere, prætereundum puto; simul, ne per insolentiam quis existumet memet, studium meum laudando, extollere. Atque ego[2] credo fore, qui, quia decrevi procul a republica ætatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiæ imponant : certe, quibus[3] maxuma industria videtur, salutare plebem, et conviviis gratiam quærere. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus[4] magistratus adeptus sim, et quales viri

tim, *etc.* Hoc est, ad verbum, quod ex Platone allatum modo : ὅταν ἄνευ φυγῶν, etc.

6. *Frustra autem niti.* Ad honores et imperium. Hoc oppositum est antecedentibus, *quum et possis*; probatque abunde eos nugari, qui *possis* in *prosis* mutare voluerunt.

7. *Nisi forte quem, etc.* Quatuor genera hominum notat : 1° eos quibus per fraudem jus fuit; 2° qui per vim imperium habuere; 3° qui frustra illud assequi conati sunt; 4° qui potentiæ paucorum decus atque libertatem suam gratificantur, ut ipsi dominentur in ceteros. De hisce dicit Lepidus, in Fragm. « Satellites quidem ejus (Sullæ) dominationis in vos servitium suum mercedem dant. »

Cap. IV. 1. *Memoria rerum gestarum.* Res gestas memoriæ mandandi cura. — *Cujus de virtute.* Virtus hic est præstantia, efficacia, utilitas. — *Memet.... extollere.* Ne quis existimet *me*, extollere *memet* per insolentiam, studium meum laudando. Ellipsis fit primi pronominis *me*, ut in Catil. LII : « Eo magis refert mihi atque vobis timere; » quod sic intelligendum est : eo magis refert *me mihi*, et *vos vobis* timere. »

2. *Atque ego.* Idem fere, quod *attamen ego.* Ter. Andr. 1, 3, 20 : « Atque ipsis commentum placet » In quod Donatus, *atque*, pro *tamen*, etc.

3. *Certe quibus.* Ii certe, quibus, etc. Eos homines notat, qui non virtute et bonis artibus, sed ambitu et blanditiis gratiam plebis aucupati, ad honores grassabantur. *Industria* opponitur *inertiæ.* — *Salutare.* Candidati per nomenclatores civem quemque salutabant, nec id vituperio erat. Sed eos damnat, qui hanc solam industriam noverant.

4. *Quibus ego temporibus.* Quæstor fuit Sallust. paucis post conjurationem Catilinarium annis, eo fere tempore quo Clodii funeribus civitas

idem assequi nequiverint, et postea quæ genera hominum in senatum pervenerint[5]; profecto existumabunt, me magis merito, quam ignavia, judicium animi mutavisse, majusque commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis, reipublicæ venturum. Nam sæpe audivi, Q. Maxumum[6], P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros viros, solitos ita dicere, quum majorum imagines intuerentur, vehementissume sibi animum ad virtutem accendi. Scilicet non ceram illam[7], neque figuram tantam vim in sese habere; sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quam virtus eorum famam[8] atque gloriam adæquaverit. At contra, quis est omnium his moribus, quin divitiis et sumptibus, non probitate, neque industria, cum majoribus suis contendat? Etiam homines novi, qui antea per vir-

exagitabatur; tribunus plebis A. U. C. 701, quo Clodius a Milone occisus est; prætor vero anno 708, victore jam Cæsare. Turbulentissima autem illa reipublicæ tempora fuerant.— *Quales viri.* Intelligit maxime Catonem, qui præturam petens, repulsam tulit. Hic porro sensus est: Ego ad honores perveni tum, quum clarissimi etiam viri idem assequi nequiverunt. Nunc vero assequuntur etiam infimi. Quo facilius mihi esset, nisi utile otium præposterem, me publicis quoque negotiis immiscere.

5. *Quæ genera hominum in senatum pervenerint.* Cæsar quippe dignos, indignos, ut sua utilitas ferebat, in senatum legit. — *Merito.* Ex justis causis. — *Judicium.* Animi propositum, quo antea honores quæsierat.

6. *Q. Maxumum.* Fabium illum, de quo Ennius:

Unus qui nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.

— *P. Scipionem.* Africanum majorem, qui Hannibalem vicit apud Zamam.

7. *Scilicet non ceram illam....* Supple, *arbitrabantur.* Nam hæc non Fabiorum Scipionumque, sed scriptoris, eorum sententiam interpretantis, verba sunt. — *Ceram.* Illam nempe, qua effictæ erant majorum imagines.

8. *Quam virtus eorum famam, etc.* Ordo est: Quam *sua ipsorum* virtus adæquaverit famam atque gloriam *eorum*, scil. *majorum.* Inde colligit Sallustius se operæ pretium facturum, si res gestas populi romani memoriæ mandaverit. — *His moribus.* His temporibus, ubi tanta est morum pravitas. — *Homines novi.* Vide notata ad Catil. XXIII, n° 13. — *Nobilitatem antevenire.* Homines nobiles superare.

tutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia ad imperia et honores nituntur : proinde quasi prætura et consulatus, atque alia omnia hujuscemodi per se ipsa clara, magnifica sint; ac non perinde habeantur[9], ut eorum, qui sustinent, virtus est. Verum ego[10] liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget tædetque : nunc ad inceptum redeo.

V. Bellum scripturus sum, quod populus romanus cum Jugurtha, rege Numidarum, gessit : primum quia magnum et atrox, variaque victoria fuit[1]; dein quia tum primum superbiæ nobilitatis obviam itum est : quæ contentio[2] divina et humana cuncta permiscuit; eoque ve-

9. *Ac non perinde habeantur.* Et quasi magistratus illi non aut magnum, aut nullum homini honorem afferant, prout magna, aut nulla est hominis virtus. — *Sustinent.* Gerunt, administrant. Sed magis proprium, *sustinent.* Nam *onus* quoddam viro imponitur prætura vel consulatus. Justin. VI, 8, de Epaminonda : « Honores ita gessit, ut ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. »

10. *Verum ego.* Agnoscit ipse, quod initio diximus : paulo longius a proposita re proœmium evagari. — *Altius.* Ut dicitur, *res ex* ALTO *repetere*, ita dixit, ALTIUS *procedere.* Nisi forte metaphora e nave in altum procedente ducta sit. — *Dum me.... piget tædetque.* Id est, longius provectus sum, propter dolorem et tædium, quod mihi afferunt publici mores. — Jam vero proœmium illud, quantumvis longum et narrationi parum cohærens videatur, tamen negari non potest ita legentis animum afficere, ut auctoris proposito maxime convenit, non res tantum in Africa gestas et externa bella, sed civiles etiam procellas et natas ex avaritia et ambitione dissensiones narraturi.

CAP. V. 1. *Varia victoria fuit.* Victoria nunc huc, nunc illuc inclinavit.

2. *Quæ contentio.* Sc. plebem inter et nobilitatem. Contentionis autem notio latet in antecedentibus, *obviam itum est.* Neque vero tum primum post urbem conditam, sed tum primum post Gracchorum cædem, cruentamque nobilitatis victoriam, ejus superbiæ obviam itum est. Nam alter Gracchorum Caius, anno U. C. 633, occisus est; ex quo tempore nihil jam potentiæ nobilium obstitit, donec, anno 643, plebem in senatum concitaverit tribunus C. Memmius. Vide infra, XXX et XLI. — *Bellum atque vastitas Italiæ.* Inde enim exarsere seditiones Appuleiana Drusianaque; inde bellum sociale; inde bellum civile Marianum; inde ultima illa et fœdissima sanguine civium et proscriptionibus Syllæ victoria, quæ studiis civilibus, saltem ad tempus, finem fecit.

cordiæ processit, uti studiis civilibus bellum atque vastitas Italiæ finem faceret. Sed priusquam hujuscemodi rei initium expedio, pauca supra repetam; quo ad cognoscendum omnia illustria magis[3], magisque in aperto sint. Bello Punico secundo, quo dux Carthaginiensium Hannibal, post magnitudinem nominis romani[4], Italiæ opes maxume attriverat, Masinissa[5] rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Scipione, cui postea Africano[6] cognomen ex virtute fuit, multa et præclara rei militaris facinora fecerat: ob quæ, victis Carthaginiensibus et capto Syphace[7], cujus in Africa magnum atque late imperium valuit,

3. *Illustria magis.* In clariori luce posita.—*Ad cognoscendum.* Passive: ut cognoscantur. Vid. inf. LXII, 4.

4. *Post magnitudinem nominis romani.* Ex quo ad magnum gloriæ et potentiæ fastigium Roma provecta erat, nullus magis quam Hannibal Italiæ, i. e. ipsius Romæ et sociorum Italorum opes attriverat. Nam male Teller interpretatur primo *magnitudinem nominis romani*, deinde *Italiæ opes* attrivisse Hannibalem. *N. B.* Monet *De Brosses*, semper cum aspirat. scribendum esse nomen *Hannibalis;* sicque scribunt Cort. et alii.

5. *Masinissa.* Massylorum, gentis Numidicæ, rex, Galæ filius, Micipsæ pater, avus Jugurthæ. Is septemdecim annos natus, jussus a patre suo, bellum gessit pro Carthaginiensibus adversus Syphacem, Romanis amicum, eumque atroci prælio vicit, (Livius, XXIV, 49). Deinde eorumdem Carthaginiensium socius in Hispania bellavit adversus Scipionem (Liv. XXVII, 19), cum quo demum (Liv. XXVIII, 16 et 35), amicitiam junxit, *non tam evidenti eo tempore subitæ mutationis causa*, inquit Livius; nam id ante factum est, quam privata in Pœnos odia gereret, ob nuptam Syphaci Sophonisbam, quæ ipsi prius desponsata fuerat. Exinde ille ad extremum vitæ fidus permansit Romanis. Narrat Livius (XXIX, 29 et seqq.), quam varia fortuna usus sit in amittendo recuperandoque paterno regno Masinissa; qui «maximus, inquit, omnium ætatis suæ regum fuit, plurimumque juvit rem romanam.» Confer etiam Justinum XXXVIII, 6; et Cic. de Senect. x. Ille sexaginta annos regnavit, et centum fere vixit, morbis intactus, et vix imminutis corporis viribus.

6. *Africano.* Livius, XXX, 45: «Primus.... hic imperator nomine victæ a se gentis est nobilitatus. Item Silius, XVII, 626:

Devictæ referens primus cognomina terræ.

7. *Syphace.* Syphax, Massæsylorum in Numidia, occidentem versus, habitantium rex, primo Pœnis inimicus fuit (Liv. XXIV, 48); deinde iisdem amicus (Liv. XXVIII, 17) iterum fidem mutavit, fœdusque junxit cum Scipione. Denique accepta in matrimonium Sophonisba,

populus romanus, quascumque urbes et agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Masinissæ bona atque honesta nobis permansit[8]. Sed imperii vitæque ejus finis idem fuit. Dein Micipsa filius regnum solus[9] obtinuit, Manastabale et Gulussa fratribus morbo absumptis. Is Adherbalem et Hiempsalem ex sese genuit; Jugurthamque, Manastabalis fratris filium, quem Masinissa, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat[10], eodem cultu, quo liberos suos, domi habuit.

VI. Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora

filia Asdrubalis, a Romanis ad Pœnos rursus descivit (Liv. XXIX, 23); tandemque a Masinissa et Lælio Scipionis legato captus (Liv. XXX, 11), ductusque in Italiam, Tibure mortuus est (Liv. XXX, 45).

8. *Bona atque honesta nobis permansit. Bona* dicitur amicitia Masinissæ, quia fidelis; *honesta*, quia honorem ipsi apud Romanos conciliavit. — *Sed imperii vitæque, etc.* Sed mortuus est, imperii vitæque eumdem finem habens. Habuit autem, quia populo romano fidelis permanserat. Reposuimus *sed*, Sallustianam omnino conjunctionem, quam unius tantum cod. auctoritate deleverat Cortius. Suppleta ellipsi, facile est videre, quid ad sensum ea conferat.

9. *Micipsa.... solus.* Numerosam ex concubinis sobolem (quum XLIV liberos habuisse dicatur) reliquerat Masinissa, tres tantum legitimos ex conjuge filios, Micipsam, Gulussam, Manastabalem. De his vide Eutropium, IV, 5; Appian. Pun. Bel. CVI. — *Manastabale.* Sic nostrorum codd. antiquissimus et plerœque edd. Quidam, *Mastanabale.* In Punicis istis nominibus, quæ retro versus in lingua vernacula leguntur, facilis fuerit transpositio syllabarum. Appianus hunc vocat *Mastanabam*; Epit. Liv. L. *Manastabilem. Manastabal*, inquit *De Brosses*, est quasi *Mahasses-Baal*, i. e. Manasses-Jupiter. Et *Masinissa* quidem non aliud nomen esse quam *Manasses*, videtur.

10. *Quem Masinissa.... privatum reliquerat. Quem*, sc. *Jugurtham.* Nam Jugurtha, non Manastabal, ex concubina ortus erat. Imo Manastabalem legitimum fuisse Masinissæ filium affirmat Appian. Huc ex Cortio transferimus Masinissæ familiæ stemma.

MASINISSA.



facie, sed multo maxume ingenio validus, non se luxu, neque inertiæ corrumpendum dedit; sed, uti mos gentis illius est, equitare, jaculari, cursu cum æqualibus certare: et quum omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus esse: ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire: plurimum facere, minumum ipse de se loqui. Quibus rebus Micipsa tametsi initio lætus fuerat, existumans virtutem Jugurthæ regno suo gloriæ fore: tamen, postquam hominem adolescentem[1], exacta sua ætate, parvis liberis, magis magisque crescere intellegit, vehementer negotio permotus, multa cum animo suo volvebat. Terrebat eum natura mortalium[2], avida imperii et præceps ad explendam animi cupidinem: præterea opportunitas suæque et liberorum ætatis, quæ etiam mediocres viros[3] spe prædæ transvorsos agit: ad hoc studia Numidarum in Jugurtham accensa[4]; ex quibus, si talem virum interfecisset[5], ne qua seditio aut bellum oriretur, anxius erat.

Cap. VI. 1. *Hominem adolescentem.* Jugurtha adolescens erat, ideoque animo et corpore validus; ipse senex, ideo morti proximus; liberi vero etiamnum parvi, ideo debiles et ad omnem injuriam expositi. — *Magis magisque crescere.* Novam in dies famam gratiamque sibi conciliare. — *Negotio permotus.* Ea re permotus. — *Cum animo suo volvebat.* Posset quidem abesse *cum*; neque tamen magis hic redundat, quam quum dicitur, *multa secum volvere.*

2. *Terrebat eum natura mortalium.* Hic explicat, quod antecedentibus indicavit tantum. — *Præceps.* Quæ prono et præcipiti impetu fertur ad id rapiendum, quod animus cupit.

3. *Mediocres viros.* Hic *mediocres* intellige, homines animi moderati, nec majora altioraque per se cupientes. Sic infra VIII: « Qui Jugurthæ non mediocrem animum pollicitando accendebant. » — *Transvorsos agit.* In consilia a recto abhorrentia dat præcipites. Sic infra, XIV: « Ne quos privata amicitia Jugurthæ parum cognita transvorsos agat. » Item Seneca, Ep. VIII: In præcipitia cursus iste deducit.... Deinde ne resistere quidem licet, quum cœpit *transversos agere* felicitas. »

4. *Studia in Jugurtham accensa.* Pro Jugurtha; ut dixit Liv. XXIX, 19: « Perrogari eo die sententiæ, *accensis studiis pro Scipione*, et adversus Scipionem, non potuere. »

5. *Si talem virum interfecisset.* Digna sane barbaro homine se metu exsolvendi ratio: fratris filium, nul-

VII. His difficultatibus circumventus ubi videt, neque per vim, neque insidiis opprimi posse hominem tam acceptum popularibus, quod erat Jugurtha manu promtus et appetens gloriæ militaris, statuit eum objectare periculis, et eo modo fortunam tentare. Igitur, bello Numantino[1], Micipsa, quum populo romano equitum atque peditum auxilia mitteret, sperans, vel ostentando virtutem, vel hostium sævitia[2] facile occasurum, præfecit Numidis, quos in Hispaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit: nam Jugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam[3] P. Scipionis, qui tum Romanis imperator, et morem hostium cognovit; multo labore multaque cura, præterea modestissume parendo et sæpe obviam eundo periculis, in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut nostris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori esset. Ac sane, quod difficillumum in primis est, et prælio strenuus erat, et bonus consilio: quorum alterum[4] ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet. Igitur imperator omnes fere res asperas per Jugurtham agere, in amicis habere, magis magisque in dies amplecti: quippe cujus neque consilium neque inceptum ullum frustra erat. Huc accedebat muni-

lius criminis, imo nimiæ virtutis reum interficere. Quid ergo fecisset rex ille tam providus futuri, si juvenis nequam et perditus fuisset? Et tamen Micipsa magnus bonusque rex habetur. Imo, fere evicit sceleribus Jugurtha, ut cogitatum ab eo parricidium minus oderit posteritas.

Cap. VII. 1. *Bello Numantino.* Quod gessit in Hispania Scipio Æmilianus, seu Africanus minor. Hujus belli narrationem vide apud Florum, II, 17, 18.

2. *Hostium sævitia.* Virtute in iram accensa. Virg. XI, 910:

Et sævum Æneas agnovit Turnus in armis;

Ubi Servius *et fortem et iratum* interpretatur.

3. *Naturam.* Impigri nempe et acris ingenii fuit, id studere ut imperatorem suum hostemque nosset; ita proinde se gesturus, ut alteri placeret, vinceret alterum.

4. *Quorum alterum.* Scilicet consilio bonum esse; quæ res cum *providentia*, id est, periculum ante videndi facultate, conjuncta, ideo sæpe gignit *timorem.* — *Alterum.* Scilicet prælio strenuum esse; quod ex *au-*

ficentia animi[5] et ingenii sollertia, quis rebus sibi multos ex Romanis familiari amicitia conjunxerat.

VIII. Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures novi atque nobiles[1], quibus divitiæ bono honestoque potiores erant, factiosi, domi potentes, apud socios clari magis, quam honesti[2] : qui Jugurthæ non mediocrem[3] animum pollicitando accendebant, si Micipsa rex occidisset, fore uti solus imperii Numidiæ potiretur : in ipso maxumam virtutem; Romæ omnia venalia esse[4]. Sed postquam, Numantia deleta[5], P. Scipio dimittere auxilia, ipse revorti domum decrevit; donatum atque laudatum[6] magnifice pro concione Jugurtham in prætorium abduxit : ibique secreto monuit, uti potius publice, quam privatim, amicitiam populi romani coleret[7], neu quibus largiri insuesceret : periculose a paucis emi, quod multorum esset : si per-

dacia natum, sæpe in *temeritatem* inconsultam vertit.

5. *Munificentia animi.* Animus ad danda beneficia pronus. — *Ingenii sollertia.* Blandum et aptum conciliandis amicitiis ingenium.

Cap. VIII. 1. *Novi atque nobiles.* non solum novi, sed etiam nobiles.

2. *Clari magis quam honesti.* Magnam potius quam bonam famam habentes. Eadem fere verba leguntur apud Liv. VIII, 17 : « Quidam Lucanorum pretio adsciti, *clari* magis inter populares, quam *honesti.* » Utrobique intelligit doct. interpres *Dureau Delamalle*, quasi *honesti* iidem sint ac *boni, probi.* Sed leve discrimen esse videtur inter duos locos; ita ut in Livio *honestus* bene vertatur ESTIMABLE; in Sallustio autem ESTIMÉ. Nam utramque vim habent adjectiva passivæ significationis in *tus* exeuntia.

3. *Non mediocrem animum.* Per se jam inflammatum et cupidum.

4. *Romæ omnia venalia esse.* Ideo emi posse a populo romano Numidiæ regnum. Jam tum Romani regna aliena, tanquam sua, pro arbitrio dare aut adimere æquum censebant.

5. *Numantia deleta.* A. U. C. 621.

6. *Donatum atque laudatum.* Præmia et laudes, *pro concione*, id est, præsente exercitu, Jugurthæ tribuit imperator : memorabilem sane militiæ exitum, quam fatalem ei fore Micipsa speraverat! insigne ludibrium fortunæ, Jugurtham extollentis, qua pessum iturus credebatur! — *Prætorium.* Tabernaculum imperatoris, ex eo dictum, quod omnes initio exercituum duces *prætores*, a *præeundo*, vocabantur.

7. *Potius publice.... coleret.* Amicitiam populi romani coleret, universæ potius civitatis, quam privatorum gratiam quærendo.

manere vellet in suis artibus, ultro illi et gloriam et regnum venturum; sin properantius pergeret, suamet ipsum pecunia præcipitem casurum.

IX. Sic loquutus, cum literis, quas Micipsæ redderet, dimisit. Earum sententia hæc erat: « Jugurthæ tui bello Numantino longe maxuma virtus fuit: quam rem tibi certo scio gaudio esse. Nobis ob merita carus est: uti idem senatui sit et populo romano, summa ope nitemur. Tibi quidem pro nostra amicitia gratulor: en habes virum dignum te atque avo suo Masinissa. » Igitur rex, ubi, quæ fama acceperat, ex literis imperatoris ita esse cognovit, quum virtute viri[1], tum gratia permotus, flexit animum suum, et Jugurtham beneficiis vincere aggressus est[2]: statimque adoptavit, et testamento pariter cum filiis heredem instituit. Sed ipse paucos post annos, morbo atque ætate confectus, quum sibi finem vitæ adesse intellegeret, coram amicis et cognatis, item Adherbale et Hiempsale filiis, dicitur hujuscemodi verba cum Jugurtha habuisse:

X. « Parvum ego, Jugurtha, te, amisso patre, sine spe, sine opibus, in meum regnum accepi[1]; existumans,

Cap. IX. 1. *Quum virtute viri.* Sic Virg. Æneid. IV, 3:

Multa *viri* virtus animo multusque recursat
Gentis honos, hærent infixi pectore vultus.

Ubi, ut hic et passim, vox *viri* eleganter ponitur pro *ejus*. — *Gratia.* Honore in quo erat juvenis apud Scipionem. Scilicet permovit senem virtus Jugurthæ, quæ spem, incertam quidem, sed spem demum aliquam faciebat, eum in bonis artibus permansurum. Permovit etiam Scipionis favor, quem lædere, gratiosum ipsi juvenem lædendo, periculum erat. Itaque *flexit animum*, i. e. animo suo quasi vim admovit, ut Jugurthæ infensus esse desineret.

2. *Beneficiis vincere aggressus est.* Nam, quamvis animum ipse flexisset, supererat tamen aliqua suspicio et metus, ne quid in posterum moliretur Jugurtha. Igitur ille quoque *vincendus* et quasi expugnandus erat, si forte animum armatum haberet. Itaque Micipsa eodem timore Jugurtham adoptat, quo prius miserat ad necem.

Cap. X. 1. *In meum regnum accepi.* Te solio meo admovi, scilicet aliquando regnaturum. Ita enim loquitur, ut in hanc spem se ab initio assumptum credat Jugurtha, quamvis tres tantum ante annos in filium adoptatus sit. Vide infra, XI:

non minus me tibi, quam liberis, si genuissem[2], ob beneficia carum fore; neque ea res falsum me habuit. Nam ut alia magna et egregia tua omittam, novissume rediens Numantia meque regnumque meum gloria honoravisti : tua virtute nobis Romanos ex amicis amicissumos fecisti : in Hispania nomen familiæ renovatum : postremo, quod difficillumum inter mortales, gloria invidiam vicisti[3]. Nunc, quoniam mihi natura vitæ finem facit, per hanc dextram[4], per regni fidem[5] moneo obtestorque, uti hos, qui tibi

« Nam ipsum illum tribus his proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse. »

2. *Non minus me tibi quam liberis, si genuissem, etc.* Sic omnes codices. Crispinus tamen et alii nonnulli expungunt vocem *liberis*, sicque intelligunt : *Non minus quam si te genuissem.* Sed hoc injuria, MSS. repugnantibus, et vulgata optimum sensum efficiente : « Existimans me non minus carum fore tibi, quam liberis meis, *si quos geniturus essem.* Nam Micipsam liberos nondum habuisse, quum Jugurtham accepit, vel ex eo conjicere licet, quod Jugurtha, qui *parvus* acceptus est, *major* tamen sit Adherbale et Hiempsale. Nec quis objiciat *genuissem*, quod ad futurum referimus, formam præteriti temporis esse. Nam natos nondum, quum Jugurtham in regiam adscivit, liberos *genuisse* patrem necesse erat, priusquam ipsis *carus* esset : recte igitur dixit, *si genuissem* : nec minus recte dicere poterat, *si geniturus essem.*

3. *Gloria invidiam vicisti.* Sic Dem. Olynth. III : « Μόνοι δὲ ἀνθρώπων, κρείττω τὴν ἐπὶ τοῖς ἔργοις δόξαν τῶν φθονούντων κατέλιπον. » Sic quoque, sed minus simpliciter, atque adeo minus bene, Claud. Stilich. III, 39 :

Solus hic invidiæ fines virtute reliquit,
Humanumque modum.

Acute vero animadvertit Cortius hoc (victam scilicet Jugurthæ gloria invidiam) in ipso Micipsa probari. Quod certe, quamvis de se non intelligi velit Micipsa, in animo tamen, dum scriberet, habuisse Sallustium conjicere licet.

4. *Per hanc dextram.* Validissima per dextram obtestatio, quæ apud omnes gentes pignus fidei est habita. Plaut. Capt. II, 3, 82 : « Hæc per dexteram tuam, te dextera retinens manu, obsecro. » Virg. Æn. IV, 314 :

Per ego has lacrymas dextramque tuam te
Oro, si quis adhuc precibus locus, etc.

Non ergo per suam, sed per Jugurthæ dextram, illum rex obtestatur. Sed dextram juvenis apprehendens, suam ei simul Micipsa protendit; quo quid ad commovendum vehementius, præsertim jamjam morituro sene?

5. *Per regni fidem.* Per tuam, regis mox futuri, fidem. Per eam fidem, quam colere debet vir regio nomine decoratus. Vel etiam vocem *regni* ad Micipsam simul et Jugurtham referendo : Per fidem quam tu rex mihi regi præstare debes.

genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas; neu malis alienos adjungere, quam sanguine conjunctos retinere. Non exercitus, neque thesauri[6] præsidia regni sunt; verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio[7] et fide pariuntur. Quis autem amicior[8], quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris? Equidem ego vobis regnum trado firmum, si boni eritis; si mali, imbecillum. Nam concordia parvæ res crescunt, discordia maxumæ dilabuntur. Ceterum ante hos te, Jugurtha, qui ætate et sapientia prior es, ne aliter quid eveniat[9], providere decet. Nam in omni certamine, qui opulentior est[10], etiam si accipit injuriam, quia plus potest, facere videtur. Vos autem, Adherbal et Hiempsal, colite, observate talem hunc virum, imitamini virtutem, et enitimini, ne ego meliores liberos[11] sumpsisse videar, quam genuisse. »

6. *Non exercitus neque thesauri.* Sallustius Xenophontem imitatus est, Cyrop. VIII, Οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐςιν· ἀλλὰ οἱ πολλοὶ φίλοι σκῆπτρον βασιλεῦσιν ἀληθέστατον καὶ ἀσφαλέστατον. Sallustium vero Herodianus, I: Οὔτε γὰρ χρημάτων πλῆθος οὐδὲν αὐταρκὲς....., οὔτε δορυφόρων φρουρὰ ἱκανὰ ῥύεσθαι τὸν ἄρχοντα, εἰ μὴ προϋπάρχοι ἡ τῶν ὑπηκόων εὔνοια· Omnino conferatur apud priorem Cyri, apud alterum M. Aurelii morientis oratio.

7. *Officio.* Officiosi animi significatione; beneficiis. Gallice, *obligeance, égards, etc.*

8. *Quis autem amicior.* Wasse ex Menandro similem prorsus sententiam attulit: νόμιζ' ἀδελφοὺς τοὺς ἀληθινοὺς φίλους. Addemus ex optimo et viro et poeta nostrate, *Legouvé, Mort d'Abel:*

Un frère est un ami donné par la nature.

9. *Ne aliter quid eveniat.* Nempe *aliter* quam cupio et moneo; ex quo exponere possis: ne quid funestum eveniat. Sic Liv. II, 37: « Invitus quod sequius sit de civibus meis loquor. » Ubi *sequius* (comparativ. ex *secus*, id est, *aliter*) dixit, ne *contumeliosum* diceret. Et hic quoque Micipsa rem oratione mollire voluit.

10. *Qui opulentior est.* Viribus opibusque præstantior. — *Facere videtur.* Insita humano animo natura, qui, ut ait Senec. Phœn. 385, semper infirmo favet.

11. *Liberos.* Neminem certe morabitur, quod *liberos*, de uno Jugurtha, dixerit. Sic apud Liv. III, 50, Virginius, filiæ interfector, commilitones *orabat ne se ut parricidam liberum* (*liberorum*) *aversarentur.* Et nostra quoque lingua, plurali numero Galli sæpe utimur, etiam

XI. Ad ea Jugurtha, tametsi regem ficta loquutum intellegebat[1], et ipse longe aliter animo agitabat, tamen pro tempore benigne respondit. Micipsa paucis diebus post moritur[2]. Postquam illi, more regio, justa magnifice fecerant[3], reguli in unum convenere, uti inter se de cunctis negotiis disceptarent. Sed Hiempsal, qui minumus ex illis, natura ferox, etiam antea ignobilitatem Jugurthæ, quia materno genere impar erat[4], despiciens, dextera Adherbalem adsedit; ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Jugurtha foret. Dein tamen, uti ætati concederet, fatigatus a fratre[5], vix in partem alteram

si de uno filio aut filia sermo sit. Nimirum *liberorum* nomen unicam progeniei notionem habet, nulla aut numeri aut sexus habita ratione. Usum notavit, sed nullo confirmavit argumento Gellius, II, 13.

Cap. XI. 1. *Ficta loquutum intellegebat.* Dixit supra Sallustius Micipsam *flexisse animum suum, et aggressum esse* vincere beneficiis, quem dolo perdere non potuerat. Inde manifestum est, ea quæ de laudibus Jugurthæ dixit, non ex animo magis, quam prudentiæ causa dixisse. Et ille quidem expressa necessitate senis beneficia non nesciebat; nec poterat quin ficta quoque verba intelligeret. Dissimulat ergo veros animi sensus, adversus dissimulantem.

Ceterum nollet Kunhardt *fictam simulatamque boni senis orationem judicare.* Nec nos certe vellemus, nisi res ipsa cogeret. Sed ut bona, sic mala videre legentes oportet. Nec unus est mortalium Micipsa, qui virtutem probitatemque suaserit, spe aliqua aut utilitate ductus. Satis fuerit, si non gratiam apud nos, ut apud Jugurtham, præceptis deroget occulta præcipientis voluntas.

2. *Moritur.* Cirthæ mortuus est An. U. C. 636, postquam triginta annos regnavisset.

3. *Justa magnifice fecerant. Justa facere*, Latinis idem est, quod Græcis τὰ νομιζόμενα. Scilicet omnia illa rite peragere, quæ legibus, more, et religione in mortuorum honorem constituta sunt. — *Reguli.* Adherbal, Hiempsal, Jugurtha. Non ob juvenilem ætatem, sed propter divisum inter tres regnum, *reguli* vocantur.

4. *Quia materno genere impar erat.* Scilicet ortus ex concubina, ut supra dictum est, V. — *Dextera.* Ab dextera. — *Adherbalem adsedit.* Sedit ad Adherbalem; desumpta e verbo, ad regendum nomen, præpositione. Sic Silius, IX, 623 :

Ut qui castella per altos
Oppugnat munita locos atque *adsidet* arces.

5. *Fatigatus a fratre.* Instando evictus. Sic Horat. Carm. I, 2 :

Prece qua *fatigent*
Virgines sanctæ minus audientem
Carmina Vestam.

transductus est. Ibi quum multa de administrando imperio dissererent, Jugurtha inter alias res jacit, oportere quinquennii consulta omnia et decreta rescindi: nam per ea tempora confectum annis Micipsam parum animo valuisse. Tum idem Hiempsal placere sibi respondit: nam ipsum illum tribus his proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse; quod verbum in pectus Jugurthæ altius, quam quisquam ratus, descendit[6]. Itaque ex eo tempore ira et metu anxius[7] moliri, parare, atque ea modo animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur. Quæ ubi tardius procedunt, neque lenitur animus ferox, statuit quovis modo inceptum perficere.

XII. Primo conventu, quem ab regulis factum supra memoravi, propter dissensionem placuerat dividi thesauros, finesque imperii singulis constitui. Itaque tempus ad utramque rem decernitur, sed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in loca propinqua thesauris[1], alius alio, concessere. Sed Hiempsal in oppido Thirmida forte ejus domo utebatur, qui proxumus lictor Jugurthæ[2],

6. *Altius..... descendit.* Mira verborum vis, quæ his Virgilii comparari queant:

Manet alta mente repostum, etc.

7. *Ira et metu anxius. Anxius*, ut hinc patet, non semper idem est quod *sollicitus;* sed pro vehementi quolibet affectu usurpatur. *Angitur* enim pectus et premitur maxime ira et metu.

Cap. XII. 1. *In loca propinqua thesauris.* Videntur isti barbarorum Afrorum reges pluribus in oppidis locisque munitis thesauros habuisse. Nam inf., XXXVII, memorat Sallust. oppidum Suthul, *ubi regis thesauri erant.* Item LXXV, Thalam, *ubi plerique thesauri.* Præterea XCII, castellum aliquod in saxo positum Marius, *quod ibi regis thesauri erant*, summa vi capere intendit. Denique Strabo, XVII, Capsam τὸ γαζοφυλάκιον τοῦ Ἰουγούρθα nominat. Non mirum igitur si, quum mox distribuenda esset pecunia, quisque regulorum eo se contulerit, ubi erant thesauri, vel custodiæ causa, vel quod sic inter eos constitutum fuisset.

2. *Proxumus lictor Jugurthæ. Lictorem* intellige familiarem Jugurthæ ministrum, vel fidissimum satellitem. Nam solent scriptores romani nomina suis usitata etiam ad exteras gentes transferre; quemadmodum v. g. Livius senatores Carthaginienses, more romano, patres conscriptos vocat. Porro verisimile est hunc Jugurthæ ministrum domum

carus acceptusque ei semper fuerat : quem ille casu ministrum oblatum promissis onerat impellitque, uti tamquam suam visens domum eat, portarum claves adulterinas paret[3] ; nam veræ ad Hiempsalem referebantur : ceterum, ubi res postularet, se ipsum cum magna manu venturum[4]. Numida mandata brevi confecit : atque, ut doctus erat, noctu Jugurthæ milites introducit. Qui postquam in ædes irrupere, diversi regem quærere; dormientes alios, alios occursantes interficere; scrutari loca abdita, clausa effringere ; strepitu et tumultu omnia miscere : quum Hiempsal interim reperitur, occultans sese tugurio mulieris ancillæ[5], quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidæ caput ejus, uti jussi erant, ad Jugurtham referunt.

XIII. Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divulgatur ; Adherbalem omnesque, qui sub imperio Micipsæ fuerant, metus invadit. In duas partes discedunt : plures Adherbalem sequuntur, sed illum alterum bello meliores. Igitur Jugurtha quam maxumas potest copias armat : urbes partim vi, alias voluntate[1] imperio

habuisse in oppido Thirmida, ubi ipse non habitabat; eaque domo, ut diversorio, usum fuisse, absente domino, Hiempsalem. — *Casu ministrum oblatum.* Lictor ille, in cujus domo erat Hiempsal, minister cogitati sceleris Jugurthæ a fortuna oblatus videbatur.

3. *Portarum claves adulterinas paret.* Hic quidquam notare supersedissemus, nisi existimaret doct. interpres *Dureau Delamalle*, de *oppidi portis* sermonem esse. Sed omnia, quæ sequuntur, vincant de domo duntaxat agi. Et quidem, quamvis dici soleant *urbis portæ*, *domus fores*, quidni *portæ* quoque dicerentur magnæ et munitæ domus, qualem suspicari licet eam fuisse, in qua regulus divertitur. — *Adulterinas. Adulterinus* opponitur *vero ;* ut *adulterini nummi*, *adulterinæ litteræ*, *adulterinus color*. Ex *ad* et *alter*.

4. *Cum magna manu venturum.* In eam urbem, ubi Hiempsal erat. —*Dormientes.... occursantes.* Scilicet famulos Hiempsalis.

5. *Tugurio mulieris ancillæ. Tugurium* a tegendo dictum est. Hoc loco idem esse videtur ac *cella*, quo nomine dici solet servorum sedes intra heri domum. Et in cellam quoque servi confugit Vitellius, unde ad mortem extractus est. Suet. in Vitell. XVI.

Cap. XIII. 1. *Partim vi, alias vo-*

suo adjungit : omni Numidiæ imperare parat. Adherbal, tametsi Romam legatos miserat, qui senatum docerent de cæde fratris et fortunis suis; tamen fretus multitudine militum, parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex prælio profugit in provinciam[2], ac deinde Romam contendit. Tum Jugurtha, patratis consiliis[3], postquam omni Numidia potiebatur, in otio facinus suum cum animo reputans, timere populum romanum, neque advorsus iram ejus usquam, nisi in avaritia nobilitatis et pecunia sua, spem habere. Itaque paucis diebus cum auro et argento multo Romam legatos mittit, quis præcipit, uti primum veteres amicos muneribus expleant; deinde novos acquirant; postremo quæcumque possint largiundo parare[4], ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere, et, ex præcepto regis, hospitibus aliisque, quorum ea tempestate in senatu auctoritas pollebat, magna munera misere; tanta commutatio incessit, uti ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Jugurtha veniret : quorum[5] pars spe, alii præmio inducti, singulos ex

luntate. Scil. *vi*, quam ipse adhibebat ; *voluntate* urbes incolentium. Imitari videtur græcam dictionem, ἢ γνώμῃ, ἢ δυνάμει, Thucydid. I, 77 ; ubi etiam γνώμῃ ad socios, δυνάμει ad Athenienses refertur.

2. *In provinciam*. Romanam, quæ ex omni illa regione, quam tenuerant Carthaginienses, constabat.

3. *Patratis consiliis*. Occiso nempe altero fratre, victo altero. — *Postquam omni Numidia potiebatur*. Hoc ut *turpissimam* glossam damnat et extrudit Cortius, conjecturis, non MSS. fretus. Nos ex nostris codicibus reposuimus. His expressius notat affectum animi votorum omnium compotis, metu tamen et conscientia scelerum exagitati. *Omni Numidia potiri voluerat*, et ex eo ipso, quod potiebatur, maximus oritur timor. Ita ambitionis simul et sceleris fructum invenit. His notatis addemus propter sententiæ similitudinem, Juven. XIII, 237 :

Quam scelus admittunt, superest constantia.
Quid fas
Atque nefas tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus.

4. *Quæcumque possint largiundo parare*. Quæcumque pretio emere possint. Alii *quemcumque*. Sed *quæcumque* est in MSS. Et melius quidem. *Neutra* enim universum aliquid significant, resque et homines comprehendunt.

5. *Quorum*. Sc. Nobilium ; quæ notio repetenda est ex antecedentibus.

senatu ambiundo, nitebantur, ne gravius in eum consuleretur. Igitur, legati ubi satis confidunt[6], die constituto senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo loquutum accepimus.

XIV. « Patres conscripti, Micipsa pater meus moriens præcepit, uti regnum Numidiæ tantummodo procurationem existumarem meam[1]; ceterum jus et imperium penes vos esse : simul eniterer, domi militiæque quam maxumo usui esse populo romano; vos mihi cognatorum, vos in affinium locum ducerem : si ea fecissem, in vestra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habere. Quæ quum præcepta parentis mei agitarem[2], Jugurtha, homo omnium quos terra sustinet, sceleratissumus, contemto imperio vestro, Masinissæ me nepotem, et jam ab stirpe socium et ami-

6. *Ubi satis confidunt.* Quum legati satis multos e senatu sibi conciliatos credunt. Eo nempe reciderat senatus majestas, ut arbitrio Numidæ romani patres haberent consilium aut differrent. — *Utrisque senatus datur.* Utrique, scil. legati Jugurthæ et Adherbal, in senatum admittuntur suam causam acturi.

Cap. XIV. 1. *Regnum Numidiæ tantummodo procurationem existumarem meam.* Sic codex A. Ceteri omnes *regni, etc.* Cortius, ex sua conjectura, *regnum.... procuratione.... meum.* Utique *regnum Numidiæ* intellige non ipsam Numidiam, sed regiam in Numidia potestatem. *Regnum Numidiæ,* inquit, tantummodo *procurationem meam* existimo. Placent Sall. hujusmodi appositiones. Infra LXXXV : « Neque gloriam meam laborem illorum faciam. » It. Frag. I, Orat. Lepid. « Dominationis in vos servitium suum mercedem dant. » Etiam infra, in hac ipsa oratione : « Regnum ejus sceleris sui prædam fecit. »

2. *Quæ quum præcepta parentis mei agitarem. Præcepta parentis mei,* ut inutile glossema damnat Cortius. Ego, fateor, non video quid reliqui foret scriptoribus, si quisque pro suo arbitrio, quæ sibi displicent, recideret. Si scriptorum istis purgatoribus et calumniatoribus verborum crederemus, periret dimidia pars Sallustii. Audiamus Gruterum : paucæ sententiæ erunt, ubi, seu librariorum, seu auctoris, si deo placet, culpa, verba aliqua non redundent. Ausim equidem contendere damnatas hoc loco voces prorsus necessarias esse, et cum seq. verbo *agitarem* non minus congruere quam in hoc Virgilii IX, 45 :

Objiciunt portas tamen et *præcepta facessunt.*

Agitare enim ab *agendo*, ut *facessere* a faciendo derivatur; et *agitare præcepta*, hoc loco est : assiduam operam dare, ut præceptis pareas.

cum populo romano, regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego[3], patres conscripti, quoniam eo miseriarum venturus eram, vellem potius ob mea, quam ob majorum meorum beneficia posse me a vobis auxilium petere; ac maxume deberi mihi beneficia a populo romano, quibus non egerem; secundum ea, si desideranda erant, uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas, neque mihi in manu fuit[4], Jugurtha qualis foret; ad vos confugi, patres conscripti, quibus, quod miserrumum, cogor prius oneri, quam usui esse. Ceteri reges, aut bello victi in amicitiam a vobis recepti, aut in suis dubiis rebus societatem vestram appetiverunt: familia nostra cum populo romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit; quo tempore magis fides ejus, quam fortuna petenda erat[5]. Quo-

3. *Atque ego.* Sensus totius loci: Quoniam erat in fatis, ut ego a Jugurtha regno fortunisque spoliarer, vellem a vobis auxilium petere posse, non ob majorum, sed ob mea ipsius in rempublicam beneficia. Atque omnino, primo voto, optarem debitores esse mihi Romanos collatorum illis antea beneficiorum, quæ repetere necessitas me non cogeret; secundo, si repetere cogerer, vellem certe tanquam debita, non tanquam precaria et gratuita, ut nunc, ea postulare. Adverbium *maxume* opponitur vocibus *secundum ea. Maxume* idem valet quod *ante omnia.* Ideo exposuimus, *primo voto optarem. Secundum ea,* intellige, *post ea: deinde,* ideo diximus, *secundo voto.* Hæc fere expressa sunt ex Thucyd. 1, 32: Δίκαιον, ὦ Ἀθηναῖοι, τοὺς, μήτε εὐεργεσίας μεγάλης, μήτε ξυμμαχίας προοφειλομένας, ἥκοντας παρὰ τοὺς πέλας ἐπικουρίας.... δεησομένους, ἀναδιδάξαι πρῶτον, μάλιςα μὲν (maxime) ὡς καὶ ξύμφορα δέονται, εἰ δὲ μὴ, ὅτι γε οὐκ ἐπιζήμια· ἔπειτα δὲ (secundum ea), ὡς καὶ τὴν χάριν βέβαιον ἕξουσιν. *Beneficia deberi* Thucydideum est εὐεργεσίας προοφειλομένης. Unde patet quam immerito Cortius deleverit *beneficia.* Debitum porro beneficium quasi thesaurus intelligi debet, repetendus in tempore. Quod si Thucyd. Ruperto et aliis venisset in mentem, obscurissimum hunc locum non judicassent.

4. *Neque mihi in manu fuit.* Neque penes me fuit, bonus an malus foret Jugurtha; ideoque non prohibere potui, quin eo me miseriarum adigeret, ut a vobis nondum debita beneficia postularem.

5. *Magis fides ejus quam fortuna petenda erat.* Adherbal, quo majorem sibi gratiam conciliet, probare vult nulla sua utilitate ductum Masinissam instituisse amicitiam cum Romanis. Ideo revocat illis in men-

rum[6] progeniem vos, patres conscripti, nolite pati me [nepotem Masinissæ] frustra a vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil caussæ haberem[7], præter miserandam fortunam; quod paullo ante rex, genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus ærumnis, inops, alienas opes exspecto; tamen erat majestatis populi romani, prohibere injuriam, neque pati cujusquam regnum per scelus crescere. Verum ego[8] his finibus ejectus sum, quos majoribus meis populus romanus dedit: unde pater et avus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginienses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, patres conscripti: vos in mea injuria despecti estis. Eheu me miserum! Huccine, Micipsa pater, beneficia tua evasere, uti quem tu parem cum liberis, regnique participem fecisti, is potissumum stirpis tuæ exstinctor sit? Numquamne ergo familia nostra quieta erit? semperne in sanguine, ferro, fuga versabimur? Dum Carthaginienses[9] incolumes fuere, jure omnia

tem initium hujus amicitiæ in adversis reipublicæ temporibus factum fuisse. Sed ne parum jucunda recordatione lædat animos audientium, *fidem fortunæ* callide opponit; ita ut societas Romanorum, si quando propter ipsorum fortunam prope fugienda, semper tamen propter fidem expetenda fuisse videatur.

6. *Quorum.* Scil. majorum, quæ notio in antecedenti, *familia*, continetur. — *Me nepotem Masinissæ*, uncinis inclusimus, quia omnibus fere glossa videtur repetita ex ante dictis, *Masinissæ me nepotem et jam ab stirpe socium.* Et tamen est in omnibus MSS.

7. *Si. . . . nihil caussæ haberem.* Etiamsi ideo tantum ad vos confugerem, quia miser sum. — *Tamen erat.* Esset tamen dignum vestra majestate, etc. Hic ad Romanos provocat, tanquam ad propugnatores æqui, vindices injuriarum, datosque omnibus omnium terrarum populis arbitros. Quæ oratio, facile intelligere est, quam grata populo veniat orbis universi imperium affectanti.

8. *Verum ego.* Argumentum, quod vocant, *a fortiori.* Non solum eam tutelam mihi debetis, qua omnes miseros complectimini; sed etiam illata vobismet ipsis injuria vos in propriam ultionem exstimulare debet.

9. *Dum Carthaginienses.* Miram oratoris calliditatem, qui ex odio Romanorum in Pœnos quærit suæ caussæ subsidium, et gratiam familiæ suæ conciliat, quasi multa pro populo romano perpessæ.

sæva patiebamur: hostes ab latere, vos amici procul, spes omnis in armis erat. Postquam illa pestis ex Africa ejecta est, læti pacem agitabamus: quippe quis hostis nullus, nisi forte quem vos jussissetis. Ecce autem ex improviso Jugurtha, intoleranda audacia, scelere atque superbia sese efferens fratre meo, atque eodem propinquo suo interfecto, primum regnum ejus sceleris sui prædam fecit: post, ubi me iisdem dolis nequit capere, nihil minus[10] quam vim aut bellum exspectantem in imperio vestro, sicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miseriis effecit, ut ubivis tutius, quam in meo regno essem.

« Ego sic existumabam, patres conscripti, ut prædicantem audiveram patrem meum, qui vestram amicitiam colerent, eos multum laborem suscipere[11]; ceterum ex omnibus maxume tutos esse. Quod in familia nostra fuit,

10. *Nihil minus, etc.* Effecit ut *ego* vim et bellum, in regione quæ sub imperio vestro est, minime *exspectans*, patria tamen et domo, ut videtis, *extorris, inops, coopertus* miseriis, tutius ubivis *essem*, quam in regno meo. *Me effecit ut essem*, pro, effecit ut ego essem. Sic Cic. Ep. ad Quint. II, 15: « Hæc me, ut confidam, faciunt. » Plaut. Pœn. II, 5: Sex immolavi agnos, nec potui tamen *propitiam Venerem facere*, uti *esset* mihi; pro, *facere ut Venus propitia esset mihi.* Et Hom. Il. β. 409:

Ἥδεε γὰρ κατὰ θυμὸν ἀδελφεὸν, ὡς ἐπονεῖτο,

Pro, ἥδεε ὡς ἀδελφεὸς ἐπονεῖτο.

Sic Latini sæpe; Græci sæpissime.

11. *Eos multum laborem suscipere.* Significat ille patres suos, non ut inertiæ consulerent, laboremque fugerent, amicitiam Romanorum amplexos fuisse. Igitur quum strenue bonorum sociorum, in omnibus Romanorum bellis, munera obierint, justa vice postulat, ut nunc tutus in regno suo, eorumdem auxilio Romanorum esse possit. — *Quod in familia nostra fuit.* Familia nostra præstitit quod penes ipsam fuit; sc. ut in omnibus bellis vobis *adesset* (seu *adessent*, plur. num. quia familia plures homines complectitur). — *Per otium.* Quum nulla pro vobis bella gerenda sunt. — Hic non abs re fuerit conferre, quæ de P. R. societate dicit optimus rerum romanarum judex *Montesquieu, Grand. et Décad.* VI: « *Quoique le titre de leur allié fût une espèce de servitude, il était néanmoins très-recherché; car on était sûr que l'on ne recevrait d'injures que d'eux, et l'on avait sujet d'espérer qu'elles seraient moindres: ainsi il n'y avait point de services que les peuples et les rois ne fussent prêts de rendre, ni de bassesses qu'ils ne fissent pour l'obtenir.* »

præstitit uti in omnibus bellis vobis adessent : nos uti per otium tuti simus, in manu vestra est, patres conscripti. Pater nos duos fratres reliquit; tertium, Jugurtham, beneficiis suis ratus nobis conjunctum fore. Alter eorum necatus, alterius ipse ego manus impias vix effugi. Quid agam? quo potissumum infelix accedam? Generis præsidia omnia exstincta sunt : pater, uti necesse erat, naturæ concessit; fratri, quem minume decuit, propinquus[12] per scelus vitam eripuit : affines, amicos, propinquos ceteros, alium alia clades oppressit : capti ab Jugurtha, pars in crucem acti, pars bestiis objecti; pauci, quibus relicta anima, clausi in tenebris, cum mœrore et luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia[13], quæ aut amisi[14], aut ex necessariis advorsa facta sunt, incolumia manerent; tamen, si quid ex improviso accidisset, vos implorarem, patres conscripti, quibus, pro magnitudine imperii, jus et injurias[15] omnes curæ esse decet. Nunc vero exsul patria, domo, solus et omnium honestarum rerum egens, quo accedam, aut quos appellem? nationesne, an reges, qui omnes familiæ nostræ ob vestram amicitiam infesti sunt? an quoquam adire licet, ubi non majorum meorum hostilia monumenta[16] plurima sint? aut quisquam nostri mi-

12. *Fratri, quem minime decuit, propinquus.* Ordo est : Propinquus, quem minime decuit (scilicet hoc facere), fratri vitam eripuit.

13. *Si omnia, etc.* Incipit argumentum a fortiori, cujus altera pars est, *nunc vero exsul.* Etiamsi, inquit, nec regno, nec omnibus præsidiis orbatus essem, tamen adversus quaslibet injurias, si quæ ex improviso acciderent, vos implorarem. Nunc quanto magis debeo vos implorare, exul et omnibus egens?

14. *Quæ.... amisi.* Scilic. pater, frater, affines, amici, propinqui, denique regnum ipsum. — *Quæ ex necessariis advorsa facta sunt.* Ipse Jugurtha; qui, quum Adherbali *necessarius*, i. e. naturæ vinculis *connexus* (*necessarius* enim ex *nectere*) esset, ei adversus et inimicus factus est. Plurali numero et neutrali genere utitur, quia sic inceperat. Præterea sic latius patere videtur oratio.

15. *Jus et injurias.* Jus, ut suum cuique constet : injurias, ut vindicentur.

16. *Hostilia monumenta.* Monumenta bellorum, quæ ibi pro vobis gesserunt majores mei.

sereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit? Postremo [17] Masinissa nos ita instituit, patres conscripti, ne quem coleremus, nisi populum romanum; ne societates, ne fœdera nova acciperemus: abunde magna præsidia nobis in vestra amicitia fore: si huic imperio fortuna mutaretur, una nobis occidendum esse. Virtute ac dis volentibus magni estis et opulenti; omnia secunda et obedientia sunt: quo faciliùs sociorum injurias curare licet. Tantum illud vereor, ne quos privata amicitia Jugurthæ, parum cognita [18], transvorsos agat: quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos singulos, ne quid de absente, incognita caussa, statuatis: fingere me verba; fugam simulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam [19] illum, cujus impio facinore in has miserias projectus sum, eadem hæc simulantem videam! et aliquando aut apud vos, aut apud deos immortales rerum humanarum cura oriatur! Næ ille, qui nunc sceleribus suis ferox atque præclarus est, omnibus malis excruciatus, impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miseriarum graves pœnas reddet. Jam jam frater [20] animo meo caris-

17. *Postremo.* Sententia est: Auxilium ab aliis regibus exspectare nullo modo possum. Atque etiamsi possem, non liceret petere; quoniam Masinissa præceptis suis cavit, ne quem socium, nisi populum romanum, haberemus. Ergo vestrum est nobis succurrere. Et id potestis quidem, quoniam imperio vestro omnia secunda et obedientia sunt.

18. *Parum cognita.* Cujus inconstantiam et levitatem parum noverunt. — *Transvorsos agat.* A recte consulendo deducat.

19. *Quod utinam.* Dicitur *quod utinam*, ut *quod si*, et *quod ni*. Dictio integra foret: quod utinam videam, nempe illum eadem hæc simulantem! His autem verbis refellit, quod objiciunt inimici, se fugam simulare. Utinam, inquit, illi simulent, quemadmodum ego simulo! Tum patebit deos non negligere humana, satisque et mea, et fratris, et parentis vindictæ datum erit. — *Aut apud vos, aut apud deos immortales.* Blandum auribus Romanorum, quibus, una cum diis, arbitrium rerum humanarum tribuit. — *Cura oriatur.* Insitus hominibus error, dei somnum incusare, quum miseri sunt.

20. *Jam jam frater.* Quoniam fratris mentio incidit, carissimum illum fratrem, tanquam præsentem

sume, quamquam tibi immaturo, et unde minume decuit, vita erepta est; tamen lætandum magis, quam dolendum puto casum tuum : non enim regnum, sed fugam, exsilium, egestatem et omnes has, quæ me premunt, ærumnas cum anima simul amisisti. At ego infelix, in tanta mala præcipitatus ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum præbeo : incertus quid agam, tuasne injurias persequar, ipse auxilii egens; an regno consulam, cujus vitæ necisque potestas ex opibus alienis pendet? Utinam emori[21] fortunis meis honestus exitus esset; neu vere contemtus viderer[22], si, defessus malis, injuriæ concessissem : nunc neque vivere lubet, neque mori licet sine dedecore. Patres conscripti, per vos, per liberos atque parentes vestros, per majestatem populi romani, subvenite misero

alloquitur; sicque et fraternæ pietatis imagine movet animos audientium, et suas amplificat ærumnas, mortem fratris suæ vitæ anteponendo. — *Unde minime decuit.* A quo minime decuit tibi vitam eripi. *Unde* enim de personis quoque dicitur. Sic Liv. XXI, 10 : « Unde jus stabat, ei victoriam dedit. »

21. *Utinam emori.* Utinam mors *fortunis meis*, id est, *mihi ea fortuna utenti*, honestum exitum panderet.

22. *Neu vere contemtus viderer.* Utinam non merito a Jugurtha contemptus fuisse videtur, si defessus malis, illius injuriæ concessissem, vitam relinquendo! Obvium hunc sensum unus adhuc vidit *Dotteville*, quum multi de hoc loco infinite disseruerint. Erroris causa, textus in plerisque MSS. corruptus : *Ne vivere contemtus viderer.* Sed Gruter in uno codice invenit *neu vere*; Wasse in alio, *ne jure* : eodem sensu. Sed præstat *neu vere;* 1° quia *neu* hæc antecedentibus jungit; 2° quia ex *neuuere* (ut tum scribebant) facilior mutatio in *neuiuere;* 3° quia *vere* pro *jure* eleganter dicitur. Plaut. Capt. V, 2, 7 : « Sed neque *vere*, neque recte adhuc fecisti unquam. » Horat. Epist. I, 7, 97 :

Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.

Nos ergo reponere non dubitavimus *neu vere*. Nam quum queratur Adherbal sibi non licere honeste mori, causam ejus rei statim afferre debet, ne vanum affirmaverit. Atqui hæc causa est : quod, si mortem sibi consciscret, injuriæ cedere per malorum impatientiam, ideoque jure ac merito a Jugurtha contemni, ut ignavus, videretur. — *Nunc neque vivere lubet.* Nunc neque vita me juvat, propter miserias; neque mori licet sine dedecore, quia mors animi malis defessi indicium foret. Operæ pretium est animadvertere, ut iis maxime verbis timidum ingenium prodat, unde constantiæ famam

mihi : ite obviam injuriæ : nolite pati regnum Numidiæ, quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiæ nostræ tabescere[23]. »

XV. Postquam rex finem loquendi fecit; legati Jugurthæ, largitione magis quam caussa freti, paucis respondent : Hiempsalem ob sævitiam suam ab Numidis interfectum : Adherbalem ultro bellum inferentem, postquam superatus sit, queri quod injuriam facere nequivisset. Jugurtham ab senatu petere, ne alium putarent, ac Numantiæ cognitus esset : neu verba inimici ante facta sua ponerent. Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus statim consulitur. Fautores legatorum, præterea magna pars, gratia depravati[1], Adherbalis dicta contemnere, Jugurthæ virtutem extollere laudibus; gratia, voce, denique omnibus modis pro alieno scelere et flagitio, sua quasi pro gloria, nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et æquum divitiis carius, subveniundum Adherbali, et Hiempsalis mortem severe vindicandam censebant : sed ex omnibus maxume Æmilius Scaurus [2], homo nobilis,

quærit. — Sic nos totum locum interpretamur. Si quis vero malit *ne vivere*, hic esse poterit sensus : « Utinam honestus rerum mearum exitus esset voluntarie mori, ne scilicet viventem in contemptu me viderent homines; in quo certe viverem, si defessus malis injuriæ victoriam cessissem! Sed neque vita me juvat propter contemptum illum; neque mori licet sine dedecore. » Et sic quidem patet, cur *vivere non libeat*. Cur vero *non licet mori sine dedecore?*

23. *Tabescere*. Per scelus *dissolvi*, et exhausto Masinissæ sanguine *interire*. Metaphora ducta a corporibus, quæ dicuntur *tabescere*, quum interiore consumpta morbo, deficientibusque sensim viribus et sanguine, paulatim defluunt, et tandem morte solvuntur.

Cap. XV. 1. *Gratia depravati*. Præter amicos et fautores legatorum, multi etiam senatores *gratia* in pravum abstracti (*corrompus par l'intrigue*). Nempe fautores Jugurthæ suam *gratiam* interposuerant (*avaient usé de leur crédit*), ut alios ad suas partes traherent. Vulgo legitur *depravata*, quod jure damnat Cortius. Supra XIV : *Pars in crucem acti*. Inf. XVI : *Pars illa qui.... anteferebant*. Item LVIII : *Magna pars volnerati aut occisi*.

2. *Æmilius Scaurus*. Princeps senatus, pater illius Scauri cujus ædi-

impiger, factiosus, avidus potentiæ, honoris, divitiarum; ceterum vitia sua callide occultans. Is postquam videt regis largitionem famosam[3] impudentemque; veritus, quod in tali re solet, ne polluta licentia invidiam accenderet, animum a consueta lubidine continuit.

XVI. Vicit tamen in senatu pars illa, qui vero pretium aut gratiam anteferebant. Decretum fit, uti decem legati regnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Jugurtham et Adherbalem dividerent. Cujus legationis princeps fuit L. Opimius[1], homo clarus, et tum in senatu potens; quia consul, C. Graccho et M. Fulvio Flacco interfectis,

litas, profusa magnificentia et luxus antea inauditi exemplis, *maxime prostravisse mores civiles* Plinio videtur (XXXVI, 15). Si eidem Plinio creditur, M. Scaurus pater, *Marianis sodalitiis rapinarum provincialium sinus fuit.* Verum ille vir, Sallust. et Plinio damnatus, adeo contra suis civibus probatus fuit, ut, quum acceptæ ad prodendam rempublicam pecuniæ accusaretur, satis habuerit rem negare, statimque populus accusatorem *ab illa dementissima actione, pertinaci clamore, depulerit*, inquit Val. Max. III, 7. Idem, V, 8, Scaurum vocat *lumen ac decus patriæ*. Nec de Scauri laudibus Cicero conticescit, tum aliis in locis, tum etiam in lib. de Offic. I, 22 et 30; in Epist. ad Lentul. I, 9; in Bruto, XXIX; in Orat. pro Murena, VII; pro Fonteio, VII, ubi hæc: « Ecquem hominem vidimus.... parem consilio, gravitate, constantia, ceteris virtutibus, honoris, ingenii, rerum gestarum ornamentis, M. Æmilio Scauro fuisse? » Laudat alter, alter vituperat: utri credendum? Nisi forte Scauri putemus auctas a Cicerone virtutes, a Sallustio vitia, utrumque ob unam causam, quod fuisset propugnator nobilitatis?

3. *Famosam*. Omnibus *famæ* rumoribus exagitatam. *Famosus* enim dicitur, de quo multa *fama* est, plerumque in malam partem. — *Impudentem*. Palam et sine ullo pudore quærentem, qui acciperent.— *Polluta licentia* (in recto casu). Licentia, quæ quasi prostans ad accipiendam pecuniam aperto se dedecori offerebat. Jam supervacaneum est monere, a quam turpi genere quæstus hæ metaphoræ ducantur.

Cap. XVI. 1. *L. Opimius*. Is privatas inimicitias gerebat cum C. Graccho, qui tribunus eum, A. U. C. 631, de petitione consulatus depulerat. Consul autem Opimius, A. 633, quum, adversus Gracchum multa in civitate molientem, jussus esset a senatu consulere reipublicæ, graviter sæviit, ut suarum quoque irarum ultor. Occisi sunt enim Gracchus, et Fulvius Flaccus, et insuper tria amplius hominum millia. Quare postea accusatus a Q. Decio tribuno plebis, quod cives Romanos indicta causa necavisset, a populo absolutus est. Tandem, quod a Jugur-

acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Jugurtha tametsi Romæ in amicis habuerat[2], tamen accuratissume recepit : dando et pollicitando perfecit, uti famæ, fidei, postremo omnibus suis rebus commodum regis anteferret : reliquos legatos eadem via aggressus, plerosque capit : paucis carior fides, quam pecunia fuit. In divisione, quæ pars Numidiæ Mauretaniam attingit, agro virisque opulentior, Jugurthæ traditur : illam alteram specie quam usu potiorem, quæ portuosior et ædificiis magis exornata erat, Adherbal possedit.

XVII. Res postulare videtur Africæ situm paucis exponere, et eas gentes, quibuscum nobis bellum aut amicitia fuit, attingere. Sed quæ loca et nationes, ob calorem aut asperitatem, item solitudines, minus frequentata sunt[1], de iis haud facile compertum narraverim : cetera quam paucissumis absolvam.

In divisione orbis terræ plerique in partem tertiam[2] Africam posuere : pauci tantummodo Asiam et Europam esse; sed Africam in Europa. Ea fines habet ab occidente fretum nostri maris[3] et oceani : ab ortu solis declivem

tha pecunia corruptus esset, accusatus damnatusque in exilio et dedecore consenuit. Liv. Epit. LX et LXI; Cic. in Brut. XXXIV, Plutarch. in Gracch. Vell. II, 6, Flor. III, 15.

2. *Tametsi Romæ in amicis habuerat.* Scilicet amicum jam habebat; amicissimum vult facere. Male Bip. *in inimicis.*

CAP. XVII. 1. *Minus frequentata sunt.* Minus culta et habitata ab hominibus, ob calorem, asperitatem et solitudines. Eodem sensu Suetonius, Aug. XLVI : « Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se *frequentavit.* » — *Haud facile.* Difficile est aliquid certi et comperti de his narrare.

2. *In partem tertiam.* Alii, *in parte tertia.* Me movet ut accusativum retineam, præter allatas a Cortio auctoritates, duoque nostrorum codicum : primum, quod quandam motus notio subest, quum aliquid in partes distribuitur. Deinde, quod jam unus ablativus est, *in divisione.* — *Pauci tantummodo Asiam et Africam esse.* Supp. voluerunt. In his M. Varro, de L. L. IV : « Ut omnis natura in cœlum et terram divisa est, sic cœlum in regiones, terra in Asiam et Europam. » Non mirum; quum antiqui littora tantum Africæ, quæ in Europam spectant, nota haberent.

3, *Fretum nostri maris et Oceani.*

latitudinem; quem locum Catabathmon[4] incolæ appellant. Mare sævum, importuosum: ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus: cœlo terraque penuria aquarum. Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum: plerosque senectus dissolvit[5]; nisi qui ferro aut bestiis interiere; nam morbus haud sæpe quemquam superat; ad hoc malefici generis plurima animalia. Sed qui mortales initio Africam habuerint, quique postea accesserint, aut quomodo inter se permixti sint; quamquam ab ea fama, quæ plerosque obtinet[6], diversum est; tamen, uti ex libris Punicis, qui regis Hiempsalis[7] dicebantur, interpretatum nobis est, utique rem sese habere cultores ejus terræ putant, quam paucissumis dicam. Ceterum fides ejus rei penes auctores erit.

XVIII. Africam initio habuere Gætuli et Libyes[1], asperi, inculti; quis cibus erat caro ferina atque humi

Gaditanum, seu Herculeum fretum. Nunc, *le détroit de Gibraltar*. *Nostrum* vocabant Romani, mare mediterraneum (Mela, I, 1).—*Oceani*. Ejus scilicet partis magni Oceani, quæ mare Atlanticum dicitur.

4. *Catabathmon*. Græca vox, quæ *descensum* significat, e verbo κατα6αίνω. Mela I, 8: « Catabathmos, vallis devexa in Ægyptum, finit Africam. » Idem, I, IX: « Asiæ prima pars inter Catabathmon et Arabas. » Unde liquet veteres Ægyptum in Asia, non in Africa ponere.

5. *Senectus dissolvit*. Aptissime conjuncta verba. Nam senectute non subito frangitur, sed sensim et lenius dissolvitur corporis quasi compages.

6. *Quæ plerosque obtinet*. Quæ vulgatissima est. Nam fama obtinere (quasi *obnoxios tenere*) dicitur eos apud quos valet. Aliquando absolute ponitur, *fama obtinet*, supple *fidem*, *animos*, aut aliud quid.

7. *Regis Hiempsalis*. Ejus qui Jugurthæ successit. Is erat Masinissæ nepos, Gulussæ filius, pater Jubæ. Quo Juba ad Thapsum occiso, Cæsar Numidiæ in provinciam redactæ Sallustium præfecit. Hic ergo idoneus Africanarum rerum auctor est; qui et eam regionem administraverit, et scriptos vernacula lingua libros adierit. — *Interpretatum*. Passive, ut in Catil. VII, *adepta libertate*. — *Utique*. Atque uti. — *Fides ejus rei*. Veritatem narrationis ipsi præstent auctores.

Cap. XVIII. 1. *Gætuli et Libyes*. De his ceterisque nationum nominibus, amplius in indice geographico. Gætuli Libyesque hic indigenæ et quasi aborigines Africæ populi feruntur. Ostendet mox, qui advenæ his accesserint.

pabulum[2], uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, neque imperio cujusquam regebantur[3]: vagi, palantes, qua nox coegerat[4], sedes habebant. Sed postquam in Hispania Hercules[5], sicuti Afri putant, interiit, exercitus ejus compositus ex variis gentibus, amisso duce, ac passim multis, sibi quisque[6], imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Persæ et Armenii[7], navibus in Afri-

2. *Humi pabulum.* Scilicet radicibus et herbis vescebantur.

3. *Neque moribus ..... regebantur.* Moribus regi dicuntur gentes, apud quas vetustate sancitæ majorum consuetudines legum auctoritatem habent, quamvis litterarum monumenta desint.

4. *Quæ nox coegerat.* Ubi sub adventum noctis forte congregati erant, ibi pernoctabant, ut quibus nulla certa sedes esset. De his Silius lib. III, v. 290:

Nulla domus; plaustris habitant; migrare per arva
Mos, atque errantes circumvectare penates.

5. *Hercules.* Plures Hercules antiquis memoratos fuisse nemo nescit. Cic. de Nat. Deor. III, 16, sex numerat. Varro tres et quadraginta, ut notat Servius ad Æneid. VIII, 564. Virgilius Herculem, Geryonis in Hispania victorem, venisse narrat in Italiam, hæcque fama apud Romanos obtinebat. Sed hæc omnis historia spissa caligine involuta est. Vero simillima videtur conjectura doct. *De Brosses*, nomen Herculis punicum fuisse *Harokel*, quo appellari solebant quicumque, mercaturæ causa, in externas terras peregrinabantur; hunc autem unum ex illis qui Phœnicia profectus, deductaque ad Gades colonia, ibi interierit. Hoc adjuvat, quod dicit Appianus in Ibericis, II, Herculis fanum, quod est apud Columnas, a Phœnicibus exstructum sibi videri: coli enim tunc quoque Phœnicio ritu, deumque ipsum Thebanum non esse, sed Tyrium. Suffragatur Arrian. II. Item Diodor. I; Philostr. Vit. Apoll. II, 33 (Lips. Ed.); Mela, III, 6; qui tamen Ægyptium hunc Herculem vocant.

6. *Multis, sibi quisque, imperium petentibus.* Nominativum sine verbo *quisque* regulæ damnant, ratio absolvit. Quum enim dixit auctor, *multis petentibus*, habebat in animo, *quum multi peterent;* sensumque potius quam verba respexit. Jam plura, cap. I, contra vulgares regulas dicta notavimus. Adde Liv. I, 29: *raptim quibus quisque poterat elatis;* ubi non *quisque*, sed *quibus* contra grammaticam peccat. Cave igitur ne in nostro Sallustii loco *quisque* esse pro *quibusque* arbitreris.

7. *Medi, Persæ, et Armenii.* Omnes hi navibus Tyriis in Hispaniam, inde in Africam advecti fuerant, videlicet colonias condituri. Quum vero facile corrumpi potuerint, in librorum Hiempsalis interpretatione, hæc gentium nomina, existimat *De Brosses*, socios illos Herculis Tyrii Phœnicum accolas fuisse, non veros Armenios, Persas et Medos. Vid. Ind. Geogr. præsertim ad vocem *Persæ*.

cam transvecti, proxumos nostro mari locos[8] occupavere: sed Persæ intra oceanum magis: iique alveos navium inversos pro tuguriis habuere, quia neque materia in agris, neque ab Hispanis emundi, aut mutandi copia erat: mare magnum[9] et ignara lingua commercia prohibebant. Hi paullatim per connubia Gætulos sibi miscuere: et quia, sæpe tentantes agros, alia, deinde alia, loca petiverant[10], semet ipsi Numidas appellavere. Ceterum adhuc[11] ædificia

8. *Proxumos nostro mari locos.* Vicina mediterraneo mari loca incoluere tres illæ nationes. Sed, ex tribus, Persæ *intra Oceanum magis*, id est, orientem versus, in locis ab Oceano, seu Atlantico mari, longius remotis, sedem posuere. Nam *intra* sæpius poni pro *citra* confirmat Gellius, XII, 13. Is ex Cicerone affert (Ep. IV, 4) «Modice hoc faciam, aut etiam *intra modum;*» id est, ut ipsius Gellii verbis utar, *non ad ipsum modum, sed retro paululum, et citra modum.* Quin etiam affert ex eodem, *intra Oceanum*, quod exponit *citra* vel *ante Oceanum.* Quibus exemplis hoc addiderim, Plin. Pan. XXX: «Neque solum.... amnis (Nilus) *intra* usurpata semper collium substiterat atque hæserat; sed supino etiam ac clementi solo, non placido se mollique lapsu refugum abstulerat; et necdum satis humentes terras addiderat arentibus.» *Intra* igitur significat in *interiore* vel *citeriore parte;* ita ut *intra Oceanum* sit, *in interiore* Africæ parte, *quoad Oceanum;* et quod idem est, in *citeriore*, *quoad Romam.* Vox *intra* notat Persas usque ad Oceanum non pertingere; et *magis intra*, eos minus illuc pertingere, quam Medos et Armenios. Hoc firmabunt seqq.; errantque vehementer et Cortius et quicumque intelligunt *loca quæ ab Oceano ambiuntur et ei sunt proxima.*

9. *Mare magnum.* Perperam Cortius intelligit *Oceanum. Magnum* hic est, *latum*, *vastum.* Mare enim mediterraneum in latitudinem extenditur; quum in orientem a freto Gaditano recedis. Mox dicet Medos et Armenios, qui occidentem versus habitabant, freto tantum ab Hispania divisos esse. — *Ignara lingua.* Ignorata, incognita, quam alter alterius non intelligit. Sic infra LII. «Regio hostibus *ignara*, i. e. ignota.» Item Tac. Annal. XV, 62: «Cui enim *ignaram* fuisse sævitiam Neronis?»

10. *Alia, deinde alia loca petiverant.* Hic interpretandum est, quod non dicit expresse: eos a mari paulatim recessisse, et in meridiem esse evagatos. Hoc confirmabitur eo quod mox de Gætulis dicet. — *Numidas.* Numidæ vulgo dici creduntur, quasi νομάδες, *pastores*, a νέμω, *pasco.* Sed præter κατάβαθμον, quod nomen recentius videtur, omnia istorum locorum nomina a Phœnicum sermone tracta sunt. Non est ergo verisimile Numidarum nomen græcum esse. *Leclerc*, Genes. X, 6, Numidas interpretatur *Nemoudim*, errantes. Sed forte eadem et græci et punici verbi origo esse possit.

11. *Adhuc.* Illo etiam tempore, quo

Numidarum agrestium, quæ mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ sunt. Medis autem et Armeniis accessere Libyes[12] (nam hi propius mare Africum agitabant; Gætuli sub sole magis, haud procul ab ardoribus): hique mature oppida habuere[13]; nam freto divisi ab Hispania mutare res inter se instituerant: nomen eorum paullatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros, pro Medis[14], appellantes. Sed res Persarum brevi adolevit: ac postea, nomine Numidæ[15] propter multitudinem a parentibus digressi, possidere ea loca, quæ pro-

Sallustius scribebat. — *Mapalia.* Gallice, *huttes.* — *Incurvis lateribus tecta.* Pro tecto habentes ipsa casæ latera, quæ non, ut in nostris ædibus, recta surgebant, sed inclinata inter se et incurvata in summo coibant. Curtius, de Parapamisadarum tuguriis, VII, 3: « Structura latior ab imo, paulatim incremento operis in arctius cogitur: ad ultimum in *carinæ* maxime modum coit. » Si quis miretur ædificium *suis ipsum lateribus tectum* dici, attendat *incurvis lateribus* idem esse ac *curvamine laterum*; resque simplex admodum et facilis videbitur. Non nesciendum tamen quosdam ita distinguere: « *Ceterum ædificia ædificia. . . . oblonga, incurvis lateribus: tecta quasi navium carinæ sunt.* Sed in ejusmodi tuguriis *tectum* a reliquo ædificio non separari, satis testatur Curtii locus. Sunt etiam, qui *lateribus* a *Liter*, non a *latus*, deducant. Absurdum!

12. *Accessere Libyes.* Libyes se Medis et Armeniis commercio et connubiis junxere, ut Gætuli se Persis junxerant. — *Nam hi.* Sc. *Libyes.* Libyes prope mare erant: prope mare Medi et Armenii, quippe *freto tantum ab Hispania divisi.* Inter hos ergo et illos conjunctionem fieri necesse fuit. — *Mare Africum.* Hoc de mediterraneo mari, quod Africam a septentrione claudit, accipiendum esse monent opposita: « *Gætuli sub sole magis.* » Voces enim, *sub sole*, meridiem et ardentis zonæ confinium indicant. — *Gætuli sub sole magis.* Ergo ut cum Gætulis miscerentur, in interiores terras, Persæ, Numidæ facti, errantes penates transtulerant. Mox videbimus eorum partem ad mare remigrasse.

13. *Hique mature oppida habuere.* Medi et Armenii, cum Libybus conjuncti.

14. *Mauros pro Medis.* Nimia certe mutatio. Multo probabilius est quod putat doctiss. *Bochart*, *Mauros* esse punicum nomen *Maharim*, id est, ultimos terrarum. Nam post Mauros, hinc Oceanus, illinc solitudines.

15. *Nomine Numidæ.* Numidæ, non jam Persæ, appellati. — *A parentibus digressi.* Jam ad orientem erant, respectu Maurorum. Hæc colonia magis etiam ad orientem processit. Præterea mediterraneum versus, ad septentrionem regressi sunt. Quocirca mox dicet, *ad vastum mare* processerant.

xume Carthaginem Numidia appellatur : dein utrique alteris freti [16], finitimos armis aut metu sub imperium cogere; nomen gloriamque sibi addidere : magis hi, qui ad nostrum mare processerant [17]; quia Libyes, quam Gætuli, minus bellicosi. Denique Africæ pars inferior [18] pleraque ab Numidis possessa est. : victi omnes in gentem nomenque imperantium concessere.

XIX. Postea Phœnices [1], alii multitudinis domi minuendæ gratia, pars imperii cupidine, sollicitata plebe aliisque novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum, Leptim aliasque urbes in ora maritima condidere : hæque brevi multum auctæ, pars originibus [2] præsidio, aliæ decori fuere. Nam de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere; quoniam alio properare tempus monet. Igitur ad Catabathmon [3], qui locus Ægyptum ab Africa dividit, secundo mari [4], prima Cyrene est, colonia The-

16. *Utrique alteris freti.* Et priores Numidæ, et ii qui ab illis digressi erant, propius Carthaginem habitaturi.

17. *Magis hi, qui ad nostrum mare processerant.* Magis ea colonia, de qua modo mentio fuit. — *Quia Libyes, quam Gætuli, etc.* Obscure indicat Numidas maritimos rem habuisse cum Libybus, qui et ipsi maritimi; ceteros vero Numidas, cum Gætulis, qui interiores terras habitabant. Atqui Libyes, utpote minus bellicosi, facilius vincebantur. Ideo colonia Numidarum clarior facta est, quam priores, qui Gætulos, asperiorem hostem, habebant. Ne quem moretur, quod dixit hos se Gætulis principio miscuisse. Mox exhibebit Gætulos ut diversam, suis etiam temporibus, a Numidis nationem.

18. *Africæ pars inferior.* Pars, quæ propius mare mediterraneum est, in quod amnes hujus regionis defluunt. — Omnis hic locus, propter brevitatem, nostramque veterum illarum migrationum ignorantiam, subobscurus est. Quod probabilius mihi visum est, exposui, interpretem Sallustii Sallustium ipsum, quoad potui, faciendo.

Cap. XIX. 1. *Postea Phœnices.* Diximus omnes hos, de quibus in superiori capite sermo fuit, e Phœnicia oriundos videri. Hic de recentioribus Phœnicum coloniis loquitur.

2. *Originibus.* Civitatibus unde originem ducebant. Μητροπόλεσι.

3. *Igitur ad Catabathmon.* Summatim recenset, quæ jam memoravit; totamque Africam, quoad nota erat Romanis, brevi descriptione comprehendit.

4. *Secundo mari.* Si maritimas oras, scil. ad occidentem pergens, *sequaris.*

ræon[5], ac deinceps duæ Syrtes[6], interque eas Leptis; dein Philænon aræ, quem, Ægyptum versus, finem imperii habuere Carthaginienses : post aliæ Punicæ urbes[7]. Cetera loca usque ad Mauretaniam Numidæ tenent : proxume Hispaniam Mauri sunt : super Numidiam[8] Gætulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agitare : post eos Æthiopas esse : dein loca exusta solis ardoribus. Igitur bello Jugurthino pleraque ex Punicis oppida et fines Carthaginiensium, quos novissume habuerant[9], populus romanus per magistratus administrabat : Gætulorum magna pars, et Numidia usque ad flumen Mulucham sub Jugurtha erant : Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, præter nomen, cetera ignarus populi romani; itemque nobis neque bello, neque pace antea cognitus. De Africa et ejus incolis ad necessitudinem rei satis dictum.

XX. Postquam, regno diviso, legati Africa discessere, et Jugurtha contra timorem animi[1] præmia sceleris adeptum sese videt; certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romæ venalia esse; simul

5. *Theræon.* Genitiv. græcus. Latine dixisset, *Theræorum.* Theræi, qui Cyrenem condiderunt, ex insula Thera, in Ægeo, profecti erant. Hi, opinor, declivem planitiem, quæ est inter Cyrenem et Ægyptum, græco nomine Catabathmon appellarunt.

6. *Duæ Syrtes.* Earum descriptionem vide infra, LXXVIII, ubi etiam de oppido Lepti mentio est.—*Philænon.* Græce, pro Philænorum. Vide LXXIX, qui fuerint Philæni et eorum aræ. Adverbium *deinceps*, monet majorem Syrtim (qui sinus maris est) Cyrenaicum mare contingere et continuare. Major vero Syrtis, simul et minoris admonet, et oppidi Leptis, in medio inter ambas spatio positi. Sed, his notatis, scriptor ad inceptum ordinem redit, addendo : *dein Philænon aræ.* Intellige ergo : prima Cyrene; dein (id est, post Cyrenem) Philænon aræ. Nam hæ sunt juxta Syrtim majorem.

7. *Punicæ urbes.* A Phœnicibus conditæ, Adrumetum, Hippo, et ceteræ, quarum nomen non retulit.

8. *Super Numidiam.* Ultra Numidas, meridiem versus.

9. *Fines Carthaginiensium, quos novissume habuerant.* Quidquid possidebant Carthaginienses, novissimis ante urbis suæ excidium temporibus.

XX. 1. *Contra timorem animi.* Contra id quod timuerat. — *Præmia sceleris.* Impunitatem, et dimidiam, pro tertia, melioremque simul Numidiæ partem.

et illorum pollicitationibus accensus, quos paullo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit. Ipse acer, bellicosus : at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus injuriæ[2], metuens magis quam metuendus. Igitur ex improviso fines ejus cum magna manu invadit : multos mortales cum pecore atque alia præda capit, ædificia incendit, pleraque loca hostiliter cum equitatu accedit : dein cum omni multitudine in regnum suum convertit; existumans dolore permotum Adherbalem injurias suas[3] manu vindicaturum, eamque rem belli caussam fore. At ille, quod neque se parem armis existumabat, et amicitia populi romani magis quam Numidis fretus erat, legatos ad Jugurtham de injuriis questum misit : qui tametsi contumeliosa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decrevit, quam bellum sumere, quia tentatum antea secus cesserat. Neque tamen éo magis cupido Jugurthæ minuebatur : quippe qui totum ejus regnum animo jam invaserat[4]. Itaque non, ut antea, cum prædatoria manu, sed magno exercitu comparato bellum gerere cœpit, et aperte totius Numidiæ imperium petere : ceterum, qua pergebat, urbes, agros vastare, prædas agere[5]; suis animum, terrorem hostibus augere.

2. *Opportunus injuriæ.* Male tutus adversus injuriam, et quasi ad omnes ictus patens. Senec. de Clem. 1, 8 : « Adjice nunc, quod privatos homines ad accipiendas injurias *opportuniores* acceptarum patientia facit : regibus certior est ex mansuetudine securitas. »

3. *Injurias suas.* Injurias sibi illatas. — *Eam rem belli caussam fore.* Sperabat scilicet a se prius oppressum iri Adherbalem, quam Romanorum opem implorare posset : ceterum se impunitatem novi quoque sceleris pretio empturum.

4. *Animo jam invaserat.* Nondum armis et castris tenebat Adherbalis regnum, sed animo jam invaserat. Nondum manus, sed animus avidus et rapax fratrem spoliaverat.

5. *Prædas agere.* Hoc proprie de illa præda dicitur, quæ potest *agi* et *incedere*, ut sunt pecora, mancipia, captivi. De reliqua dicunt *ferre;* unde usitata illa, *agere et ferre hostilia* (Græcis ἄγειν καὶ φέρειν). Inf. XLIV: *Pecoris et mancipiorum prædas certantes agere.* Liv. XXIV, 20 : « Caudinus Samnis gravius devastatus;... prædæ pecudum hominumque actæ. »

XXI. Adherbal ubi intellegit, eo processum, uti regnum aut relinquendum esset, aut armis retinendum; necessario[1] copias parat, et Jugurthæ obvius procedit. Interim haud longe a mari, prope Cirtam oppidum, utriusque consedit exercitus: et quia diei extremum erat, prælium non inceptum; ubi plerumque noctis processit, obscuro etiam tum lumine[2], milites Jugurthini, signo dato, castra hostium invadunt; semisomnos partim, alios arma sumentes fugant funduntque[3]. Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit: et ni multitudo togatorum[4] fuisset, quæ Numidas insequentes mœnibus prohibuit, uno die inter duos reges cœptum atque patratum bellum foret. Igitur Jugurtha oppidum circumsedit, vineis[5] turribusque[6] et

Cap. XXI. 1. *Necessario.* Necessitate coactus. Ea vis est hujusce vocis, ut in mentem lectoris revocet, omnia prius passum fuisse Adherbalem, quam arma sumeret, nec nisi necessitati cessisse. Quod non monuissemus, nisi quidam scripsissent posse eam, salva sententia, deleri.

2. *Obscuro etiam tum lumine.* Quum diei adventantis obscurum adhuc lumen esset.

3. *Fugant funduntque.* Utriusque horum verborum, quæ conjuncta sæpissime occurrunt, sedulo annotandus est sensus. *Fugare* est in fugam vertere; hostem cogere ut loco cedat. *Fundere* est ordines disrumpere, et quasi *confusione* quadam exercitum miscere. Fieri potest aliquando, ut *fusus* exercitus non fugiat, *fugatus* non fundatur. Ille ordines redintegrat; hic retro cedit, non turbatis ordinibus. Neutra vox ergo redundat.

4. *Togatorum.* Romanorum sociorumque, ibi mercaturæ faciendæ, aut alia causa, sedem habentium. *Togata* omnino dicebatur romana gens, propter usum togæ, qua vel in aliena terra induebantur. Præterea vox *togatorum* hic indicat eos cives fuisse, non milites, quamvis hostem a mœnibus prohibuerint. Videlicet arma instante periculo ceperant. Vid. infra, XXVI.

5. *Vineis.* Gallice, *mantelets.* Vineæ quasi quædam casulæ erant, ligneæ, mobiles, quibus tecti ad urbis oppugnatæ mœnia possent accedere. Machina, quo facilius moveretur, e lignis levioribus compacta, alta pedibus octo, lata septem, longa sexdecim, tabulatis cratibusque tecta, lateribus adversus tela saxaque vimine contextis extrinsecus, ne immisso cremaretur incendio crudis ac recentibus coriis operiebatur. Quum vero plures factæ fuerant, jungebantur in ordinem, sub quibus subsidentes tuti ad subruendos muros penetrarent. Vid. Veg. IV, 15; Cæsarem B. G. II, 12; nostræ ed. vol. I, p. 80.

6. *Turribusque.* Turres quoque ædificabantur ambulatoriæ, ex tra-

machinis omnium generum expugnare aggreditur; maxume festinans tempus legatorum antecapere, quos, ante prælium factum, Romam ab Adherbale missos audiverat. Sed postquam senatus de bello eorum accepit; tres adolescentes[7] in Africam legantur, qui ambo reges adeant, senatus populique romani verbis nuntient, velle et censere, eos ab armis discedere: de controversiis suis jure potius quam bello disceptare: ita seque illisque dignum fore.

XXII. Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis quod Romæ, dum proficisci parant, de prælio facto et oppugnatione Cirtæ audiebatur: sed is rumor clemens erat[1]. Quorum Jugurtha accepta oratione respondit, sibi neque majus quidquam, neque carius auctoritate senati: ab adolescentia ita enisum, uti ab optumo quoque probaretur: virtute, non malitia[2] P. Scipioni, summo viro, placuisse:

bibus tabulatisque compactæ, in tantam sæpe altitudinem, ut non solum muros, sed turres lapideas superarent. Hæ moles quum, subditis rotis, mœnibus admotæ essent, tum ex inferiori parte aries impingebatur; e media fere altitudine ligneus pons, subito prolatus, turrim muro jungebat; denique ex superioribus tabulatis telorum saxorumque in urbis defensores imber depluebat. Veg. IV, 17. Lips. Poliorc. II, 4.

7. *Tres adolescentes.* Hæc duo verba a sciolo quodam efficta arbitratur Cortius; ideo uncinis includit, non ausus delere. Sed si librarius quidquam de suo addidisset, quidvis aliud potius addidisset, quam *tres adolescentes.* Nostri omnes MSS. hoc habent. Imo hoc scripsisse Sallustium nemini dubium erit, qui legerit infr. XXV, *majores natu, nobiles, amplis honoribus*, altera legatione missos esse. Et quidem legatio ab adolescentibus non ita bene gesta fuerat. — *Ita seque.* Senatu populoque romano. — *Illisque.* Numidis regibus.

Cap. XXII. 1. *Sed is rumor clemens erat.* Alii interpretantur famam infra verum fuisse, et quodammodo ipsa re leniorem; alii, parum firmam constantemque. Quod posterius magis probo. Nam si *rumor* in vulgus *emanans* fluvio comparatur, (et videtur quidem dictus a ῥέω rumor); ut amnis *clemens* est, qui non præceps, ita rumor *clemens* erit, qui non cito impetu omnium aures invadet, neque magnis hominum clamoribus jactabitur, utpote dubius adhuc, necdum prò vero constans.

2. *Non malitia.* Non fraude et astutia. Vide, lector, quam callide animos a præsentium scelerum cogitatione avertat, ea memorando quæ, aliis temporibus, bene et ordine fecit.

ob easdem artes ab Micipsa, non penuria liberorum[3], in regnum adoptatum : ceterum quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum injuriam minus tolerare : Adherbalem dolis vitæ suæ insidiatum; quod ubi comperisset, sceleri obviam isse : populum romanum neque recte, neque pro bono[4] facturum, si ab jure gentium sese prohibuerint : postremo de omnibus rebus legatos Romam brevi missurum. Ita utrique digrediuntur[5]. Adherbalis appellandi copia non fuit.

XXIII. Jugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est, neque, propter loci naturam, Cirtam armis expugnare potest; vallo atque fossa[1] mœnia circumdat, turres exstruit, easque præsidiis firmat : præterea dies, noctes, aut per vim, aut dolis tentare : defensoribus mœnium præmia modo, modo formidinem ostentare; suos hortando ad virtutem erigere : prorsus intentus cuncta parare. Adherbal ubi intellegit, omnes suas fortunas in extremo sitas, hostem infestum, auxilii spem nullam, penuria rerum necessariarum bellum trahi non posse; ex his qui una Cirtam profugerant, duo maxume impigros delegit : eos, multa pollicendo, ac

3. *Non penuria liberorum.* Hoc non refellit quod conjecimus supra, X, n. 2 : Jugurtham a Micipsa, nondum natis liberis, in aulam adscitum. Nam parvus quidem adscitus fuerat, sed tribus tantum ante Micipsæ mortem annis *adoptatus*, ut regno succederet.

4. *Pro bono.* Bene; ut dicitur, *pro vero constat, pro comperto fuit.* Suet. in Tito, VII : « At illi ea fama *pro bono* cessit, conversaque est in maximas laudes. » — *Ab jure gentium.* Nempe ab injuriis vindicandis, quod gentes omnes pro justo habent.

5. *Utrique digrediuntur.* Hinc Romanorum legati, hinc Jugurtha. — *Adherbalis appellandi.* Cum Adherbale colloquendi facultas non fuit.

CAP. XXIII. 1. *Vallo atque fossa.* Quum vi et impetu urbs capi non posset, diuturnaque fiebat obsidio, quam gallice dicimus *blocus;* tum obsidentes *fossa* et *aggere* urbem circumcingebant, ne quis ea egredi aut eam intrare posset, simul ut ipsi se adversus erumpentes tutarentur. Ideo etiam aggerem turribus instruebant, iis quidem, non ut sup. XXI, ambulatoriis, sed immotis et stabilibus. *Vallum*, neutr. genere, intellige *aggerem* ipsum, sive aggestam in *fossæ* margine terram, sudibus et palis (qui et valli dicuntur) munitam. Veg. IV, 28; Lips. Poliorc. II, 2 : Cæsar. B. G. VII, 72; nostræ ed. vol. I, p. 369.

miserando casum suum[2], confirmat, uti per hostium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent.

XXIV. Numidæ paucis diebus jussa efficiunt : literæ Adherbalis in senatu recitatæ, quarum sententia hæc fuit :

« Non mea culpa sæpe ad vos oratum mitto, patres conscripti; sed vis Jugurthæ subigit : quem tanta lubido exstinguendi me invasit, uti neque vos, neque deos immortales[1] in animo habeat; sanguinem meum, quam omnia, malit. Itaque quintum jam mensem, socius et amicus populi romani, armis obsessus teneor : neque mihi Micipsæ patris beneficia, neque vestra decreta auxiliantur : ferro, an fame acrius urgear, incertus sum. Plura de Jugurtha scribere dehortatur fortuna mea : etiam antea expertus sum[2], parum fidei miseris esse : nisi tamen intellego[3], illum supra, quam ego sum, petere; neque simul amicitiam vestram, et regnum meum sperare : utrum gravius existumet[4], nemini occultum est. Nam initio occidit Hiem-

2. *Miserando casum suum.* Ita casum suum memorando, ut miserationem moveret.

Cap. XXIV. 1. *Neque vos, neque deos immortales.* Romanos sibi conciliat eos prope diis æquando. Simul accendit in Jugurtham, qui Romanorum juxta ac deorum voluntatem negligat. — *Socius et amicus populi romani.* Is igitur quem nemo lædere possit, nisi qui vestram simul majestatem contemnere audeat. — *Micipsæ patris beneficia.* Jugurtham ingratum quoque ostendit; quo majorem ei faciat invidiam.

2. *Etiam antea expertus sum.* Scil. quum Romam venit, viceruntque in senatu, *qui vero pretium aut gratiam anteponebant;* ut dictum est supra, XVI. — *Parum fidei miseris esse.* Tum nempe intellexit, fidem non facile miserorum querelis haberi, quoniam in Jugurtham pro sceleribus non animadversum est. Hæc vero, *parum fidei miseris esse*, quamvis aliquid acerbæ recordationis habeant, non duriora tamen exprobrantis verba sunt. Miseram sortem dolet, quæ verbis suis fidem demit. Suam fortunam, non Romanos accusat.

3. *Nisi tamen intellego.* Cum dixerit suam fortunam dehortari ne plura de Jugurtha scribat, unum tamen addit, scil. se intelligere Jugurthæ ambitionem non in invadendo ipsius regno consistere; sed altius ascendere, Romanosque ipsos, qui longe supra Adherbalem positi sunt, petere. Eadem figura, contraria sententia, Liv. VII, 30 : « Usque ad nos contemptus Samnitium pervenit, supra non ascendit. »

4. *Utrum gravius existumet.* Rupertus et ceteri, *gravius existimare*

psalem fratrem meum : dein patrio regno me expulit. Quæ sane fuerint nostræ injuriæ, nihil ad vos[5]. Verum nunc vestrum regnum armis tenet : me, quem imperatorem Numidis posuistis, clausum obsidet : legatorum verba quanti fecerit, pericula mea declarant. Quid reliquum, nisi vis vestra, quo moveri possit? Nam ego quidem vellem[6], et hæc, quæ scribo, et illa quæ antea in senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eo natus sum, ut Jugurthæ scelerum ostentui essem[7]; non jam mortem, neque ærumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis deprecor[8]. Regno Numidiæ, quod vestrum est, uti

accipiunt pro *majoris facere*, ita ut vox *gravius* in bonam partem sumatur : quod fieri non posse multis contendit Cortius, *graviusque* interpretatur, *acerbius*, *intolerabilius*, hoc modo : « Utrum (amicitiam vestram, an regnum meum) NON SPERARE ipsi intolerabilius sit, omnes sciunt. » Et sic quidem optime sensus constat; sed paulo durior ellipsis, NON SPERARE. Ego sic intelligendum puto : non sperat ille se et vestram amicitiam et meum regnum simul habere posse. Sed utramque rem quasi trutina ponderavit; graviusque ei visum est regnum meum. Ideo hoc eligit. Sic *gravius* proprio maxime sensu accipietur.

5. *Quæ sane fuerint nostræ injuriæ, nihil ad vos.* Obvius maxime sensus : « Fateor nihil ad vos pertinere, quas ille mihi fecerit injurias. » Si vero sic distinguas : *Quæ sane fuerint nostræ injuriæ : nihil ad vos.* Hic erit sensus : « Quæ injuriæ (scilicet fratrem occidisse, me regno expulisse) nostræ, id est, mei unius propriæ fuerint : illæ nihil ad vos pertineant; hoc sane concedo. Verum nunc armis tenet Jugurtha regnum quod *vestrum* est, quoniam illud ego a vobis accepi. » Et huic quidem sententiæ Cortius suffragatur; qui quum alia, tum hoc affert similis concessionis exemplum, infra, XXXI : « Sed sane fuerit regni paratio plebi sua restituere. »

6. *Nam ego quidem vellem.* Hic est sententiarum ordo : « Nihil, nisi vis vestra, Jugurtham movere potest. Nam verum nimis est, quod nunc scribo et antea questus sum in senatu, me omni præsidio destitutum. Quod utinam verum non esset! Non tantis ego miseriis premerer. » Hoc vero dicit ut suis querelis fidem faciat, et ante occupet quæ in contrarium dici poterunt. Similem fere confirmandi formulam usurpavit supr. XIV, n. 19 : « Quod utinam illum eadem hæc simulantem videam! »

7. *Ut Jugurthæ scelerum ostentui essem.* Ut ostenderetur in me quid sceleris patrare posset Jugurtha.

8. *Non jam mortem.... deprecor. Deprecari* proprie est precari ut ali-

lubet, consulite : me ex manibus impiis eripite, per majestatem imperii, per amicitiæ fidem, si ulla apud vos memoria avi mei Masinissæ. »

XXV. His literis recitatis, fuere, qui exercitum in Africam mittendum censerent, et quamprimum Adherbali subveniundum : de Jugurtha interim uti consuleretur, quoniam non paruisset legatis. Sed ab iisdem regis fautoribus summa ope enisum, ne decretum fieret. Ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam majores natu, nobiles, amplis honoribus : in quis M. Scaurus, de quo supra memoravimus, consularis, et tum in senatu princeps. Hi, quod in invidia res erat[1], simul et ab Numidis obsecrati, triduo navim ascendere : dein brevi Uticam appulsi literas ad Jugurtham mittunt, quam ocissume ad provinciam accedat; seque ad eum ab senatu missos. Ille ubi accepit, homines claros, quorum auctoritatem Romæ pollere audiverat, contra inceptum suum venisse[2]; primo commotus, metu atque lubidine divorsus agitabatur. Timebat iram senati, ni paruisset legatis : porro animus cupidine cæcus ad inceptum scelus rapiebat. Vicit tamen in avido ingenio pravum consilium. Igitur, exercitu circumdato[3], summa vi Cirtam irrumpere

quid a se depellatur; aliquid precibus amovere. Non, inquit, mortem deprecor, si mori me necesse est : precor tantummodo, ne a crudelissimo carnifice excruciatus moriar. Non recuso arumnas, si regno et patria in æternum orbatus sum. Miser sim, at saltem inimici imperium fastusque superbos non perferam.

Cap. XXV. 1. *In invidia res erat.* Res gravem invidiam indignationemque movebat, tum propter crudelitatem Jugurthæ, tum quod legatis ille non paruisset.

2. *Contra inceptum suum venisse. Venisse* ut ipsum ab incepto suo prohiberent. — *Divorsus agitabatur.* In diversam agebatur. Hinc metus, illinc libido eum in contrariam partem trahebant. — *Porro.* Ex altera parte. Eodem sensu, Catil. XLVI : « Lætabatur..... civitatem periculis ereptam esse; *porro* autem anxius erat, etc. » — *Vicit tamen.* Novum Jugurthinæ indolis exemplum, præsenti libidini indulgentis, quidquid in posterum immineret.

3. *Exercitu circumdato.* Utrumque

nititur; maxume sperans, diducta manu hostium[4], aut vi aut dolis sese casum victoriæ inventurum. Quod ubi secus procedit, neque, quod intenderat, efficere potest uti, prius quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur; ne amplius morando Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac tametsi senati verbis minæ graves nuntiabantur, quod oppugnatione non desisteret; multa tamen oratione consumta, legati frustra discessere.

XXVI. Ea postquam Cirtæ audita sunt; Italici[1], quorum virtute mœnia defensabantur, confisi, deditione facta, propter magnitudinem populi romani[2] inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque et oppidum Jugurthæ tradat, tantum ab eo vitam paciscatur: de ceteris senatui curæ fore. At ille tametsi omnia potiora fide Jugurthæ rebatur; tamen quia penes eosdem, si advorsaretur, cogendi potestas erat, ita uti censuerant Italici, deditionem facit. Jugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: dein omnes puberes Numidas et negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius[3], interfecit.

latine dicitur, *exercitu circumdare mœnia* (vid. sup. XXIII), et *circumdare mœnibus exercitum*; quemadmodum Virgilius, Æn. II, 792:

Ter conatus ibi collo *dare* brachia *circum*.

Idem, XII, 88:

Circumdat loricam humeris.

4. *Diducta manu hostium*. Divisis hostium copiis, ut ab omni murorum parte resisterent. — *Casum victoriæ*. Opportunam victoriæ referendæ occasionem. Sic infr. LVI: « Fortunam præclari facinoris casum dare. »

Cap. XXVI. 1. *Italici*. Iidem sunt quos supra, XXI, vocavit *togatos*, infra, *negotiatores*. Differentia quidem erat inter cives romanos, Latinos et Italicos. Sed hic generatim designari videntur, quicumque ex Italia oriundi Cirtam incolebant. — *Defensabantur*. Videlicet non ii soli, sed ii potissimum mœnia *defendebant*; idque, suo more, verbo frequentandi Sallustius indicavit.

2. *Propter magnitudinem populi romani*. Arbitrabantur nihil contra ipsos Jugurtham ausurum, quia Romani aut Italici erant. Sed jam ostenderat Jugurtha se majestatem nominis romani parvi ducere.

3. *Uti quisque armatis obvius*. Prout quisque, aut Numida, aut Italicus, etiam inermis, in armatos Jugurthæ milites incidebat. Haverc. prorsus diverso sensu: *Uti quisque*

XXVII. Quod postquam Romæ cognitum, et res in senatu agitari cœpta; iidem illi ministri regis [1], interpellando, ac sæpe gratia, interdum jurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. Ac ni C. Memmius [2], tribunus plebis designatus, vir acer et infestus potentiæ nobilitatis, populum romanum edocuisset, id agi, uti per paucos factiosos Jugurthæ scelus condonaretur, profecto omnis invidia, prolatandis consultationibus, dilapsa erat: tanta vis gratiæ atque pecuniæ regis. Sed ubi senatus, delicti conscientia, populum timet; lege Sempronia [3] provinciæ futuris consulibus, Numidia atque Italia, decretæ: consules declarantur P. Scipio Nasica [4], L. Bestia Calpurnius [5];

armatus obvius fuerat. Et ita quidem inter lineas nostrorum codd. antiquissimus habet, unde in posteriorum textum irrepsit. Sed in eodem, manu prima: *uti quisque armatis obvius fuerat*. Hoc jure prætulimus; nisi quod cum Cortio et Bipontino delevimus *fuerat*.

Cap. XXVII. 1. *Iidem illi ministri regis*. Iidem illi, qui jam antea Jugurthæ favere et quasi famulari consueverant. Hos infami vocabulo notat. Cives, imo senatores romanos, se *ministros*, i. e. famulos servosque barbari regis fecisse! — *Interpellando*. *Interpellare* est intervenire, et interponere se, ne quid per populum aut senatum agatur. — *Sæpe gratia, interdum jurgiis*. Sæpe eam, qua pollebant, gratiam interponendo; interdum etiam jurgia movendo, tempus trahebant. Ea mora fiebat, ut injuria minus atrox videretur, quia minus recens. Ira enim tempore remittitur; et, ut ait Cleon apud Thucydidem, III, 38: ὁ παθὼν τῷ δράσαντι ἀμβλυτέρᾳ τῇ ὀργῇ ἐπιξέρχεται.

2. *C. Memmius*. Is postea cum Glaucia petens consulatum, a Saturnino tribuno plebis, in ipsis comitiis, interfectus est, A. U. C. 654, C. Mario sextum consule; Epit. Liv. LXIX. Cicero in Bruto, XXXVI de hoc meminit: « Tum etiam C. et L. Memmii fuerunt, oratores mediocres, accusatores acres atque acerbi. »

3. *Lege Sempronia*. Quam tulerat C. Sempronius Gracchus, ut quotannis, ante comitia consularia, senatus provincias decerneret, in quibus futuri consules imperium haberent. Decretas a senatu provincias inter se sortiebantur consules, ut dictum est Catil. XXVI. Vid. etiam Cic. pro Domo sua, IX, et de provinciis consularibus II.

4. *P. Scipio Nasica*. Pronepos ejus qui vir optimus a senatu judicatus est; filius autem ejus, qui privatus Tib. Gracchum interemit. Hic Scipio cum L. Bestia consul fuit anno U. C. 643, et in consulatu mortuus est. Vid. Cic. in Brut. XXXIV.

5. *L. Bestia Calpurnius*. Calpur-

Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit: deinde exercitus, qui in Africam portaretur, scribitur: stipendium, alia, quæ bello usui forent, decernuntur.

XXVIII. At Jugurtha, contra spem nuntio accepto, quippe cui Romæ omnia venum ire[1] in animo hæserat; filium et cum eo duo familiares ad senatum legatos mittit: hisque, ut illis, quos Hiempsale interfecto miserat, præcipit, omnes mortales pecunia aggrediantur. Qui postquam Romam adventabant, senatus a Bestia consultus, placeretne legatos Jugurthæ recipi mœnibus; iique decrevere, nisi regnum, ipsumque deditum venissent, uti in diebus proxumis decem Italia decederent. Consul Numidis ex senati decreto nuntiari jubet: ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius, parato exercitu, legat sibi[3] homines nobiles, factiosos, quorum auctoritate quæ deliquisset, munita fore sperabat: in quis fuit Scaurus cujus de natura et habitu[4] supra memoravimus. Nam in consule nostro multæ bonæque artes animi et corporis erant; quas omnes avaritia præpediebat: patiens laborum, acri ingenio, satis providens, belli haud ignarus, firmissi-

nia domus auctorem generis sui ferebat Calpum, tertium regis Numæ filium (Plut. in Numa). Luc. Calpurnius Piso Bestia, de quo hic mentio est, pro nobilitate contra Gracchorum factionem steterat, ob id senatui carus. Post consulatum, lege Mamilia (infr. XL), ob acceptam a Jugurtha pecuniam accusatus et damnatus est, (Cic. in Brut. XXXIV). Notat *De Brosses* ejus nepotem fuisse Bestiam, qui cum Catilina conjuravit.

Cap. XXVIII. 1. *Venum ire.* Venalia esse. Hic tantum notabimus, *venum* non *supinum* esse ab aliquo verbo, sed accusativum nominis, cujus dativus quoque usurpatur, *venui.* Venum ire igitur, est *ire ad venum;* venumdare, *dare ad venum.* Inde per syncopen, *ven-eo, ven-ire; ven-do, ven-dere.* — *In animo hæserat.* Illud auditum apud Numantiam, et jam semel usu compertum, non animo exciderat. Hinc intelligere est, cur tam audax in sceleribus, et tam parum vindictæ metuens fuerit.

3. *Legat sibi.* Legatos sibi assumit.

4. *De natura et habitu.* *Natura* ingenitas, *habitus* comparatas et usu acquisitas dotes significat. Natura intelligitur, quomodo quis *natus* sit; habitus, quomodo se vita et moribus *habeat.* Vide Cicoronem de Invent. I, ubi hæc *habitus* notio confirmatur.

mus contra pericula et insidias. Sed legiones per Italiam Rhegium, atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectæ. Igitur Calpurnius initio, paratis commeatibus, acriter Numidiam ingressus est; multos mortales, et urbes aliquot pugnando capit.

XXIX. Sed ubi Jugurtha per legatos pecunia tentare, bellique, quod administrabat, asperitatem ostendere cœpit; animus, æger avaritia, facile conversus est. Ceterum socius et administer omnium consiliorum adsumitur Scaurus[1]. Qui tametsi a principio, plerisque ex factione ejus corruptis, acerrume regem impugnaverat; tamen magnitudine pecuniæ a bono honestoque in pravum abstractus est. Sed Jugurtha primum tantummodo belli moram redimebat; existumans sese aliquid interim Romæ pretio aut gratia effecturum. Postea vero quam participem negotii Scaurum acceperat; in maxumam spem adductus recuperandæ pacis, statuit cum eis de omnibus pactionibus præsens agere. Ceterum interea, fidei caussa, mittitur a consule Sextius quæstor in oppidum Jugurthæ Vaccam[2]: cujus rei species erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat[3], quoniam deditionis mora induciæ agitabantur. Igitur rex, uti constituerat, in castra venit, ac pauca, præsenti consilio[4], loquutus de invidia

Cap. XXIX. 1. *Scaurus*. Vide quid supra, XV, de Scauro dictum fuerit. In hoc Jugurtham *ipsos romani imperii mores* expugnasse dicit Flor. III, 1.

2. *Oppidum... Vaccam*. Sic vulg. et nostri eodd. Cortius ex aliis rescripsit *Vagam*. In his punicis nominibus, nihil certi affirmari potest: quippe quorum elementa plerumque nullis latinis litteris satis commode repræsentari possint. Magis usitatum scripsimus. V. indicem.

3. *Palam... imperaverat*. Scil. ne qua suspicio apud milites oriretur, frumentum *palam*, pretium pacis, imperaverat consul; alia vero omnia *clam* moliebatur. — *Induciæ agitabantur*. Dum deditio fieret, induciæ erant; ut mox, *pax agitabatur*, i. e. *pax erat*. Dicitur enim *agere otium*, *pacem*, pro *esse in otio*, *in pace*. Sallustianum autem, *agitare*, pro *agere*.

5. *Præsenti consilio*. Præsentibus iis quos Bestia, de more, in consilium vocaverat. Nonnulli scribunt *concilio*: male. In quo potissimum

facti sui[5], atque in deditionem uti acciperetur; reliqua cum Bestia et Scauro secreta transigit, dein postero die, quasi per saturam[6] exquisitis sententiis, in deditionem accipitur. Sed, uti pro consilio imperatum erat, elephanti triginta, pecus atque equi multi, cum parvo argenti pondere quæstori traduntur. Calpurnius Romam ad magistratus rogandos[7] proficiscitur: in Numidia et exercitu nostro pax agitabatur.

differant *consilium* et *concilium*, paucis notabimus. Utroque cœtus hominum declaratur: *consilio*, homines ad *consulendum* seu deliberandum vocati; *concilio*, homines, vel ad deliberandum, vel alia qualibet causa in unum coacti. Senatus dicitur *consilium publicum*, quatenus reipublicæ consulit; *patrum sanctum concilium* (Hor. Carm. IV, 5), quatenus patrum conventus est. Nunquam dici potest, *prætor de concilii sententia pronunciat*, sed *de sententia consilii*, i. e. judicum, qui prætori consultores assident. Verum de iisdem recte dicetur, *prætor concilium* (id est cœtum), vel *consilium* (i. e. consultores) *dimittit*. Consilium deducitur a *consulendo;* concilium, a *concalando*, i. e. *convocando*. Hinc patet nunquam *concilium*, semper *consilium* dici, quum de sententia aliqua aut proposito agitur. Ex *consilio*, consiliari, CONSEILLER. Ex *concilio*, conciliare, RÉUNIR, CONCILIER.

5. *De invidia facti sui*. Tentat verbis amoliri invidiam, quam Adherbalis et aliorum cædes ei conflaverat.

6. *Quasi per saturam*. Satura, ab adjectivo *satur*, erat, teste Diomede III, lanx omnigenarum frugum primitiis referta, quæ Cereri et Bacho offerebatur. Hinc usurpari cœpit pro cibi genere ex variis rebus condito, (vid. Fest. in hac voce); deinde pro carmine variis metrorum generibus composito, qualia scripserunt Pacuvius, Ennius, et Varro, qui etiam prosam miscuit carmini: (et hæ quidem initio fuerunt *satiræ*, quas postea Lucilius et Horatius unis hexametris scripserunt). Festus denique, sine scriptorum auctoritate, aliquam *legem saturam* fuisse credidit, *ex multis aliis legibus confertam*. Certe vox *satura* substantive ponitur; et dictio, *per saturam*, in proverbium abiit, quo aliquid permixtum et ex variis rebus confusum indicaretur. In supra dicto Festi loco, *imperium quod plebes per saturam dederat*, est imperium rogatione alias quoque res complectente concessum. Justinianus, in præfatione prima digestorum, opus dicit *sparsim et quasi per saturam collectum, utile cum inutilibus mixtim*. Quapropter, quæ hic dicuntur *quasi per saturam exquisitæ sententiæ*, eas nullo ordine, et de conditionibus congestim propositis, collectas interpretari possumus.

7. *Ad magistratus rogandos*. Ad comitia eligendis magistratibus habenda. Nam, ut supra vidimus, ejus collega Scipio mortuus erat.

XXX. Postquam res in Africa gestas, quoque modo actæ forent, fama divolgavit; Romæ per omnes locos et conventus[1] de facto consulis agitari. Apud plebem gravis invidia: patres solliciti erant; probarentne tantum flagitium, an decretum consulis subverterent, parum constabat: ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor et socius Bestiæ ferebatur, a vero bonoque impediebat. At C. Memmius, cujus de libertate ingenii et odio potentiæ nobilitatis supra diximus, inter dubitationem et moras senati, concionibus populum ad vindicandum hortari: monere, ne rempublicam, ne libertatem suam desererent: multa superba, crudelia facinora nobilitatis ostendere: prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Memmii facundia clara pollensque fuit; decere existumavi unam ex tam multis orationem perscribere[2], ac potissumum, quæ in concione post reditum Bestiæ hujuscemodi verbis disseruit.

XXXI. « Multa me dehortantur a vobis[1], Quirites, ni studium reipublicæ omnia superet: opes factionis, vestra patientia, jus nullum; ac maxume, quod innocentiæ plus periculi, quam honoris est. Nam illa quidem piget

Atqui non haberi poterant ab uno prætorum comitia consularia; quia, teste Gellio, XIII, 15, *a minore imperio majus rogari non potest.*

Cap. XXX. 1. *Per omnes... conventus. Conventus* proprie dicitur, ubicumque conveniunt homines seu privatim, seu publice.

2. *Perscribere.* In historiam hanc referre; quemadmodum aliquid *in tabulas perscribi* seu *referri* dicitur. Ne quis tamen inde colligat hanc esse, ad verbum, orationem Memmii. Quod si esset, forsan dixisset *exscribere*, non *perscribere; his verbis*, non *hujuscemodi verbis.* Præterea Sallustianum omnino dicendi genus, et usurpatæ jam ab Sallustio dictiones et sententiæ hic agnoscuntur, quales sunt: *Obviam ire; Pars.. alii; Inulti perierint; Præcipites eant; Honesta atque inhonesta omnia quæstui sunt; Quos omnes eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coegit; Ne ignoscendo malis, bonos omnes perditum eatis;* et alia multa.

Cap. XXXI. 1. *Multa me dehortantur a vobis.* Multa me deterrent, ne apud vos verba faciam, scilicet *opes factionis* (nempe nobilium); *patientia* qua omnes injurias perfertis, juris omnis subversio, etc.

dicere, his annis quindecim[2] quam ludibrio fueritis superbiæ paucorum; quam fœde, quamque inulti perierint vestri defensores; ut vobis animus ab ignavia atque secordia corruptus[3] sit: qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis[4], exsurgitis, atque etiam nunc timetis, quibus decet terrori esse. Sed quamquam hæc talia sunt; tamen obviam ire factionis potentiæ animus subigit. Certe ego libertatem, quæ mihi a parente tradita est, experiar[5]: verum id frustra, an ob rem faciam, in vestra manu situm, Quirites. Neque ego hortor[6], quod sæpe majores vestri fecere, uti contra injurias armati eatis. Nihil vi, nihil secessione opus: necesse est, suomet ipsi more præcipites eant. Occiso Tiberio Graccho[7], quem regnum parare aiebant, in ple-

2. *His annis quindecim.* Anni erant a cæde Tiberii Gracchi XXII, a cæde Caii, X; medium tempus notat, ne in subtiliori annorum computatione hærere videatur. Ceterum variant codices. Cortius, qui scribit XV, mallet tamen XX.

3. *Animus ab ignavia... corruptus.* Possit abesse præpositio *ab*. Sed et alibi similia occurrunt: Lucret. III, vers. 831:

Quod letalibus *ab* rebus munita tenetur.

Hor. Sat. I, 4, vers. 26.

Aut *ab* avaritia aut misera ambitione laborat.

4. *Obnoxiis inimicis.* Quum inimici vestri jus in se vobis ipsi fecerint, suaque obnoxia capita pro rebus in Africa gestis debeant. Præcipuæ enim notiones, quæ dictioni *obnoxium esse* adhærent, hæ sunt gallico sermone: *être dépendant; donner prise sur soi; être responsable.* — *Timetis.* Scilicet nobiles. Eodem sensu, in Catilina, XX: « His obnoxii, quibus, si respublica valeret, formidini essemus. »

5. *Certe... experiar.* Id est, si frangere potentiam factionis non possum, at saltem experiar libertatem meam. Illam ego libertatem a parente meo accepi; illa mea hereditas est, meum bonum: illa utar, quantum in me erit. — *Ob rem.* Cum utilitate; non frustra. Eodem sensu, Ter. Phorm. III, 2, 40: « Non pudet vanitatis? minime, dum *ob rem.* »

6. *Neque ego hortor.* Postquam dixit penes populum esse, ut libertatis defensionem ipse non frustra susceperit, eos hortatur a facilitate rei. Non armis opus erit. Nihil turbarum orietur in republica. Illi suismet sceleribus pessumdati corruent. Hoc eveniet fato non evitabili; hoc *necesse* est. Sed quomodo sua illis scelera perniciem afferent? Id dicet infra: si quæstionibus et indicio ipsius Jugurthæ in eos animadvertatur. Sed ante, scelera ista enumerat, quo majorem in eos plebis invidiam concitet.

7. *Occiso Tib. Graccho.* A factione nobilium, duce Scipione Nasica Serapione, Nasicæ *optimi viri*

bem romanam quæstiones habitæ sunt. Post C. Gracchi et M. Fulvii cædem[8], item multi vestri ordinis in carcere necati sunt : utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit. Sed sane fuerit regni paratio[9], plebi sua restituere : quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur[10],

nepote, anno U. C. 621; quod, inquit Vell. II, 3, initium in urbe Roma civilis sanguinis gladiorumque impunitatis fuit. — *Quæstiones habitæ sunt.* Velleius, II, 7, docet Rutilium Popiliumque consules (A. U. 622) asperrime in Tib. Gracchi amicos sæviisse. *Quæstiones* intellige *judicia.* Quidam addunt *graves*, quod nostrorum codd. antiquissimus non habet.

8. *Post C. Gracchi et M. Fulvii cædem.* Vide sup. XVI, n. 1; Plut. in Gracch., et præsertim Appian. Bel. Civ. I, 3, qui docet Caii et Fulvii amicos in carcerem conjectos, et ibi strangulatos esse, jussu Opimii consulis.

9. *Sed sane fuerit regni paratio.* Concessio ironica et invidiosa in nobiles. Sed concedo Gracchos regnum affectavisse, quia sua plebi restituebant. Volo jure factum videri, quidquid factio nobilium fecerit; quoniam si eorum injurias ulcisci velletis, rursus sanguis nocentium quidem, sed tamen civium effunderetur. Sed alia facinora fuere, quæ omni excusatione carent, quoniam ea æquo animo toleravistis. Indignabamini quidem, sed *taciti indignabamini* ærarium expilari, etc. Illis tamen hæc impune fecisse parum fuit, ni leges quoque, majestatem vestram, divina et humana omnia Jugurthæ, hosti vestro, traderent. — *Regni paratio.* Paulo ante dixit, *regnum parare aiebant.* Proprie igitur et aptissime hic : sed sane fuerit regni *paratio.*

10. *Ulcisci nequitur. Nequitum* et *nequitur* pro *non posse* dicebant.... Plautus in Saturione : « Retrahi *nequitur*, quoquo progressa est semel. » Hæc et alia Festus. Adde Lucretium, lib. I, vers. 1045 :

Dum veniant alia, et suppleri summa *queatur.*

Nil ergo dubium est, quin idem valere possit *nequitur* ac *nequit.* An vero passive sumitur *ulcisci?* Affirmat quidem Cortius; sed nullum aliud profert exemplum. Nec hujus verbi meminit A. Popma, de Usu antiquæ locutionis, XI, ubi multa notat passive accepta, quæ vulgo sumuntur active. Imprudens, credo, omiserit. Ceterum non ego ex hoc exemplo affirmare ausim, verbum illud passivam quoque vim habere. Neque passivum (cum Popma) dixerim *loqui* in hoc Cœlii ad Ciceronem : « De damnatione frequenter *loqui est cœptum.* » Vis passiva hisce formis, *nequitur* et *cœptum est* adhæret; nec eam infinitivis quoque *ulcisci* et *loqui* adhærere necesse est. Ne quem moveat, quod in hoc Plauti, *retrahi nequitur*, me judice, *bis passiva* forma est. Sit sane, quoniam per usum licuit; sed non ideo minus suffecerit semel fuisse in *ulcisci nequitur, loqui cœptum est.* Quid? si aliqua lingua esset, ubi nullus adeo infinitivus passivi formam ha-

jure factum sit. Superioribus annis taciti indignabamini, ærarium expilari; reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere; penes eosdem et summam gloriam, et maxumas divitias esse: tamen hæc talia facinora impune suscepisse parum habuere. Itaque postremo leges, majestas vestra, divina et humana omnia hostibus tradita sunt. Neque eos, qui fecere, pudet aut pœnitet: sed incedunt per ora vestra magnifici[11], sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes; perinde quasi ea honori, non prædæ habeant. Servi ære parati[12] imperia injusta dominorum non perferunt: vos, Quirites, imperio nati, æquo animo servitutem toleratis. At qui sunt hi[13], qui rempublicam occupavere? Homines sceleratissumi, cruentis ma-

beret. At est; et antiquissima illa quidem, et ex qua in aboriginum Italorum sermonem non pauca defluxerint, *Sanskrita* lingua. In ea si vis dicere, *non potest vinci*, necesse est dicas, *na sakiate djetum*, id est, *nequitur vincere*. Quidni eadem ratio fuerit dictionum, *nequitur ulcisci*, et *loqui cœptum est?* Nam humanum ingenium eodem, iisdem causis, vel inscium ducitur.

11. *Incedunt per ora vestra magnifici*. Quam graviter et invidiose nobilium superbiam notet his verbis, intelliget quicumque meminerit, Virgilium non melius majestatem Junonis carmine assequi potuisse, quam si eam hæc dicentem induceret:

Ast ego, quæ divum *incedo* regina, etc.

Adde, *per ora vestra;* quasi præsentibus civibus contumeliam facere velint. Adde, *ostentantes;* quasi hæc omnia prædam suam fecisse non satis fuerit, nisi male partis honoribus coram populo glorientur.

12. *Servi ære parati*. Hæc comparatio, qua pudorem eorum stimulat, e Catone desumpta videtur, quem citat Gell. x, 3: « Servi injurias nimis ægre ferunt; quid illos bono genere gnatos, magna virtute præditos, opinamini animi habuisse, atque habituros, dum vivent? » — *Imperio nati*. Nati ad imperandum. Ne quem hic offendat tertius casus. Tac. Agric. 31: *Nata servitutem mancipia*. Et ceteri passim.

13. *At qui sunt hi*. Ostendit quam turpe sit istiusmodi hominibus parere. Simul vehementius accendit indignationem. — *Pro munimento habent*. Scil. iis ipsis sceleribus adversus iram vestram muniti sunt, quibus eam meruere. Ipsa peccandi audacia impunitatem redemerunt; et qui propter facinora sua metuere deberent, ipsi propter ignaviam vestram metuuntur. — *Transtulere*. Eamdem dicendi formam vide supra I. — *Eadem cupere, eadem odisse*. Vid. Catil. XX.

nibus, immani avaritia, nocentissumi, iidemque superbissumi; quis fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quæstui sunt. Pars eorum occidisse tribunos plebis, alii quæstiones injustas, plerique cædem in vos fecisse, pro munimento habent. Ita quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est : metum a scelere suo ad ignaviam vestram transtulere : quos omnes eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere in unum coegit : sed hæc inter bonos amicitia, inter malos factio est. Quod si tam libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accensi sunt; profecto neque respublica, sicuti nunc, vastaretur; et beneficia vestra[14] penes optumos, non audacissumos, forent. Majores vestri, parandi juris et majestatis constituendæ gratia, bis, per secessionem[15], armati Aventinum occupavere : vos pro libertate, quam ab illis accepistis, non summa ope nitemini? atque eo vehementius, quod majus dedecus est[16], parta amittere, quam omnino non paravisse. Dicet aliquis : Quid igitur censes? Vindicandum in eos[17], qui hosti prodidere rempublicam : non manu, neque vi, quod magis vos fecisse,

14. *Beneficia vestra.* Consulatus, sacerdotia, præturæ, aliique honores.

15. *Bis per secessionem.* Vid. Catil. XXXIII, et quæ ibi notavimus. Item L. Ampelium XXV, qui quatuor secessiones memorat, et Flor. I, 23 et seqq. qui de tertia leviter a Livio dissentit, quartamque addit : *ut plebeii quoque magistratus* (consules) *crearentur;* quæ seditio potius quam secessio fuisse videtur. Ceterum non constat plebem *bis Aventinum* occupasse (vid. Liv. II, 32); sed Aventinum an Sacrum montem occupaverit, nil ad rem. Satis est oratori in mentem revocasse plebi fortitudinem majorum.

16. *Majus dedecus est.* Sic Thucyd. II, 62 : Αἴσχιον ἔχοντας ἀφαιρεθῆναι, ἢ κτωμένους ἀτυχῆσαι; turpius habentes spoliari, quam quærentes non obtinuisse.

17. *Vindicandum in eos.* Vide quæ supra notavimus n. 7. — *Quod magis vos fecisse.* Hanc sententiam illustrat, quod dicit Cæsar, in Catil. LI : « Magis quid se dignum foret, quam quid in illis jure fieri posset, quærebant. » Nempe maxime digni sunt illi, in quos vi et manu sæviatis. Sed ista in paucos scelestos facere tanto populo indignum est. Legibus et judiciis animadverti oportet, et Jugurtham evocari, ut eos, stipendiarios ministrosque suos, testimonio opprimat.

quam illis accidisse indignum; verum quæstionibus et indicio ipsius Jugurthæ. Qui si deditiitius est[18], profecto jussis vestris obediens erit: sin ea contemnit, scilicet æstumabitis, qualis illa pax, aut deditio sit, ex qua ad Jugurtham scelerum impunitas, ad paucos maxumæ divitiæ, in rempublicam damna, dedecora pervenerint. Nisi forte nondum etiam vos dominationis eorum satietas tenet; et illa, quam hæc tempora, magis placent[19], quum regna, provinciæ, leges, jura[20], judicia, bella, paces, postremo divina et humana omnia penes paucos erant: vos autem, hoc est, populus romanus[21], invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium, satis habebatis animam retinere: nam servitutem quidem quis vestrum recusare audebat? Atque ego[22], tam-

18. *Qui si deditiitius est.* Dilemma: Aut vera, aut falsa deditio est. Si vera, veniet Numida, vobis jubentibus; si falsa, non veniet; sed reos eo ipso arguet, quod non venerit.

19. *Nisi forte..... illa, quam hæc, tempora magis placent.* Illa: tempora Gracchorum necem consequuta, quæ per tyrannidem nobilitatis plebisque servitutem transiere. Hæc: tempus hoc, quo plebs erigit animos, libertatemque usurpare cœpit. Jam enim libera est, quum tribuni sui vocem exaudire possit.

20. *Leges, jura.* Ubi conjuncta sunt hæc duo vocabula, *leges* intellige, quæ ad reipublicæ administrationem pertinent; *jura*, quæ ad privatas civium utilitates, et quidquid juris civilis nomine comprehenditur. — *Bella, paces.* Belli et pacis arbitrium. *Paces*, plurali numero. Varro, apud Nonium: « Animadvertendum primum, quibus de causis et quemadmodum constituerint *paces*; secundum, qua fide et justitia eas coluerint. » Horat. Epist. 1, 3, 7:

Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis et *paces* longum diffundit in ævum?

21. *Vos autem, hoc est, populus romanus.* Plebem alloquitur; sed quo majores illi addat animos, alloquitur tanquam totus *populus* ea sit. Qualis vero populus? Romanus scilicet. Ergo Romani illi, *invicti ab hostibus, imperatores omnium gentium*, ipsi serviunt! Serviunt; imo obnoxiam inimicis animam vix retinent!

22. *Atque ego.* Transitio ad periculum quod imminet, ni scelesti plectantur. — *Nisi misericordia.* Sic fere Cato, in Catil. LII: « Næ ista vobis mansuetudo et misericordia, in miseriam vertet. » — *Quantum importunitatis habent.* Pro importuna ista libidine, qua scelus in omne rapiuntur. — *Parum est impune male fecisse.* Parum contenti male factorum impunitate, nova facient, nisi prohibueritis. — *Et vobis.* Sibi in-

etsi viro flagitiosissumum existumo, impune injuriam accepisse, tamen vos hominibus sceleratissumis ignoscere, quoniam cives sunt, æquo animo paterer; nisi misericordia in perniciem casura esset. Nam et illis, quantum importunitatis habent, parum est impune male fecisse, nisi deinde faciundi licentia eripitur: et vobis æterna sollicitudo remanebit, quum intelligetis, aut serviundum esse, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem aut concordiæ quæ spes est? Dominari illi volunt; vos liberi esse: facere illi injurias; vos prohibere: postremo sociis vestris veluti hostibus, hostibus pro sociis utuntur. Potestne in tam divorsis mentibus pax aut amicitia esse? Quare moneo hortorque, ne tantum scelus impunitum omittatis. Non peculatus ærarii factus est[23], neque per vim sociis ereptæ pecuniæ; quæ quamquam gravia sunt, tamen consuetudine jam pro nihilo habentur. Hosti acerrumo prodita senati auctoritas, proditum imperium vestrum: domi militiæque respublica venalis fuit. Quæ nisi quæsita erunt[24], ni vindicatum in noxios: quid reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? nam impune quælibet facere, id est regem esse. Neque ego, Quirites, hortor[25], ut mali-

vicem respondent, *et illis... et vobis.* — *Quum intelligetis.* Atqui illud intelligetis, quum usu vobis compertum erit, nihil eos de superba et impotenti dominatione remittere. Nunc legibus agere licet; tum vi et manu agendum erit.

23. *Non peculatus ærarii factus est.* Quantum sit Bestiæ et Scauri scelus per comparationem delictorum ostendit, quæ, licet per se gravissima, leviora tamen sunt. Eadem mente dixit Cato, in Catil. LII « Non agitur de vectigalibus, non de sociorum injuriis. » — *Tamen consuetudine jam pro nihilo habentur.* Cato ibidem: « Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, etc. »

24. *Quæ nisi quæsita erunt.* Nisi de iis rebus quæstiones habeantur. — *Obedientes vivamus.* Servi simus; illi reges.

25. *Neque ego, quirites, hortor.* Ita loquitur, ut non vehemens accusator, neque pœnarum avidus esse videatur. Non vos hortor, inquit, ut crudeliter quæstiones exerceatis, malitisque nocentes quam innocentes invenire. Imo ignoscetis libenter, laudabitis etiam, si qui recte, non perperam, fecerint. Sed

tis cives vestros perperam, quam recte fecisse; sed ne, ignoscendo malis, bonos perditum eatis. Ad hoc in republica[26] multo præstat beneficii, quam maleficii immemorem esse: bonus tantummodo segnior fit[27], ubi neglegas; at malus improbior. Ad hoc, si injuriæ non sint[28], haud sæpe auxilii egeas. »

XXXII. Hæc atque alia hujuscemodi sæpe dicundo, Memmius populo persuadet, uti L. Cassius[1], qui tum præ-

cavete ne ignoscendo malis, bonos omnes perditum eatis.

26. *Ad hoc in republica, etc.* Veram esse hanc sententiam, licet paulo duriorem, negari non potest. Sublata enim esset omnis ex civitate securitas, si scelus impunitum omitteretur. Quapropter idem fere dixit, quanquam mollioribus verbis, Cicero, pro Rosc. Am. xx: « Innocens si accusatus sit, absolvi potest; nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. Utilius est autem absolvi innocentem, quam nocentem causam non dicere. » Bene tamen dixit Memmius, *in republica.* Nam quis privatus se maleficiorum potius quam beneficiorum memorem dicere ausit?

27. *Bonus.... segnior fit.* Nec hoc quidem, minus quam illud, verum est. Et jure pronunciat Livius, IV, 2: « Cujus rei præmium sit in civitate, eam maximis semper auctibus crescere; sic pace bonos, sic bello fieri. » Quum igitur, teste Cicerone, Ep. ad Brut. XV, Solon dixerit, *rempublicam duabus rebus contineri, præmio et pœna;* optima respublica erit, in qua nec virtus sine præmio, nec scelus sine pœna, servato tamen utriusque rei modo, relinquetur. Sed hic scelus manifestum erat. Ideo hanc tantum sententiæ partem ostendit tribunus, quæ est severitatis.

28. *Ad hoc, si injuriæ non sint.* Novum argumentum affert, cur beneficii, quam maleficii, immemorem esse civitatem præstet. Si enim plectantur noxii, pauciores injuriæ erunt. Si vero pauciores injuriæ sint, minus sæpe bonorum auxilio ad eas vindicandas populus egebit. Minori igitur reipublicæ detrimento *boni* negliguntur, quam mali non plectuntur. — *Auxilii.* Cave ne cum quibusdam intelligas, *tribunicii.* De bonorum auxilio universe agitur; quo carebit fortasse respublica, sublatis præmiis; non vero indigebit, sublatis injuriis. Parum liberalis certe sententia; sed tribuni proposito conveniens, cujus tota oratio in probanda puniendi necessitate versatur.

Cap. XXXII. 1. *L. Cassius.* Is qui a Tigurinis Helvetiis, non multo post, occisus est; (Liv. Epit. LXV.) De hoc Cicero meminit in Bruto, XXV; dicitque, pro Rosc. Am. XXX: « L. Cassius ille, quem populus romanus verissimum et sapientissimum judicem putabat, identidem in causis quærere solebat, *cui bono fuisset.* Et Val. Max.

tor erat, ad Jugurtham mitteretur, eumque interposita fide publica, Romam duceret; quo facilius indicio regis, Scauri et reliquorum, quos pecuniæ captæ arcessebant[2], delicta patefierent. Dum hæc Romæ geruntur, qui in Numidia relicti a Bestia exercitui præerant, sequuti morem imperatoris, plurima et flagitiosissuma facinora fecere. Fuere, qui auro corrupti elephantos Jugurthæ traderent: alii perfugas vendere, et pars ex pacatis[3] prædas agebant: tanta vis avaritiæ in animos eorum, veluti tabes, invaserat. At Cassius, perlata rogatione[4] a C. Memmio, ac perculsa omni nobilitate, ad Jugurtham proficiscitur; eique timido et ex conscientia diffidenti rebus suis persuadet, quoniam se populo romano dedidisset, ne vim, quam misericordiam experiri mallet: privatim præterea fidem suam interponit, quam ille non minoris quam publicam ducebat: talis ea tempestate fama de Cassio erat.

XXXIII. Igitur Jugurtha, contra decus regium, cultu quam maxume miserabili[1], cum Cassio Romam venit. Ac tametsi in ipso magna vis animi erat; confirmatus ab omnibus[2], quorum potentia aut scelere cuncta gesserat,

III, 7: « Ejus tribunal, propter nimiam severitatem, scopulus reorum dicebatur. » Nunc patet cur ille potissimum in Numidiam missus fuerit.

2. *Quos pecuniæ captæ arcessebant.* Quos propter crimen acceptæ a Jugurtha pecuniæ in jus vocabant.

3. *Ex pacatis.* Sc. regionibus, quæ *hostilibus* opponuntur. — *Vendere... agebant.* Similem *modorum* diversitatem vide, in Catil. XXI, *increpat... laudare, admonebat.*

4. *Perlata rogatione.* Accepta a populo lege, quam tulerat Memmius. Legis enim *rogatio* dicitur, quia *rogabatur*, seu interrogabatur populus, velletne ac juberet, quod propositum erat. *Perferre* autem est, usque ad constitutum finem ferre. De *lege* ac *rogatione*, vide Gellium, X, 20.

Cap. XXXIII. 1. *Cultu quam maxume miserabili.* Qualis solet esse reorum, aut deprecantium, quando misericordiam movere volunt: veste squalida, barba capilloque promissis. En ille qui duos fratres occidit, regnum per scelus occupavit, romanam potentiam, futuri securus, contumaciter elusit!

2 *Confirmatus ab omnibus.* Hic incipit, quidquid in contrarium disputet Cortius, secunda pars periodi, hæcque verba præcedentibus opponuntur. Nempe jam per se ipsum Jugurtha magnam vim ani-

C. Bæbium tribunum plebis magna mercede parat, cujus impudentia contra jus et injurias[3] omnes munitus foret. At C. Memmius, advocata concione, quamquam regi infesta plebes erat, et pars in vincula duci jubebat, pars, ni socios sceleris aperiret, more majorum, de hoste supplicium sumi; dignitati, quam iræ, magis consulens, sedare motus, et animos mollire; postremo confirmare, fidem publicam per sese inviolatam fore[4]. Post, ubi silentium cœpit, producto Jugurtha[5], verba facit: Romæ Numidiæque facinora ejus[6] memorat; scelera in patrem fratresque ostendit; quibus juvantibus quibusque ministris egerit, quamquam intelligat populus romanus, tamen velle manifesta magis ex illo habere; si vera aperiret, in fide et clementia populi romani magnam spem illi sitam: sin reticeat, non sociis saluti fore, sed se suasque spes corrupturum.

XXXIV. Dein, ubi Memmius dicundi finem fecit, et Jugurtha respondere jussus est, C. Bæbius tribunus ple-

mi habebat; sed insuper confirmatus ab omnibus suorum scelerum ministris (qui docent illum, unius tribuni intercessione, omnibus quæstionibus obviam iri posse), Bæbii præsidium magno pretio comparat.

3. *Contra jus et injurias.* Non minus contra jus quam contra *injurias.* Et jus quidem, id est, judicia debitasque suis meritis vices, multo magis quam injurias timebat.

4. *Fidem publicam per sese inviolatam fore.* Se (Memmium) daturum operam, ut, quantum in se erit, inviolata maneat publica fides, quam Cassius Jugurthæ dederat.

5. *Producto Jugurtha.* Poterant enim tribuni, quem vellent, in concionem producere, ubi coram populo interrogatus responderet.

6. *Romæ Numidiæque facinora ejus.* Monet Kunhardt omnem provinciam, h. l. eodem casu, quo urbium nomina, contra vulgares regulas, significatam esse; et Cortius, *Numidiæ* dici pro *in Numidia.* Exempla profert quum alia, tum hæc: Auct. Bell. Gall. VIII, 1, Ed. nostr. vol. 1, p. 407: « Cæsaris nostri commentarios rerum gestarum *Galliæ*, et cet. » Flor. 1, 18: « *Lucaniæ* suprema pugna sub Arusinis, quos vocant, campis. » Claud. Laus Seren. 26: « *Terræ pelagique* labores (sc. ab Ulysse tolerati). » Sed quis non videt, nisi qui grammaticam refingere velit, vocabula *Romæ Numidiæque*, et *Galliæ*, et *Lucaniæ*, et *terræ pelagique*, in genitivo esse, non quia nomina locorum sunt, sed quia pendent e vocibus, *facinora; rerum gestarum; suprema pugna; labores?*

bis, quem pecunia corruptum supra diximus, regem tacere jubet. Ac tametsi multitudo, quæ in concione aderat, vehementer accensa, terrebat eum[1] clamore, voltu, sæpe impetu atque aliis omnibus, quæ ira fieri amat[2]; vicit tamen impudentia. Ita populus ludibrio habitus ex concione discessit; Jugurthæ Bestiæque et ceteris, quos illa quæstio exagitabat, animi augescunt.

XXXV. Erat ea tempestate Romæ Numida quidam, nomine Massiva[1], Gulussæ filius, Masinissæ nepos; qui, quia in dissensione regum, Jugurthæ advorsus fuerat, dedita Cirta, et Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus[2], qui proxumo anno post Bestiam cum Q. Minucio Rufo consulatum gerebat, persuadet, quoniam ex stirpe Masinissæ sit, Jugurthamque ob scelera invidia cum metu[3] urgeat, regnum Numidiæ ab senatu petat. Avidus consul belli gerundi[4] movere, quam

Cap. XXXIV. 1. *Terrebat eum.* Sc. tribunum. — *Impetu.* Sic ei minando, ut impetum in eum facturi viderentur.

2. *Quæ ira fieri amat.* Quæ per iram fieri solent. Quintil. IX, 3, citat ex Sallustio, ut hellenismi exemplum, *vulgus amat fieri.* Et quidem apud Græcos verbum φιλεῖ sæpe consuetudinem designat. Thucyd. III, 81: οἷον φιλεῖ ἐν τῷ τοιούτῳ γίγνεσθαι, *sicut amat in tali re fieri.* Sed non dixit Sall. *quæ in ira fieri amant.* Non ergo dictionem græcam ex omni parte imitatus est, neque hic, neque inf. XLI: «Ea quæ secundæ res *amant*, lascivia atque superbia incessere.» Non tamen dubitari potest, quin hic consuetudinis notio verbo *amat*, ut græco φιλεῖ inhæreat. Item Horat. Carm. III, 16:

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere *amat* saxa.

Cap. XXXV. 1. *Massiva.* Vide supra, V, n. 10, quæ fuerit Masinissæ progenies.

2. *Sp. Albinus.* Consul anno urbis conditæ 644.

3. *Invidia cum metu.* Odium publicum, propriusque metus.

4. *Avidus consul belli gerundi.* Sciebat quippe non sine bello induci posse Massivam in regnum a Jugurtha possessum. — *Movere.* Malebat ipse *movere*, perturbare omnia, quam omnia *senescere*, id est, per otium languere. Frustra quosdam offendit, quod ACTIVUM verbum est *movere*, NEUTRUM vero, *senescere.* Sed nec id a Sall. ingenio abhorret, et facile suppletur ellipsis: sc. *movere* regit accusativ. subauditum *omnia*; et vox, *omnia*, quæ expressa legitur, subjectum est infinitivi *senescere.* Similis fere constructio est infra XLVI, n. 7, ubi

senescere omnia malebat; ipsi provincia Numidia, Minucio Macedonia evenerat[5]. Quæ postquam Massiva agitare[6] cœpit, neque Jugurthæ in amicis satis præsidii est, quod eorum alium conscientia, alium mala fama et timor impediebat; Bomilcari[7], proxumo ac maxume fido sibi, imperat, pretio, sicuti multa confecerat, insidiatores Massivæ paret, ac maxume occulte : sin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat. Bomilcar mature regis mandata exsequitur : et per homines, talis negotii artifices[8], itinera egressusque ejus, postremo loca atque tempora cuncta explorat : deinde, ubi res postulabat, insidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad cædem parati erant, paullo inconsultius Massivam aggreditur,

vide. Item CXIV : « Romani sic habuere, alia omnia virtuti suæ prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria certare; » ubi subauditur SE, *subjectum* verbi *certare*. Male igitur Bip. induxit ex uno cod. *novari*. Nostri omnes *movere*. — *Senescere*. Eodem sensu, Liv. v, 21 : « Multa jam edita cæde, pugna senescit. »

5. *Minucio Macedonia evenerat*. Sorte obvenerat. Hic contra Scordiscos et Triballos Thracas prospere pugnavit; Liv. Epitom. LXV. Flor. lib. III, cap. 4.

6. *Agitare*. De ea re agere, et Numidiæ regnum a senatu petere.

7. *Bomilcari*. Bomilcar ille postea Jugurthæ copiis dux præfuit (infr. XLIX); Jugurtham ad deditionem impulit, suadente Metello (LXI et LXII); regem interficere tentavit (LXX); ipseque, re patefacta, ab eo interfectus est (LXXII). Dignus sane rex, cujus latus ab eo peteretur, per quem ipse cognatum suum necaverat; dignus minister, qui pœnam ultimi sceleris ab eo ferret, qui primum jusserat. — *Proxumo*. Familiarissimo. Catil. XIV : « Ii Catilinæ proxumi familiaresque erant. »

8. *Talis negotii artifices*. Rem vere dignam notari! In illo terrarum capite, urbe Roma, si cui opus erat insidiatore, sicario, venefico, is certos quosdam homines appellabat; et præsto erant, qui pacta mercede rem susciperent. Habebas Romæ interfectoris, sicut apud nos fabri vel sutoris *artificium*. Augebat quippe facilitatem patrandi sceleris ingens et in audaciam exercitata servorum gladiatorumque multitudo : præterea impunitas; quod nullus magistratus erat investigandis delictis et sontibus in judicium sistendis publice præpositus. Non temere enim ad accusandum descendebant privati, nisi propria utilitas aut quærenda fama impelleret. Inde multa obscura et quasi plebeia scelera negligebantur, et silentio tecta præteribant.

illum obtruncat : sed ipse deprehensus, multis hortantibus et in primis Albino consule, indicium profitetur[9]. Fit reus magis ex æquo bonoque[10], quam ex jure gentium, Bomilcar, comes ejus, qui Romam fide publica venerat. At Jugurtha manifestus tanti sceleris, non prius omisit contra verum niti, quam animum advortit[11], supra gratiam atque pecuniam suam invidiam facti esse. Igitur quamquam in priore actione[12] ex amicis quinquaginta vades dederat; regno magis, quam vadibus consulens, clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, veritus, ne reliquos populares metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumptum foret: et ipse paucis diebus profectus est, jussus ab senatu Italia decedere. Sed postquam

9. *Indicium profitetur. Indicium profiteri* non est fateri se indicaturum, ut quidam interpretantur; sed reipsa indicare suasorem instigatoremque facinoris. Tac. Ann. VI, 3 : « Summum supplicium decernebatur, ni *professus indicium* foret. »

10. *Magis ex æquo bonoque.* Æquum bonumque *stricto juri* opponitur. Hæc est igitur Sallustii mens : « Quamvis ex *stricto* gentium *jure* inviolatus esse debuerit comes ejus, qui Romam fide publica venerat; tamen, æquitate naturali, utpote tanti sceleris auctor, accusatus est. » Et quidem res est sacra jus gentium. Sed eo male se tuetur, qui violavit prior. Nec juris gentium est, quidlibet apud externos impune facere. Jure ergo, si verum vel dissentiente Sallustio dicere licet, non minus quam æquo et bono, in judicium vocabatur Bomilcar. Ceterum hic locus mire torsit quosdam interpretes. Si Glareano et Bip. credamus, sensus erit: « Quamvis Bomilcar, fidei publicæ, qua cum Jugurtha venerat, violator extemplo comprehendi et damnari *ex jure gentium* deberet; tamen clementer et *ex æquo bonoque* in eum actum est. Igitur vades accepti, libertasque reo permissa. » Hunc sensum, quem clarius multo quam ipsi auctores expressimus, quis non falsum et longius petitum videt?

11. *Animum advortit.* Animadvertit. — *Invidiam facti.* Publicam indignationem, tali facto excitatam.

12. *In priori actione.* Quum primum reus ad dicendam causam vocatus est. — *Regno magis quam vadibus consulens.* Magis ad id intentus, ne quid de sua in Numidas potentia minueretur, quam ne mulcta damnarentur vades, absente Bomilcare. Sic quinquaginta innocentes, eosque sibi amicos, deserit, ut unum nocentem periculo eripiat. Sed multum intererat Jugurthæ, ut, quæcumque scelera jussisset, iis impunitas in perpetuum parta crederetur.

Roma egressus est, fertur sæpe eo tacitus respiciens postremo dixisse : urbem venalem et mature perituram, si emptorem invenerit.

XXXVI. Interim Albinus, renovato bello, commeatum, stipendium, alia, quæ militibus usui forent, maturat in Africam portare : ac statim ipse profectus, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis aut deditione, aut quovis modo bellum conficeret. At contra Jugurtha trahere omnia; et alias, deinde alias, moræ caussas facere : polliceri deditionem, ac deinde metum simulare; instanti cedere, et paullo post, ne sui diffiderent, instare : ita belli modo, modo pacis mora consulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum consilii regis existumarent; neque ex tanta properantia[1] tam facile tractum bellum secordia magis quam dolo crederent. Sed postquam, dilapso tempore, comitiorum dies adventabat; Albinus, Aulo fratre in castris pro prætore relicto, Romam decessit.

XXXVII. Ea tempestate Romæ seditionibus tribuniciis atrociter respublica agitabatur. P. Lucullus et L. Annius, tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum nitebantur : quæ dissensio totius anni comitia[1] impediebat. Ea mora in spem adductus Aulus, quem pro prætore in castris relictum[2] supra diximus, aut con-

XXXVI. 1 *Ex tanta properantia*. Post tantam festinationem. Scilicet non credebant eum, qui initio tantopere properasset, tam facile bellum tracturum fuisse, nisi dolus potius quam socordia subesset.

XXXVII. 1. *Totius anni comitia*. Ea non solum quibus tribuni, sed etiam ceteri magistratus eligendi erant. Itaque consules anni 645, Metellus et Silanus, non ante designari, sed jam inito sui magistratus anno, creari potuerunt.

2. *Pro prætore in castris relictum*. Quidam, *proprætorem*. Nostri codd. *pro prætore*, ut in fine superioris capitis. Item Catil. XIX : « Piso quæstor *pro prætore* missus est. » Ad quem locum abunde probat Cortius usitatum fuisse antiquis, divisim scribi *pro consule*, *pro prætore*; unde nata sunt composita *proconsul*, *proprætor*. Ita Cic. in Verr. de

ficiundi belli, aut terrore exercitus ab rege pecuniæ capiundæ[3], milites mense januario ex hibernis in expeditionem evocat: magnis itineribus, hieme aspera, pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis thesauri erant. Quod quamquam et sævitia temporis, et opportunitate loci, neque capi, neque obsideri poterat; nam circum murum, situm in prærupti montis extremo, planities limosa hiemalibus aquis paludem fecerat: tamen, aut simulandi gratia, quo regi formidinem adderet, aut cupidine cæcus[4] ob thesauros oppidi potiundi, vineas[5] agere, aggerem jacere, alia, quæ incepto usui forent, properare.

XXXVIII. At Jugurtha, cognita vanitate[1] atque imperitia legati, subdolus augere amentiam; missitare supplicantes legatos; ipse, quasi vitabundus, per saltuosa loca et tramites exercitum ductare. Denique Aulum spe pactionis[2] perpulit, uti, relicto Suthule, in abditas regiones

Juris. Sicil. LXX: « In scriptura Siciliæ *pro magistro* est quidam L. Carpinatius. » Auson. Idyll. XXX (al. II): Hujus ego et natum et generum *pro consule* vidi. Atqui *pro prætore* est, *loco prætoris*. Prætor autem hic pro *duce* ponitur.

3. *Terrore exercitus ab rege pecuniæ capiundæ*. Propter terrorem, quem exercitus romanus Jugurthæ incuteret, pecuniam ab eo se acceptum sperabat. — *Ubi regis thesauri erant*. Vide quæ, ad Cap. XII, de hac re notavimus.

4. *Aut cupidine cæcus*. Operæ pretium est vim horum verborum animadvertere. Duabus tantum causis in obsidione hujus oppidi hærere poterat. Scilicet aut spem simulabat, aut revera sperabat, se tandem urbe potiturum. Atqui sola pecuniæ cupido ita illum obcæcare poterat, ut hoc speraret. Miror equidem Cortium et ejus asseclas pro arbitrio recidisse voces, *ob thesauros oppidi potiundi*, quæ multum ad sensum conferunt, legunturque in omnibus nostris MSS.

5. *Vineas*. Vid. sup. XXI, n. 5. — *Aggerem*. Aggerem urbem versus producebant, non modo ut fossas explerent, sed etiam ut æquarent murorum altitudinem. Inde, et ex turribus super aggere exstructis, oppidanos telis petebant, dum interea vineæ ceteræque machinæ admovebantur. Lips. Poliorc. II, 3.

Cap. XXXVIII. 1. *Vanitate*. Inconsiderantia, levitate. Vide quæ ad hoc verbum notavimus, Catil. XXIII. — *Legati*. Auli, quem *pro prætore* relictum dixit. *Legatus* enim, in genere, dicitur, qui ducis vicem gerit.

2. *Spe pactionis perpulit*. Ejus scilicet pactionis, quæ Aulo, non reipublicæ, commoda foret.

sese, veluti cedentem, insequeretur; ita delicta occultiora fore[3]. Interea per homines callidos die noctuque exercitum tentabat; centuriones[4] ducesque turmarum, partim uti transfugerent corrumpere; alii, signo dato, locum uti desererent. Quæ postquam ex sententia instruxit; intempesta nocte, de improviso multitudine Numidarum Auli castra circumvenit. Milites romani, tumultu perculsi insolito, arma capere alii, alii se abdere, pars territos confirmare, trepidare omnibus locis[5]: vis magna hostium, cœlum nocte atque nubibus obscuratum, periculum anceps[6]: postremo fugere an manere tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paullo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum[7], cum duabus turmis Thracum, et paucis gregariis militibus, transiere ad regem: et centurio primi pili[8] tertiæ legionis per muni-

3. *Ita delicta occultiora fore.* Verba sunt, quibus Jugurtha (videlicet per homines talium rerum interpretes) Aulo suadet, ut se quasi fugientem in abdita loca sequatur; ubi pactio occultius fiat, nec, si quid deliquerit legatus, tam facile vulgetur. — *Fore.* Nos *fore* rescripsimus ex Haverc. Variant codd. Nostri, *fuere;* et sic edidit Bip. Sed *fuere* ferri non potest. Nam nec occulta *fuere* Auli delicta, ut *fore* speraverat; nec talia præsertim fuere, quæ voluerat. Ibat pecuniam capturus; exercitum prope amisit.

4. *Centuriones.* Ordo est: « Corrumpere centuriones ducesque turmarum, uti partim (i. e. alii) ad se transfugerent; alii, signo dato, locum custodiæ suæ commissum, desererent. *Partim* nominativi loco jam positum est, Catil. L, ubi vide notata. Infra, XL, opponuntur, ut hic, *partim.... alii.*

5. *Trepidare omnibus locis. Trepidare* est discurrere, huc illuc se vertere, sine consilio festinare.

6. *Periculum anceps.* Sc. a tergo et a fronte, quoniam circumventi erant.

7. *Cohors una Ligurum.* Ligures in Romanorum exercitibus militabant, socii ex hostibus facti, post multas clades, de quibus Flor. II, 3. Item Thraces; de quorum bellis vide eumdem Flor. III, 4. — Cohors e peditibus 420 constabat. Turma erat triginta equitum (Varro de L. Lat. IV, 16); et decem turmæ, seu trecenti equites singulis legionibus addebantur. Sed hic de auxiliaribus copiis, non de romana legione, sermo est.

8. *Centurio primi pili.* In omni legione erant tria genera peditum: *Hastati*, qui prima in acie stabant; *principes*, qui in secunda; *triarii* seu *pilani*, qui in tertia, vel subsi-

tionem, quam, uti defenderet, acceperat, locum hostibus introeundi dedit: eaque Numidæ cuncti irrupere. Nostri fœda fuga, plerique abjectis armis, proxumum collem occupavere. Nox atque præda castrorum hostes, quo minus victoria uterentur, remorata sunt. Dein Jugurtha postero die cum Aulo in colloquio verba facit: tametsi ipsum cum exercitu fame, ferro clausum tenet; tamen se humanarum rerum memorem, si secum fœdus faceret, incolumes omnes sub jugum missurum[9]: præterea, uti diebus decem Numidia decederet. Quæ quamquam gravia et flagitii plena erant; tamen, quia mortis metu mutabantur[10], sicuti regi libuerat, pax convenit.

diis (Liv. VIII, 8). Singulorum autem generum erant *manipuli* decem in duos quisque *ordines*, vel *centurias* divisi, unam priorem, seu dextram, alteram sinistram, quibus singulis unus præerat *centurio*. Horum qui priorem centuriam primi manipuli hastatorum ducebat, *primus hastatus* dicebatur; principum, *primus princeps*; triariorum, *primipilus*, vel *primi pili centurio*. (Liv. XLII, 34.) Hic omnes alios centuriones honore anteibat, eique proximus ascensus erat ad gradum *tribuni*. Jam vero viginti *hastatorum* et *principum* manipuli, qui communi nomine *antepilani* quoque vocabantur, centum et viginti quisque militibus constabant; decem vero triariorum, tantummodo sexagenis. Sed post eos in extrema acie locabantur *rorarii* et *accensi*, utrique eodem numero (Liv. VIII, 8). Ceterum, ut monuimus ad Catil. LVI, non eodem semper numero militum legio fuit. A Mario etiam dividi cœpit in decem cohortes, cohors in tres manipulos, manipulus, ut ante, in duas centurias (A. Gell. XVI, 5); ita ut in legione semper sexaginta peditum centuriæ cum totidem centurionibus fuerint.

9. *Sub jugum missurum*. Res omnibus nota, jugum fieri tribus hastis, humi fixis duabus, superque eas transversa una deligata; subterque emitti victos milites. Hoc præmium avaritiæ tulit Aulus, dignus qui ab hoste proderetur, reipublicæ proditor.

10. *Mutabantur*. Hoc e quinque nostris MSS, et aliis quos laudat Cortius, reponere non dubitavimus. Sensus patet: « Hæc fœda et gravia erant; gravior tamen mortis metus, cujus loco hæc accipiebantur. » Nam *mutare*, sæpe est nostrum *prendre en échange*; quo sensu Horat. Carm. I, 17.

Velox amœnum sæpe Lucretilem
Mutat Lyceo Faunus.

Si tamen cum Cortio legere malis, *mutabant*; accipies non, ut ille, sensu passivo, sed subaudies, *Romani*. Pessime quidam, *nutabant*, quidquid pro hoc verbo disputet Bip.

XXXIX. Sed ubi ea Romæ comperta sunt; metus atque mœror civitatem invasere : pars dolere pro gloria imperii : pars insolita rerum bellicarum timere libertati : Aulo omnes infesti, ac maxume, qui bello sæpe præclari fuerant; quod armatus dedecore potius, quam manu, salutem quæsiverat. Ob ea consul Albinus ex delicto fratris invidiam, ac deinde periculum[1] timens, senatum de fœdere consulebat[2] : et tamen interim exercitui supplementum scribere, ab sociis et nomine latino[3] auxilia arcessere, denique modis omnibus festinare. Senatus ita, uti par fuerat[4], decernit, suo atque populi injussu nullum potuisse fœdus fieri. Consul impeditus a tribunis plebis, ne, quas paraverat copias, secum portaret, paucis diebus in Africam proficiscitur : nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus, in provincia[5] hiemabat. Postquam eo venit, quamquam persequi Jugurtham et mederi fraternæ invidiæ[6] animus ardebat; cognitis militibus, quos præter fugam, soluto imperio[7], licentia atque

Cap. XXXIX. 1. *Invidiam ac deinde periculum.* Odium civium, deinde accusationem. Quippe, quum ipse Romam redire festinans, fratrem rei militaris ignarum in Numidia reliquisset, aliquatenus affinem se culpæ non ignorabat.

2. *De fœdere consulebat.* An ratum illud senatus haberet, necne.

3. *Ab sociis et nomine latino.* Socii sunt Italici, extra Latium antiquum positi; nomen latinum, sunt Latini.

4. *Senatus, uti par fuerat, etc.* Eadem causa, vel potius fraude, Caudinum fœdus rescissum (Liv. IX, 10); eadem Numantinum, (Flor. II, 18). At saltem et Numantinis et Sammitibus auctores fœderum tradi jusserat senatus. Nunc hæc etiam ludibria fidei reliquisse videtur, quum de tradendo Aulo nulla mentio sit. De fœdifrago hoc gentium jure, quod sibi Romani fecerant, vide præstantissimum juris auctorem, ipsarumque judicem legum, *Montesquieu*, *Grand. et Décad. des Romains*, VI.

5. *In provincia.* Scilicet romana, de qua supra, XIX.

6. *Mederi fraternæ invidiæ.* Invidiam, fratri suo turpi pace conflatam, victoriis et re bene gesta lenire vehementer cupiebat.

7. *Præter fugam, soluto imperio.* Licentia et lascivia corruperat milites, non solum quia fugerant, sed quia dux disciplinæ habenas remiserat. Fuga videlicet velut inconditam multitudinem pro exercitu fecerat; et jugum, quod subierant,

lascivia corruperat, ex copia rerum[8] statuit, nihil sibi agitandum.

XL. Interea Romæ C. Mamilius Limetanus[1] tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, uti quæreretur in eos, quorum consilio Jugurtha senati decreta neglexisset; quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepissent; qui elephantos, quique perfugas tradidissent; item, qui de pace, aut bello cum hostibus pactiones fecissent. Huic rogationi, partim conscii sibi[2], alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte resistere non poterant, quin illa et alia talia placere sibi faterentur, occulte per amicos, ac maxume per homines nominis latini et socios italicos, impedimenta parabant. Sed plebes, incredibile memoratu est, quam intenta fuerit[3], quantaque vi rogationem jusserit, magis odio nobili-

prostraverat animos. Jam ipse dux pari, imo pejori, utpote cladis auctor, ignominia notatus, qua vi imperii atque auctoritatis lasciviente coercere poterat? — Bene *licentia atque lascivia*. Licentia enim quidlibet faciendi parit lasciviam.

8. *Ex copia rerum*. Ex præsenti rerum statu. Idem eodem sensu vocabulum recurrit, infra, LIV, *ex copia... consilium capit;* XC, *pro rei copia;* XCVIII, *ex copia rerum consilium trahit;* quod est, aliis verbis, pro re et tempore consilium capere. Etenim *copia* non necessario multitudinem aut abundantiam notat. *Copia* est, in genere, *quod suppetit*, sive magnum, sive parvum; sive multum, sive parum. Inde notio *facultatis*, quam habemus aut non habemus; *occasionis*, opportunæ, aut non opportunæ. — *Agitandum*. Agendum, movendum.

Cap. XL. 1. *C. Mamilius Limetanus*. Hoc habebat cognomen ab avo suo Mamilio, qui legem tulerat de *limitibus* agrorum. Auctorem generis sui ferebat Mamiliam, filiam Telegoni, qui Telegonus, Ulyssis filius, Tusculum condiderat; (ex notis gallicis cl. v. *De Brosses*.)

2. *Partim conscii sibi*. Totius loci sensus est: « Nobiles, alii delictorum, de quibus quærendum erat, sibi conscii, alii metuentes ne, flagrantibus partium studiis, invidia plebis sibi pericula conflaret, rogationi Mamiliæ adversi erant. Sed quum ea rogarentur, quibus adversari nemo poterat, quin se illa et talia ejusmodi delicta probare profiteretur, non audebant aperte resistere; sed per Latinos et Italicos, eos videlicet quibus jus erat suffragii, impedimenta parabant. »

3. *Quam intenta fuerit*. Quam intentis animis et quanta studiorum alacritate tribunum suum adjuverit.

tatis, cui mala illa parabantur, quam cura reipublicæ: tanta lubido in partibus. Igitur ceteris metu perculsis, M. Scaurus, quem legatum Bestiæ supra docuimus, inter lætitiam plebis, et suorum fugam[4], trepida etiam tum civitate, quum ex Mamilia rogatione tres quæsitores[5] rogarentur, effecerat, uti ipse in eo numero crearetur[6]. Sed quæstio exercita aspere violenterque[7], ex rumore et lubidine plebis. Ut sæpe nobilitatem, sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.

— *Jusserit.* Proprium verbum, quo summum populi romani imperium esse declaratur. Quidam: *jusserit, decreverit, voluerit;* inutili congerie; nam *jusserit* plus significat, quam duo alia. Nostrorum codd. A: *rogationem jusserit;* et supra lineam, *inquisitionem decreverit; voluerit.* Quod quum sit manifestum utriusque vocis glossema, nihilque inter lineas hujus membranæ, nisi textus explicandi gratia, scriptum fuerit, ut spurium recidere non dubitavimus. Jam deleverat Bip.

4. *Suorum fugam.* Recte fugam dixit pavorem nobilium, qui delictorum conscientia territi, et unanimi illo civium consensu perculsi, plebis conspectum et fori lucem sustinere jam non poterant.

5. *Tres quæsitores.* Tres viri qui exercendis quæstionibus præessent. Quamvis enim *quæstiones perpetuæ* (gallice *des tribunaux permanents*) ante triginta circiter annos constitutæ fuissent, singulisque prætoribus attributæ; sæpe tamen, quum grave aliquod crimen incidisset, extraordinaria judicia constituebantur.

6. *Effecerat, uti ipse..... crearetur.* Mirum profecto, quum Scaurum quoque corruptum dixerit Sallustius. Sed monere non omittit eum quæsitorem creatum fuisse, quum trepida adhuc civitas, et plebs propter victoriæ lætitiam parum cauta esset. Ad hoc, quum ceteri omnes perculsi latitarent, audacia facile suspicionem amovebat. Ceterum vide quid de Scauro dictum sit supra, XV.

7. *Sed quæstio exercita aspere violenterque.* Si Scaurus is vere fuit, quem vult Sallustius, eum non sponte sæviisse verisimile est. Sed quæsitor judicio tantum præerat, quod ferebant *jurati judices.* Tunc vero lege Sempronia C. Gracchi, judices ex equitibus nobilitati infensis legebantur. Cicero in Brut. XXXIII: « C. Galba, Servii illius eloquentissimi filius, rogatione Mamilia, Jugurthinæ conjurationis invidia oppressus est. » Paulo post, XXXIV: « Nam invidiosa lege Mamilia, C. Galbam sacerdotem, et quatuor consulares, L. Bestiam, C. Catonem, Sp. Albinum, civemque præstantissimum L. Opimium, Gracchi interfectorem, a populo absolutum, quum is contra populi studium stetisset, Gracchani judices sustulerunt. »

XLI. Ceterum mos partium popularium et senati factionum[1], ac deinde omnium malarum artium, paucis ante annis[2] Romæ ortus, otio et abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus romanus placide modesteque inter se rempublicam tractabant[3]: neque gloriæ, neque dominationis certamen inter cives erat: metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus decessit[4]; scilicet ea, quæ secundæ res amant,

Cap. XLI. 1. *Mos partium popularium et senati factionum.* Multæ quidem a prima plebis in montem sacrum secessione usque ad tempora Gracchorum, ortæ fuerant plebem inter et senatum dissensiones. Sed facile et sine sanguine civili pax conciliabatur, necdum discordia ordinum in consuetudinem et morem verterat. Invaluit demum pessimus ille *mos* post Carthaginem deletam.—*Factionum.* Plurali numero usus est, non ea mente, ut diceret plures fuisse in plebe *partes*, plures in senatu *factiones*: sed sæpius coortas esse adversus senatum *partes populares*, sæpius in *factiones* coaluisse, adversus plebem, senatum. Nam sequentibus ostendit, non intestinis laborantes discordiis vel senatum vel plebem; sed hinc plebem, illinc senatum mutuis odiis hostiliter decertantes.—Jam non operæ pretium duco Gruterum refellere, qui addita putat a librariis verba *popularium et senati factionum*, ut glossam vocis *partium*; vel Cortium, qui saltem *factionum* recidere velit.

2. *Paucis ante annis.* Deleta fuerat Carthago A. U. C. 608, annis ante bellum Jugurthinum 35. Quæ interiora mala eversam Carthaginem ulta sint, jam dixit, Catil. X, quem locum vide; item Florum, III, 12; Lucanum, I, 162 et seqq.; Vell. II, 1, et præsertim Tacitum, Hist. II, 38, ubi hunc locum æmulatur.

3. *Placide modesteque inter se rempublicam tractabant.* Populus et senatus una rempublicam administrabant, moderati utrique et pacem inter se agentes. — *Neque gloriæ... certamen inter ipsos erat.* In Catilin. VII, dixit: « Gloriæ maxumum certamen inter ipsos erat. » Sed ibi veram gloriam intelligit, quæ virtute paratur; hic falsam illam, quam ex honoribus etiam male partis habere se existimant factiosi. — *Metus hostilis.* Flor. III, 12: « Pœnorum hostium imminens metus disciplinam veterem continebat. »

4. *Sed ubi illa formido mentibus decessit.* Non solum varietatis, sed etiam proprietatis causa *formidinem* dixit. *Formido* enim notionem habet terribilis alicujus *formæ* menti obversantis. Verbo *decessit*, infra respondet *incessere*. — *Scilicet.* Particula affirmandi et rationem reddendi; quasi diceret: « Tum vero, nec id mirum est, lascivia et superbia incessere. » Frustra ergo deleri velit Cortius vocem *scilicet*, et Bip. mu-

lascivia atque superbia, incessere. Ita, quod in adversis rebus optaverant, otium, postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit[5]. Namque cœpere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere : sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partes abstracta sunt[6] : respublica, quæ media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat[7]; plebis vis, soluta atque dispersa, in multitudine minus poterat. Paucorum arbitrio belli domique agitabatur[8]; penes eosdem

tat in *illico*. Quod ad sententiam attinet, ea non melius explanari potest, quam supra dicto Velleii loco, II, 1 : « Potentiæ Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ posterior aperuit. Quippe, remoto Carthaginis metu, sublataque imperii æmula, non gradu, sed præcipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum. Vetus disciplina deserta, nova inducta, in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conversa civitas. »

5. *Asperius acerbiusque fuit*. Scil. quam ipsæ res adversæ.

6. *In duas partes abstracta sunt*. Hic *partes* non intellige, *factiones*. Vox proprie sumitur : scilicet, quum hinc populus, illinc senatus contrario in diversum nisu ad se trahant omnia, jam omnia *in duas partes* divelli atque discindi necesse est. Nunc si rempublicam *in medio*, inter obnitentes hinc inde factiones positam tibi finxeris, quomodo non dilacerabitur? Ita fere, sed minore vi, quia pluribus verbis, Livius II, 57 : « Dum tribuni consulesque ad se quisque omnia trahant, nihil reliotum esse virium in medio; distractam dilaceratamque rempublicam... » Ceterum hoc, *nihil reliotum esse virium in medio*, multum abest, ut eamdem imaginem menti offerat, quam, *respublica, quæ media fuerat*, id est, exposita velut in campo, ubi infestæ acies concurrebant.

7. *Factione magis pollebat*. Potentior erat nobilitas, utpote quæ *factio* esset; factio autem consensu præsertim et virium omnium conspiratione valet. Contra plebs, quamvis major esset ejus multitudo, minus poterat; quippe cujus vis *soluta atque dispersa*, id est, communi quasi nexu et vinculo carens, se totam concordi nisu expromere nequibat. Nec alia causa toties in discordiis civilibus pauci plures vicere, quam quod, quæ major numero pars est, ea in commune non consulit. — *In multitudine minus poterat*. Hæc ita junge; non, *dispersa in multitudine*, et multo minus, *in multitudinem*, quod perperam voluere aliqui. *In multitudine*, est pro *quamvis multi essent*. Sic in hia Curtii, IV, 14 : « Gravior in paucitate jactura est; » *In paucitate* dicitur pro *quum pauci sunt*.

8. *Agitabatur*. Res administrabantur. Male Bip. RESPUBLICA *agitabatur*; quod ne ellipsi quidem suppleri debet. Nam *agitabatur* abso-

ærarium, provinciæ, magistratus, gloriæ[9] triumphique erant : populus militia atque inopia urgebatur. Prædas bellicas imperatores cum paucis diripiebant : interea parentes[10], aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ita cum potentia avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere et vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa præcipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt[11], qui veram gloriam injustæ potentiæ anteponerent;

lute positum est, eodem modo quo Latini dicunt *vivitur*, *curritur*, *ambulatur*, *pugnatur*, *etc.*; quorum verborum nominativus in ipsis latet. Nempe *terminatio passiva* monet rem aliquam FIERI; pars autem quæ *radicis* est, indicat quæ *res ea* sit. Itaque huc allata verba nihil aliud sunt quam : FIT ACTIO *vivendi*, *currendi*, *ambulandi*, *pugnandi* : *agitabatur* autem, si ita loqui fas esset, FIEBAT ACTIO *agitandi*. Sed quia id minus clarum est, attende idem quoque esse *curritur*, *vivitur*, ac *currunt*, *vivunt* : ergo pro *agitabatur*, dicere potuisset *agitabant*, sine accusativo, ut supra, XVIII : « Hi propius mare... *agitabant*. » Ergo per se et sine ellipsi, *paucorum arbitrio agitabatur*, idem valet quod *paucorum arbitrio vivebant*, id est, *regebantur*, *gubernabantur*. De verbis quæ vulgo dicuntur impersonalia, vide Sanctii Minervam, III, 1, et expositam ibi Prisciani doctrinam, quæ hanc nostram confirmat. Vide etiam, *Grammaire lat. de Port-Royal*, Remarq. *sur les Verbes impersonnels*.

9. *Gloriæ*. Nove, sed recte, dixit *gloriæ*, in plur. num. Ita enim significat nullum non eos sibi solis vindicare gloriæ et splendoris genus.

10. *Interea parentes*, *etc.* Idem spoliationis genus damnat Horat. Carm. II, 18 :

Quid quod usque proximos
Revellis agri terminos, et ultra
Limites clientiam
Salis avarus ? Pellitur paternos
In sinu ferens deos
Et uxor et vir, sordidosque natos.

Æmulatur Quintilianus (sive quisquis auctor est) Declam. XIII : « Quod cives pascebat, nunc divitis unius hortus est. Postquam proximos quoque revellendo terminos ager locupletis latius inundavit; æquatæ solo villæ, et excisa patria sacra, et cum conjugibus parvisque liberis respectantes patrium larem migraverunt veteres coloni, et latus solitudinis indiscreta unitas facta est. » — *Polluere*. Scil. templis deorum rebusque sacris, non magis quam profanis, parcere. — *Vastare omnia*. Hoc mire explicant æquatæ solo villæ, et facta circa potentium domos solitudo.

11. *Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt*. Sc. duo Gracchi; qui quam, utpote nobiles, injustæ potentiæ participes esse possent, libertatis vindices esse maluerunt. Cortius intrusa et *nullius commodi sensus*

moveri civitas, et dissensio civilis, quasi permixtio terræ[12], oriri cœpit.

XLII. Nam postquam Tiberius et C. Gracchus, quorum majores[1] Punico atque aliis bellis multum reipublicæ addiderant, vindicare plebem in libertatem, et paucorum scelera patefacere cœpere; nobilitas noxia, atque eo perculsa[2], modo per socios ac nomen latinum, interdum per equites romanos, quos spes societatis[3] a plebe

judicat verba, *ex nobilitate*. Cortium abunde refellet vir, ut variæ inter coævos famæ, ita nulli posteritati ob eloquentiam reticendus, alter *ex nobilitate* tribunus, *Mirabeau* (*Discours au tiers-état de Provence*): *Dans tous les pays, dans tous les âges, les aristocrates ont implacablement poursuivi les amis du peuple; et si, par je ne sais quelle combinaison de la fortune, il s'en est élevé quelqu'un dans leur sein* (ex nobilitate), *c'est celui-là surtout qu'ils ont frappé, avides qu'ils étaient d'inspirer la terreur par le choix de la victime. Ainsi périt le dernier des Gracques, de la main des patriciens; mais atteint du coup mortel, il lança de la poussière vers le ciel en attestant les dieux vengeurs, et de cette poussière naquit Marius.*

12. *Dissensio civilis, quasi permixtio terræ*. Mente potius assequenda, quam verbis enarranda sententiæ gravitas. Ea fuit dissensio civilis rerumque perturbatio, ut omnes reipublicæ partes inter se tumultuosa jactatione colliderentur. Non aliter convelli terram miscerique ima summis, et rerum omnium subversionem permixtionemque fieri crederes, si chaos in antiquum elementa redirent.

Cap. XLII. 1. *Quorum majores*. Patrem enim habuere Tiberium Sempronium, clarissimum virum; matrem Corneliam, prioris Africani filiam. De his vide Vell. II, 2, 3, 6; Flor. III, 14, 15; sed præsertim Plutarch. in Gracchis.

2. *Atque eo perculsa*. Ob id ipsum, quod noxia erat, terrore perculsa.

3. *Quos spes societatis*. Medii plebem inter et senatum equites romani societatem nobilitatis appetebant, humani ingenii natura, altiora semper affectantis. Eos autem a senatu disjunxit C. Gracchus, lege Sempronia, qua ad equites judicia transtulit. Dissensionem auxerat Sylla, rursus ad senatum ea transferendo. Tandem ad primi ordinis concordiam et societatem Catilinario periculo et diligentia Ciceronis revocati sunt. Cic. Catil. IV, 7. — *Gracchorum actionibus*. Eodem sensu dixit in Catil. XLIII, *actionibus Ciceronis*, ubi quæ notavimus, vide. — *Eadem ingredientem*. Eamdem popularem viam ingredientem; easdem res molientem. *Eadem*, quarto casu, non sexto, ut voluere quidam. — *Tribunum alterum*. Tiberium scilicet. — *Alterum triumvirum*. Caium. De coloniis vide supra Catil. XVII, n. 22. C. Gracchus, inquit Vell. II, 6, *dividebat agros;... novis coloniis reple-*

dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ierat : et primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Caium, tribunum alterum, alterum triumvirum coloniis deducendis, cum M. Fulvio Flacco[4] ferro necaverant. Et sane Gracchis, cupidine victoriæ, haud satis moderatus animus fuit : sed bono vinci satius est[5], quam malo more injuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa, multos mortales ferro, aut fuga exstinxit ; plusque in reliquum sibi timoris[6], quam po-

bat provincias. Igitur ille ad colonias istas deducendas, colonisque dividendos agros se triumvirum creari curaverat.

4. *Cum M. Fulvio Flacco.* Fulvius consul fuerat A. U. C. 629, simulque triumvir agris dividendis; App. Bell. Civil. 1, 3. Jam ante graves in eum suspiciones inciderant propter mortem Scipionis Æmiliani. Fulvius, homo inquies et turbulentus, consiliorum C. Gracchi, sed non virtutum particeps fuisse videtur. Is longe abfuit ut eadem, qua Caius, moderatione ageret in ultimo illo et fatali ambobus adversus nobiles certamine. Sed quidquid ille nefarie fecerit, multo magis nefarie fecit consul Opimius qui, compressa jam seditione, Fulvii filium, puerum adhuc, legatum a patre de conditionibus missum, crudeliter interemit. Major ejusdem filius paulo ante cum patre jugulatus fuerat. Vell. II, 6, 7.

5. *Sed bono vinci satius est, etc. Bono* scil. *more;* non, ut quidam arbitrantur, *bono viro;* neque *in bono negotio*, quæ insolens esset dicendi forma. Hic judicium suum aperit Sallustius de Gracchorum interitu. « Nempe vincendi cupiditas eos ultra moderationis fines abripuit; sed hoc non absolvit eorum inimicos. Nam qualiscumque esset Gracchorum injuria, tamen bono more vinci, quam malo vincere satius est, (*Une défaite sans reproche vaut mieux qu'une victoire achetée par le crime*). Ergo nobilitati, quamvis repulisse injuriam videri possit, honestius fuisset in eo certamine vinci, quam malis artibus et civium cæde vincere. » Hoc vere liberum et æquum judicium est. Nec bona tacet, nec mala dissimulat, nec victos damnat. Appianus multo plus culpæ confert in Gracchos, et vim ab iis ortam innuit. Sed Plutarchus cum Sallustio consentit; illiusque fidissimus interpres *Amyot*, postquam narravit Scævolam consulem armis uti contra Tiberium noluisse, hoc de suo addere non dubitat : « *Le consul condamne, par sa sage réponse, tous ceux qui condamnent et exécutent, sans due connaissance de cause, ceux qu'il leur plaît; et Nasica, juge et partie, fait voir que quand les grands commencent la sédition, il ne peut y avoir que de grandes désolations au milieu d'un peuple.* »

6. *Plusque in reliquum sibi timoris.* Quo magis enim plebis odium in se

tentiæ, addidit. Quæ res plerumque magnas civitates pessum dedit; dum alteri alteros vincere quovis modo, et victos acerbius ulcisci volunt. Sed de studiis partium et omnibus civitatis moribus si singulatim, aut pro magnitudine parem disserere; tempus, quam res, maturius deserat: quamobrem ad inceptum redeo.

XLIII. Post Auli fœdus exercitusque nostri fœdam fugam, Q. Metellus[1] et M. Silanus consules designati provincias inter se partiverant; Metelloque Numidia evenerat, acri viro, et quamquam advorso populi partium[2], fama tamen æquabili et inviolata. Is ubi primum magis-

commovit, victoria crudeliter abutendo, eo plures timendi causas, pluraque pericula sibi conflavit. Hoc aptius videtur quam quod quidam intelligunt: « Plus terroris incussit suis inimicis, quam sibi veræ potentiæ addidit. » Hoc enim si dicere voluisset, non addidisset, *in posterum*. Nulla res enim terrore *præsentior*. Confer egregium de Græciæ factionibus locum (Thucyd. III, 82) quem hic imitatus esse videtur Sallustius. Huc etiam mire faciunt allata jam gallici Gracchi verba: « *Ainsi périt le dernier des Gracques*, et quæ sequuntur. » Vere enim Gracchorum clades Marium peperit; sed Marii victoria Syllam; Sylla Cæsarem; cujus interfecti manibus romana servitute parentatum est.

Cap. XLIII. 1. *Q. Metellus*. Q. Cæcilius Metellus, a devicto Jugurtha *Numidicus* dictus, vir acer et summæ constantiæ. Qui censor, quum in leges Appuleii Saturnini jurare nollet, in exilium missus est; quod adeo fortiter tulit, ut non nisi precibus et lacrymis filii (qui propterea *Pii* cognomen adeptus est) victus Romam redierit. Cic. pro Sextio, XVI; Flor. III, 16; Senec. Ep. XXIV. — *M. Silanus*. M. Junius Silanus, idem qui paulo post adversus Cimbros, in Gallia, male pugnavit. Liv. Epit. LXV; Vell. II, 12; Flor. III, 3.

2. *Advorso populi partium*. *Adversum* interpretare ut *adversarium*; nec miraberis genitiv. cum eo conjungi. Item est de græco ἐναντίος, et de latino *contrarius*. Cic. de Fin. IV, 24: *Vitia.... quæ sunt virtutum contraria*. Frustra igitur Bip. reponit *partibus*. *Partium* est in omnibus nostris codd. — *Fama tamen æquabili*. Fama æquabilis non est, ut Cortio placet, fama *æqualis apud plebem atque nobilitatem*; sed fama semper eadem, semperque sui similis et sibi constans. Nec alius esse potest adjectivi *æquabilis* sensus. Cic. Offic. I, 1: « *Æquabile* et temperatum orationis genus. » Id. de Orat. II, 15: « Genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam *æquabili* profluens. » Idem de Nat. Deor. II, 9: « Quod autem alitur et crescit, motu quodam utitur certo et *æquabili*. »

tratum ingressus est; alia omnia sibi cum collega ratus[3], ad bellum, quod gesturus erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui, milites scribere, præsidia undique arcessere : arma, tela[4], equos, cetera instrumenta militiæ parare : ad hoc commeatum affatim, denique omnia, quæ bello vario et multarum rerum egenti usui esse solent. Ceterum ad ea patranda, senati auctoritate[5] socii nomenque latinum, reges ultro auxilia mittere; postremo omnis civitas summo studio adnitebatur. Itaque, ex sententia omnibus rebus paratis compositisque, in Numidiam proficiscitur, magna spe civium, quum propter bonas artes, tum maxume, quod advorsum divitias animum invictum gerebat; et avaritia magistratuum ante

3. *Alia omnia sibi cum collega ratus.* Existimans sibi soli, non collegæ suo, totam incumbere belli Numidici curam. Voces enim, *alia omnia*, idem valent ac *nequaquam hoc.* Testis illa formula, qua dicitur senatus rei propositæ non assentiri: *Senatus in* ALIA OMNIA *discessit.* — *Sibi cum collega* (esse). Eadem locutio quam hæc : *quid mihi tecum?* Quapropter inutile est cum quibusdam addere *communia*, quod non habent MSS. Metellus igitur, *nequaquam hoc sibi cum collega ratus*, id est, nullam collegæ operam sibi ad hoc bellum exspectandam esse putans (quia nempe videbat quid sibimet officii impositum esset), ad id diligenter animum intendit. Hic est loci difficilis, nondum ab ullo, quem sciam, explanati sensus. Nam certe Sallustio non fuit consilium dicere, ut putant Cortius et Crispinus, Metellum reliqua consulatus munia minime curavisse, quia sibi cum collega communia erant; quæ hercle parum honesta laudatio fuerit. Honestius interpretatur *Dureau Delamalle* : « *Sans négliger aucune des autres fonctions qui lui étaient communes avec son collègue.* » Sed difficile est hoc e latinis verbis elicere. Quid? quod Rupert. *alia* intelligit, *diversa*, *contraria*; quia scilicet Silano Gallia, Metello Numidia obvenerat. Erroris causa, quod non attenderunt *formulam* esse ALIA OMNIA; de qua vid. Plin. Ep. VIII, 14. Cic. Ep. I, 2.

4. *Arma*, *tela.* Ubi hæ voces conjunguntur, *arma* potius notant quæ ad defendendum; *tela*, quæ ad vulnerandum usui sunt. Vid. Catilin. LI, n. 52. — *Instrumenta militiæ.* Quidquid ad instruendum rebus necessariis exercitum opus est. — *Bello vario.* Cujus multiplices sunt vices, ob locorum hostisque naturam.

5. *Senati auctoritate.* Videlicet senatus Latinis, sociisque Italicis auxilia imperabat; socii reges ultro mittebant. — *Mittere... adnitebatur.* Sallustiana *modorum* permutatio, ut Cat. XXI, *laudare...*, *admonebat*: sup. XV, *contemnere*, *extollere...*, *nitebantur.*

id tempus in Numidia nostræ opes contusæ, hostiumque auctæ erant.

XLIV. Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur a Sp. Albino proconsule iners, imbellis, neque periculi neque laboris patiens, lingua, quam manu, promtior, prædator ex sociis, et ipse præda hostium, sine imperio et modestia habitus[1]. Ita imperatori novo plus ex malis moribus sollicitudinis, quam ex copia militum auxilii, aut bonæ spei accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam et æstivorum tempus comitiorum mora imminuerat[2], et exspectatione eventi civium animos intentos putabat, non prius bellum attingere, quam, majorum disciplina, milites laborare coegisset[3]. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculsus, postquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis æstivorum in imperio fuit[4], plerumque milites stativis castris habebat; nisi quum odos[5], aut pabuli egestas locum mutare subegerat. Sed

Cap. XLIV. 1. *Sine imperio et modestia habitus.* Ita habitus ut non ducis *imperio* pareret, neque ipse miles *modestiam* ullam et verecundiam haberet. Confer Catilin. XI: « L. Sulla exercitum.... contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter *habuerat.* »

2. *Æstivorum tempus comitiorum mora imminuerat.* Ad cap. XXXVII, notavimus, inito jam anno 645, Metellum consulem creatum fuisse. Atqui primos ejusdem anni menses consumpserat Auli clades, factum et rescissum fœdus, militum ceterarumque rerum comparatio et transvectio in Africam. Ea igitur mora brevius fecit tempus æstivorum, id est, rerum in bello per æstatem gerendarum.

3. *Laborare coegisset.* Gruter. in tribus MSS., Cort. in duobus, invenerunt *labore*, unde proponunt, *labore coercuisset.* Quidni servetur, *labore coegisset*, eodem prorsus sensu, quo, *coercuisset*, *in officium et disciplinam redegisset?* Nostri omnes, *laborare.*

4. *Quantum temporis æstivorum in imperio fuit.* Nempe Albinus anni superioris consul, quem supra, XXXIX, in Africam rediisse post fratris cladem legimus, imperium, donec advenisset Metellus, retinuerat, et in provincia romana remanserat. — *In stativis castris.* Stativa castra dicuntur, in quibus diutius commoratur, et quasi fixam *stationem* habet exercitus.

5. *Odos.* Qui, congregatis in eodem loco multis hominibus, jumentis pecoribusque, oriri et morbos gignere solet.

neque muniebantur[6], neque more militari vigiliæ deducebantur : uti cuique lubebat, ab signis aberat. Lixæ[7] permixti cum militibus die noctuque vagabantur; et palantes agros vastare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum prædas certantes agere, eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio, et aliis talibus; præterea frumentum publice datum[8] vendere; panem in dies mercari : postremo, quæcumque dici aut fingi queunt ignaviæ luxuriæque probra, in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius[9].

XLV. Sed in ea difficultate Metellum non minus, quam in rebus hostilibus, magnum et sapientem virum fuisse comperior : tanta temperantia inter ambitionem sævitiamque moderatum[1]. Namque edicto primum adjumenta ignaviæ sustulisse; ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum venderet; ne lixæ exercitum sequerentur ; ne miles gregarius in castris, neve

6. *Neque muniebantur*. Vid. var. lect. p. 537.

7. *Lixæ*. Lixæ sunt qui exercitum sequuntur quæstus gratia, inquit Festus. Nonius vero : « Lixarum proprietas hæc est, quod officium sustineant militibus aquæ vehendæ. *Lixam* namque *aquam* veteres vocaverunt; unde *elixum* dicimus, *aqua coctum*. » Et Vossius quidem ab *elixando*, seu coquendo cibum militibus, malit deducere. Utique lixæ servorum ministerium in exercitibus præstabant. Quod ad etymologiam attinet, ne miremur aquam *lixam* dictam fuisse, quum ab eadem origine sit *liquor* cum omnibus derivatis.

8. *Frumentum publice datum*. Scil. non panem quotidie militibus distribuebant, sed in singulos plerumque menses admetiebantur quatuor unicuique pediti frumenti modios (Lips. ad Polyb. v, Dial. xvi), id est octoginta fere libras romanas (Plin. xviii, 7); seu nostrarum librarum, ex æstimatione clar. vir. *Letronne*, tres et quinquaginta, paulo amplius.

9. *Et alia amplius*. Et alia, quæ nec dici, nec fingi possunt. Imitatur Thucyd. iii, 81 : Καὶ εἴον φιλεῖ ἐν τῷ τοιούτῳ γίγνεσθαι, οὐδὲν ὅ τι οὐ ξυνέβη, καὶ ἔτι πιραιτέρω.

Cap. XLV. 1. *Inter ambitionem ..... moderatum*. Ne hic *ambitionem* intellige imperii cupiditatem, sed aucupationem militaris favoris ; quæ fit nimia indulgentia et delictis ignoscendo. Eodem sensu Tullius, Ep. ad Quint. i, 1 : « Quum ii mores tantum jam ad nimiam lenitatem et *ambitionem* incubuerint. » Igitur Metellus magna *temperantia*, id est sapienti *temperamento* medium iter tenuit, nimiam sævitiam inter et ambitiosam favoris lenitatem.

in agmine servum aut jumentum haberet[2]: ceteris arte modum statuisse[3]. Præterea transvorsis itineribus quotidie castra movere, juxta ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere, et ipse cum legatis circumire: item in agmine, in primis modo, modo in postremis, sæpe in medio adesse; ne quispiam ordine egrederetur, uti cum signis frequentes incederent, miles cibum et arma portaret. Ita prohibendo a delictis, magis quam vindicando, exercitum brevi confirmavit.

XLVI. Interea Jugurtha, ubi, quæ Metellus agebat, ex nunciis accepit, simul de innocentia[1] ejus certior Romæ factus, diffidere suis rebus: ac tum demum veram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis[2] mittit, qui tantummodo ipsi liberisque vitam pe-

2. *Servum aut jumentum haberet.* Salmasius ad Spart. Adrian. XIII, « Servorum, inquit, in castris romanis magna multitudo; calonum, inquam, lixarumque..... Hi per incuriam disciplinæ magno numero in castra semper inducti, qui munus facerent, vallum portarent, fossam ducerent. Prioribus sane temporibus, et stante adhuc disciplina rari in castris servi, nec nisi dignioruum ducum tribunorumque; postea vero labantibus moribus plures pene servi quam milites, ita ut ne gregarius quidem ullus sine servo. » Antea quoque hoc malum e castris suis reciderat, *jumentaque omnia, ne exonerarent militem*, vendiderat Africanus minor, teste Livii epitome, LVII.

3. *Ceteris arte modum statuisse.* Aliis quam gregariis militibus, *arctum modum statuit* servos et jumenta secum ducendi, id est, providit ut quam paucissimos ducerent. *Arte*, pro *arcte*, usurpare solet Sallustius. Catilin. LIX: *Reliqua signa* artius *collocat.* Et passim. Mirus eorum error, qui interpretantur ARTE, *avec adresse.*

CAP. XLVI. 1. *Innocentia.* Pecuniæ abstinentia. Opponitur *avaritiæ.* Vide Catil. LIV, n. 11.

2. *Cum suppliciis.* In Catil. LI, *supplicia* dixit supplicantium preces. Hic interpretes omnes intelligunt non modo preces, sed etiam omnem supplicum apparatum; in quo præcipue erat ramus olivæ lana candida circumdatus, Græcis ἱκετήριος κλάδος. Vid. Soph. Œdip. Tyr. vers. 3, ubi scholiastes: Στέμμα δὲ ἐστί τὸ προσειλημένον ἔριον τῷ θαλλῷ. Unde Virgil. Æn. XI, 100:

Jamque oratores aderant ex urbe latina
Velati ramis oleæ veniamque rogantes.

Idem VII, 237:

Præferimus manibus vittas et verba precantum

Item Liv. XXIX, 16: « Decem legati Locrensium, obsiti squalore et sordibus, in comitio sedentibus consulibus velamenta supplicum, ramos

terent, alia omnia dederent populo romano. Sed Metello jam antea experimentis cognitum erat genus Numidarum infidum, ingenio mobili, novarum rerum avidum. Itaque legatos, alium ab alio divorsos[3], aggreditur; ac paullatim tentando, postquam opportunos cognovit, multa pollicendo persuadet, uti Jugurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent: ceterum palam[4], quæ ex voluntate forent, regi nunciare jubet. Deinde ipse paucis diebus, intento atque infesto exercitu[5], in Numidiam procedit: ubi, contra belli faciem, tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant; ex oppidis et mapalibus[6] præfecti regis obvii procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare, postremo omnia, quæ imperarentur, facere. Neque Metellus idcirco minus, sed pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis signa[7] ostentui

eles, ut Græcis mos est, porrigentes, ante tribunal cum flebili vociferatione humi procubuerunt. »

3. *Alium ab alio divorsos.* Singulos separatim. — *Opportunos.* Suis consiliis inservire paratos. Sup. XX, *opportunum injuriæ* dixit, qui patet injuriæ; hic *opportunos* dicit, qui patent corruptelæ. — *Maxume vivum.* Præsertim vivum. Vid. quod de adverbio *maxume* notavimus, XIV, n. 3.

4. *Ceterum palam, etc.* Scil. alia cum legatis pacisciturr, alia Jugurtha renuntiari jubet. Ergo regi mortem aut vincula secreto machinatur, palam conditiones pacis imperat optimus fere Romanorum illis temporibus. Certe non ad has artes descendissent Fabricii et Camilli; natisedenim melioribus annis.

6. *Intento atque infesto exercitu. Intentus* dicitur exercitus, in quo omnia ad vim repellendam et cavendas insidias parata, militumque animi ad rem strenue gerendam *intenti* sunt. *Infestus* vero, qui hostiliter aggreditur.

6. *Ex oppidis et mapalibus.* Supr. XVIII, n. 11, *mapalia* vocavit casas Numidarum. Hic quum *tuguria*, *oppida* et *mapalia* confungantur, *tuguria intellige* singulas casas; *oppida*, urbes munitas; *mapalia*, vicos agrestes et apertos.

7. *Illa deditionis signa, etc.* « Metellus *credere*, id est, credebat illa deditionis signa non vera, sed ostentui tantum esse, et Numidas *insidiis locum tentare*, id est, occasionem quærere Romanos in insidias adducendi. » Gronovius et Bip. contra MSS. *tentari* pro *tentare*. Sed, ne te moveat durior ellipsis, vide quæ notavimus ad cap. XXXV, n. 4. Adde Liv. 1, 1: « In ceteros sæviatum esse Trojanos;... Æneas Antenoreque

credere, et insidiis locum tentare. Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum et sagittariorum[8] delecta manu apud primos erat : in postremo C. Marius[9] legatus cum equitibus curabat : in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum[10] et præfectis cohortium dispertiverat, uti cum his permixti velites[11], quocumque accederent, equitatus hostium propulsarent. Nam in Jugurtha tantus dolus, tantaque peritia locorum et militiæ erat, uti, absens an præsens, pacem an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur.

XLVII. Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vacca, fo-

omne jus belli *Achivos abstinuisse.* » Similis fere constructio; nisi quod Sallustius subaudisset *Achivos*. Adde Catil. LI : « Ubi factiones valuere, *circumvenire innocentes;* alia hujuscemodi *fieri* cœpere ; » quam veram esse lectionem ostendimus in variis lection. Atque illic habent omnes nostri MSS. *circumvenire*, ut hic *tentare*, et infra, CXIV, *certare*.

8. *Funditorum et sagittariorum.* Funditores lapides aut glandes plumbeas funda jaciebant. Ii Romanis erant inter auxiliares copias; plerique ex insulis Balearibus desumpti, de quibus vide Liv. XXVIII, 37. — *Sagittarii* quoque auxiliares post secundum bellum Punicum fuere, e Cretensibus, Thracibusque et aliis gentibus collecti.

9. *C. Marius.* Hic primum nominatur vir ille qui consul hoc bellum perfecit, Italiam Cimbrorum Teutonumque metu liberavit, nobilium potentiam protrivit, mox ipse a Sylla proterendus, qui legatus Mario, ut Metello Marius, in bello Jugurthino fuerat. — *In postremo,... curabat.* Extremum agmen ducebat. *Curare* proprium verbum esse notatum est ad Catil. LIX, n. 7.

10. *Tribunis legionum.* Vidimus supra, XXXVIII, n. 8, qui sint *centuriones*, eosque singulis ordinibus seu centuriis præfuisse. *Tribuni* vero tres a Romulo creati; deinde sex in legione fuerunt, quorum bini per alternos duos menses toti legioni imperabant; (Lipsius, Mil. Rom. II. 9). — *Præfectis cohortium.* Præfecti auxiliarium cohortium ejusdem apud eas dignitatis erant, cujus in legionibus tribuni.

11. *Velites.* Genus militum levis armaturæ in subsidium equitatus inventum. Sedebant hi post equites, perniciterque signo dato desiliebant, prout res postulabat, equites vicissim iidemque pedites. Institutum ut velites in legionibus essent, quum Capua obsideretur in secundo bello Punico; Liv. XXVI. 4. Memorat quidem Liv. XXIV, 34, *velites*, in obsidione Syracusarum. Sed illic intelligendi sunt, latius patente sensu, *levis armaturæ milites*.

rum[1] rerum venalium totius regni maxume celebratum; ubi et incolere, et mercari consueverant italici generis multi mortales. Huc consul, simul[2] tentandi gratia, et si paterentur opportunitates loci, præsidium imposuit: præterea imperavit, frumentum, et alia quæ bello usui forent comportare; ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeantium juvaturum exercitum, et jam paratis rebus munimento fore. Inter hæc negotia Ju-

Cap. XLVII. 1. *Forum.* Forum dicitur non modo patens in urbe locus, sed ipsa urbs vel oppidum, quo vel in jus eundi, vel mercaturæ faciendæ, vel omnino negotiorum causa frequentes homines conveniebant.

2. *Huc consul simul, etc.* Hunc locum misere vexatum et varie corruptum ab interpretibus, a verbis *huc consul*, usque ad *munimento fore*, integre expressimus, qualis est in nostrorum MSS. antiquissimo, nisi quod habet *commeantum*, nos vero damus *commeantium*, cum uno e Cortianis. Haverc. *commeatum;* reliqua ut in nostro. B, C, D, E, ut Haverc. Tres e Cortianis, *commeatuum.* Sensus est: « Huc consul, simul *Jugurtham* tentandi gratia, *an hoc lentus spectaret;* et simul, si paterentur opportunitates loci, præsidium *impositurus, duxit exercitum, præsidiumque* imposuit » Facile est videre in animo habuisse auctorem, quod typis italicis supplevimus. Ea currit velocitate stylus, ut iisdem simul *consilium imponendi præsidii* et *præsidium impositum* declaret. Similis fere ellipseos exemplum ex Orat. Philipp. Fragm. I: « Vos mussantes et retractantes, verbis et vatum carminibus, pacem optatis magis, quam defenditis; » ubi dicere voluit: « Vos.... verbis *tantum* et vatum carminibus pacem *defenditis; imo*, optatis magis quam defenditis. » Et in Catil. LVIII: « Nos pro patria.... certamus; illis supervacaneum est, etc. » ubi adnotata vide. Sed similius hoc Lepidi, Fragm. I, contra Syllæ tyrannidem: « Vereor ne, alius alium principem exspectantes, ante capiamini, etc.; » quæ etiam vide. Sed ad Metellum redeamus. « Ille præterea imperavit *vicinæ regionis incolis* frumentum... *huc* comportare. » Non videmus cur hic infinitivum *comportare* recidat Cortius. Quum enim Vaccæ præsidium imponeret, rationi consentaneum est, huc advehi jussisse frumentum. Præsidium autem Vaccæ imposuit « ratus frequentiam negotiatorum, *qui hic habitabant*, et commeantium, id est, ceterorum mercatorum qui huc frequentes aliunde *commeabant*, utilem exercitui futuram, *res quibus carebat suppetendo*, et præterea *hoc oppidum* munimento fore rebus jam paratis. »

Nunc duo restant offendicula in uno verbo *juvaturum;* 1° quod rarum est. At certe occurrit in Plin. Epist. IV, 15: « Ut illum.... omni ope, labore, gratia simus *juvaturi.* » 2° Quod non in feminino genere, propter *frequentiam.* Sed infinitivus est, ab omni necessitate generum ab-

gurtha impensius modo[3] legatos supplices mittere, pacem orare; præter suam liberorumque vitam, omnia Metello dedere: quos item, uti priores, consul illectos ad proditionem domum dimittebat: regi pacem, quam postulabat, neque abnuere, neque polliceri; et inter eas moras promissa legatorum exspectare.

XLVIII. Jugurtha ubi Metelli dicta cum factis composuit, ac se suis artibus tentari animadvortit; (quippe cui verbis pax nuntiabatur; ceterum re bellum asperrumum erat, urbs maxuma alienata[1], ager hostibus cognitus, animi popularium tentati;) coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. Igitur explorato hostium itinere, in spem victoriæ adductus ex opportunitate loci, quam maxumas copias potest omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiæ, quam Adherbal in divisione possederat, flumen oriens a meridie, nomine Muthul;

solutus, qualia plura colligit Gell. I, 7, inter quæ hoc Cic. ex Orat. V, in Verrem: « Hanc sibi rem præsidio sperant *futurum;* » et C. Gracchi. « Credo inimicos meos hoc dicturum. » Ubi affirmat ille *bonos libros violare*, quicumque rescribunt *futurum* et *dicturos*. Ceterum qui malit *commeatuum*, eodem fere modo, quo *commeantium*, possit intelligere, sc. *homines commeantes et res ab iis advectas*. Etiam *commeatum* ferre posses, sic interpretando: *frequentiam et commeatum negotiatorum:* ita ut sit commeatus, *consuetudo huc commeandi;* et hoc quidem modo *juvaturum* accusativus masc. gen. foret. Utique sensus idem est. Elige, lector, et ignosce longiorem in re multis tentata, necdum ulli explanata, notam.

3. *Impensius modo*. Sic inf. LXXV, « Ea fuga Jugurtha *impensius modo* rebus suis diffidens. » *Impense* exponitur *valde, admodum*. Ter. Adelph. V, 9, 36: « Magis *impense* cupitis. » Ovid. Met. II, 412: « Arcadiæ tamen est *impensior* illi Cura suæ. » *Impensius modo* eadem fere analogia jungi videntur, qua *tantum modo, solum modo, dum modo, non modo;* nec adduci possum ut credam, *impensius modo* esse, ut vult Cortius, pro *impensius, quam modus esset*. Ablativus *modo*, adverbialiter sumptus, aliquid addit adjunctis adverbiis, quod non alia lingua, et ne aliis quidem ejusdem linguæ verbis, facile repræsentes. Et certe multa ejusmodi sunt in omnibus linguis.

Cap. XLVIII. 1. *Alienata*. Facta hostium, ideoque aliena, quæ prius sua esset.

a quo aberat mons ferme millia passuum XX[2], tractu pari[3], vastus ab natura et humano cultu : sed ex eo medio[4] quasi collis oriebatur, in immensum pertinens, vestitus oleastro ac mirtetis, aliisque generibus arborum, quæ humi arido atque arenoso[5] gignuntur. Media autem planities deserta, penuria aquæ, præter flumini propinqua loca : ea consita arbustis pecore atque cultoribus frequentabantur.

XLIX. Igitur in eo colle, quem transvorso itinere[1]

2. *Millia passuum* XX. Quæ conficiunt, gallico *metro* æstimata, 14830 *toises*, i. e. septem fere leucas; (v. *Adam, Ant. rom*). Existimant multi, in quibus *Debrosses*, lapsum esse librarium in notis quæ numerum indicant : difficile enim esse Rutilium, uno die, transiisse montem, viginti millia passuum emensum esse, castra posuisse, et cum Bomilcare pugnasse, ut dicetur inf. LIII. Respondet autem Cortius, ex Veget. I, 9, militari gradu XX millia passuum, horis quinque duntaxat æstivis (quæ longiores hibernis sunt) confici; non amplius ergo mirandam esse Rutilii celeritatem, qui præsertim cum expeditis cohortibus et equitatu præmissus fuisset. Adde rem in noctem, idque æstivo tempore, protractam fuisse. Judicet lector rei militaris peritus.

3. *Tractu pari*. Sc. mons in eamdem partem extendebatur, qua flumen decurrebat; sive, mons et fluvius inter se *paralleli* erant. — *Vastus*. Vacuus et nudus. — *Ab natura et humano cultu*. Quod ad naturam et ad culturam attinet. Sic Cic. Ep. X, 15, *ab equitatu firmus*.

4. *Ex eo medio*. Hoc *De Brosses* interpretatur, *ex medio illo spatio*, quod est flumen inter et montem. Melius, *e medio monte*, dummodo non intelligas medium montis altitudinem, quod absurdum foret; neque dimidium longitudinis, quam videlicet decempeda non permensus est auctor; sed locum quemlibet e latere montis ad flumen verso. Igitur ex eo montis latere initium capiebat *quasi collis*, i. e. locus in collis modum editus, qui a monte ad flumen recta procedens in immensum porrigebatur.

5. *Humi arido atque arenoso*. In ea parte, vel *in eo humi*, *quod* aridum et arenosum est. Ita dicitur, *ardua montium*, *opaca viarum* (Virg. Æn. VI, 633); *lubrico viæ* (Tac. Hist. II, 88). Subintelligi potest *solo*, ut vult Scioppius ad Sanctii Minerv. IV, 4. Sed ne id quidem necessarium est, quum adjectivum, in neutrali genere positum, non minus apertam, et latius patentem, quam substantivum quodlibet, notionem exhibeat. — *Media... planities*. Planities quæ inter montem a tergo, collem a dextra, et fluvium a fronte extenditur.

Cap. XLIX. 1. *Transvorso itinere porrectum*. Transversim a monte ad flumen procurrentem, mediumque

porrectum docuimus, Jugurtha, extenuata suorum acie[2], consedit : elephantis et parti copiarum pedestrium Bomilcarem præfecit; eumque edocet, quæ ageret : ipse propior montem[3] cum omni equitatu pedites delectos collocat : dein singulas turmas atque manipulos[4] circumiens monet atque obtestatur, uti memores pristinæ virtutis et victoriæ seque regnumque suum ab Romanorum avaritia defendant; cum his certamen fore, quos antea victos sub jugum miserint : ducem illis, non animum mutatum; quæ ab imperatore decuerint[5], omnia suis provisa : locum superiorem, uti prudentes cum imperitis, ne pauciores cum pluribus, aut rudes cum bello melioribus manum consererent. Proinde parati intentique essent, signo dato, Romanos invadere : illum diem aut omnes labores et victorias confirmaturum, aut maxumarum ærumnarum initium fore. Ad hoc viritim, uti quemque, ob militare facinus, pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii sui, et eum ipsum aliis ostentare; postremo, pro cujusque ingenio, pollicendo, minitando, obtestando,

spatium rectis fere angulis secantem. Vox *itinere* dicta est sine ullo respectu iter facientium, nec aliud valet *transvorso itinere*, quam *transvorso tractu;* contra quod de monte dixit, *pari tracta*.

2. *Extenuata suorum acie*. Diducta et latius extenta fronte, quæ res *tenuiores* et minus confertos ordines facit. Livius, v, 38, nullum de hoc verbo dubium relinquit : « Nec tamen æquari frontes poterant, quum *extenuando* infirmam et vix cohærentem mediam aciem haberent. »

3. *Propior montem*. Supple, *ad*. sic Catil. XI : « Quod tamen vitium *propius virtutem* erat. »

4. *Turmas atque manipulos*. Scite notat *De Brosses* hæc romana nomina parum proprie dici de Numidarum copiis. De hoc vide quæ notavimus supra, cap. XII.

5. *Quæ ab imperatore decuerint*. Supp. *provideri*. Providit nempe, ut Numidis locus superior esset; ut *prudentes cum imperitis*, id est, scientes locorum cum ignaris pugnarent; denique ut hostibus seu numero, seu belli peritia, inferiores non essent. Hoc enim sibi vult, *ne pauciores cum pluribus, aut rudes cum bello melioribus etc.* Unde conjicere licet non modo multos, sed etiam veteres exercitatosque milites in hanc expeditionem secum duxisse.

alium alio modo excitare : quum interim Metellus, ignarus hostium, monte degrediens cum exercitu, conspicatur[6]. Primo dubius, quidnam insolita facies ostenderet, (nam inter virgulta equi Numidæque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset[7]; quum natura loci, tum dolo, ipsi atque signa militaria obscurati[8]); dein, brevi cognitis insidiis, paullisper agmen constituit. Ibi commutatis ordinibus[9],

6. *Quum interim Metellus... conspicatur.* Huc usque ostendit Sallustius Jugurtham suos in insidiis collocantem, universos adhortantem, monentem singulos, omnia denique ad opprimendos ex improviso hostes parantem. Nunc alteram veluti picturæ partem exhibet : Metellum nempe, dum hostium ignarus e monte degreditur cum exercitu, *conspicantem* aliquid in subjecto colle, dubium primo quid illud sit, mox cognoscentem insidias, suosque pro re ac tempore instruentem. Recte dixit, *conspicatur*, sine accusativo. Nesciebat enim adhuc Metellus, quid conspicaretur. Ceterum habent omnes MSS. *cum exercitu conspicitur.* Sed Donatus ad Terent. Eun. II, 3, 92, *despicatam* ait esse ab eo verbo quod est *despicor*, ut *conspicor*. Deinde, ut verbi *conspicor* exemplum afferat, hunc Sallustii locum exscribit. Atqui Donatus, qui in quarto sæculo scribebat, auctoritatem habet, omnibus Sallustii MSS. antiquiorem. Adde verbum, *conspicatur*, ad universam rei descriptionem multo accommodatius esse, quam *conspicitur*. Nam non assentior Crispino, qui vult, *conspicatur*, passive intelligi.

7. *Incerti, quidnam esset.* Vocem, *incerti*, non ad Romanos sed ad Numidas refer; eam videlicet passive sumendo, quasi esset, *ignorati, non visi. Certus* enim a *cerno* deducitur, resque *incerta*, res est *non bene et distincte visa;* ita ut vera et prima hujus adjectivi significatio passiva sit, nec nisi per hypallagen activè sumatur. Ceterum hæc Sallustiana locutio *græco fonte cadit parce detorta.* Græcum enim est ἄδηλοι τίποτε εἶεν, *incerti quidnam essent;* pro quo dixit, *incerti quidnam esset*, ἄδηλοι τίποτε τοῦτ' εἴη. Sic Græcos ex parte tantum imitatus est, cap. XXXIV : *quæ ira fieri amat,* pro eo quod græce esset, εἰα φιλεῖ ἐν ὀργῇ γίγνεσθαι.

8. *Ipsi et signa militaria obscurati.* Quia propter dolum locique naturam, et homines et signa militaria non nisi obscure conspiciebantur. — *Constituit.* Consistere jussit.

9. *Commutatis ordinibus.* Ex cap. XLVI, conjicere licet exercitum uno agmine incedere (*l'armée marchait sur une seule colonne*). Igitur cujusque legionis ordines, 1° hastatorum, 2° principum, 3° triariorum, ad planitiem fluviumque conversi, et se invicem subsequentes, prodibant. Sed eos, conspectis Numidis, commutat Metellus, i. e. a

in dextero latere, quod proxumum hostes erat, triplicibus subsidiis aciem instruxit : inter manipulos funditores et sagittarios dispertit : equitatum omnem in cornibus

fronte ad dextrum latus, quia ab dextra hostis erat, convertit. Sic conversos ita instruit, ut omnes hastati prima acies essent; omnes principes, secunda; omnes triarii, tertia; (v. Lipsium, de Milit. Rom. v, 12, et ibi locum Polybii). Hoc est quod vocat *triplicibus subsidiis* (*sur trois lignes*).

Præterea levis armaturæ milites in manipulorum intervallis, equites partim in dextro cornu, montis cacumen versus, partim in sinistro, propius planitiem, collocat. Denique sic aciem instruit, quasi illico pugnandum foret, hostesque e regione instructi essent. Mox, ut rursus procedat agmen, unumquemque militem ad lævam converti jubet, planitiemque spectare. Ita exercitus omnis, triplici agmine incedens, monte degreditur : ita etiam quæ frons erat stantis et quasi ad pugnam instructi exercitus, incedentis latus fit. Ideo dixit *transvorsis principiis*. Et quidem, ut paulo ante *subsidia* (qua voce vulgo notatur, quod est post primam aciem), sic hoc loco *principia* (quæ proprie sunt prima acies) non stricto sensu accipi debent. Imo quum *transversis principiis* agmen incedit, tum intelligendum est a fronte ad lævam obverti non primam tantum aciem, sed secundam quoque et tertiam, atque, ut gallico sermone rem exponam, *dans cette marche de flanc, les rangs deviennent files*. Hæc vero omnia sic disponit eo consilio, ut, postquam in campum colli Numidisque subjectum devenerit, unoquoque homine se in dextram rursus convertente, frons ut ante fieret, quod in agmine latus erat; sicque simul gradum sisterent, simul acies ad pugnam instructa foret. — *In dextro latere*. Cave ne cum quibusdam hoc intelligas, *à son aile droite*. Nam incedentis adhuc exercitus non erat dextrum et sinistrum CORNU, sed dextrum et sinistrum LATUS (*le flanc droit et le flanc gauche*). Tunc demum *cornua* seu *alæ* fuerunt, postquam Metellus aciem in monte instruxerat. Tum quoque, ut mox videbitur, et necesse erat, agmine *transversis principiis* incedente (*dans une marche de flanc*), sinistrum cornu primum agmen fuit. — *Triplicibus subsidiis*. Ut non mireris hoc intelligi, *sur trois lignes*, attende hac dictione positionem ordinum inter se, quatenus alter alteri posterior est, hoc loco indicari; sicut mox (in *transvorsis principiis*) vox *principia* eorumdem positionem indicat, quatenus hosti frontem obvertere finguntur.

In hac difficillimæ rei interpretatione sequuti sumus, quod ad rem bellicam attinet, doctissimam adnotationem, quam ad usum gallici interpretis *De Brosses* conscripsit vir fortissimus, et in romanæ militiæ historia, ut qui maxime, versatus, *M. le lieutenant colonel de dragons Cortois de Charnailles*. Ceterum quod diximus, milites in ejusmodi agmine nunc ad dextram, nunc ad sinistram, ubi quid hos-

locat : ac pauca pro tempore milites hortatus, aciem, sicuti instruxerat, transvorsis principiis, in planum deducit.

L. Sed ubi Numidas quietos, neque colle degredi animadvortit; veritus ex anni tempore et inopia aquæ, ne siti conficeretur exercitus, Rutilium[1] legatum cum expeditis cohortibus et parte equitum præmisit ad flumen, uti locum castris antecaperet : existumans, hostes crebro impetu et transvorsis præliis[2] iter suum remoraturos, et quoniam armis diffiderent, lassitudinem et sitim militum tentaturos. Dein ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paullatim procedere : Marium post principia habere[3] : ipse cum sinistræ alæ equitibus esse, qui in agmine principes[4] facti erant. At Jugurtha, ubi ex-

tile ingrueret statim converti, et uno motu in justam aciem instrui, confirmat, loco jam dicto, Polybius ipsissimis verbis, Ἐπειδὰν προσπίπτῃ τι τῶν δεινῶν, ποτὲ μὲν παρ' ἀσπίδα κλίναντες, ποτὲ δ' ἐπὶ δόρυ. Et paulo inferius : Λοιπὸν ἐν βραχεῖ χρόνῳ καὶ μιᾷ κινήσει, τὸ μὲν τῶν ἐπλιτῶν σύστημα λαμβάνει παρατάξεως διάθεσιν.

Cap. L. 1. *Rutilium.* P. Rutilius Rufus, Mucii Scævolæ jurisconsulti, et Panætii stoici discipulus, in corrupto sæculo vir innocentissimus fuit. De ejus laudibus multa Cicero, in Brut. xxx, et de orat. I, 53. Quum quæstor in Asia provinciales homines a publicanorum injuriis defendisset, ipse repetundarum accusatus damnatusque est. Quippe accusatores simul et judices habuit equites romanos, qui vectigalia in provinciis, Romæ judicia exercebant. Rutilius exul Smyrnæ reliquam ætatem egit, revocatusque a Sylla redire noluit, ne, quæ tum nefaria fiebant, comprobare videretur; (Senec. de Prov. III). Is Mitylenis erat, crudelitatemque Mithridatis, vestitu græco indutus, fefellit, quum ille togatos omnes, uno die, tota Asia, interfecit; (Cic. pro Rab. Post. x).

2. *Transvorsis præliis.* Agminis incedentis latus transversum aggrediendo, ita tamen ut cum totis copiis in aciem non descendant.

3. *Marium post principia habere.* Verisimile est *principia*, hic ut alibi, esse aciem hastatorum quæ, quamvis hosti latus obverteret transversim incedens, non ideo minus prima acies, simul ac frontem vertere juberetur, futura erat; Marium igitur inter hastatos et principes, in medio fere exercitu incedere, dum imperator ipse Metellus toti agmini præiret. Sunt tamen, qui *principia* h. l. intelligant, *la tête des colonnes.*

4. *In agmine principes.* Hic *principes* non intellige id militum genus, cui hoc nomen erat, sed eos qui primi incedebant.

tremum agmen Metelli primos suos[5] prætergressum videt, præsidio quasi duum millium peditum montem occupat, qua Metellus descenderat; ne forte cedentibus adversariis receptui, ac post munimento foret. Dein, repente signo dato, hostes invadit. Numidæ, alii postremos cædere[6]; pars a sinistra ac dextera tentare; infensi adesse atque instare; omnibus locis Romanorum ordines conturbare. Quorum etiam qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant, ludificati incerto prælio[7], ipsi modo eminus sauciabantur; neque contra feriundi, aut manum conserendi copia erat: antea jam docti ab Jugurtha equites, ubicumque Romanorum turba insequi cœperat, non confertim, neque in unum sese recipiebant, sed alius alio quam maxume divorsi. Ita numero priores[8], si a per-

5. *Primos suos. Primi* Jugurthæ erant, quos propius montem positos *primos* prætergrediebantur Romani, seu, aliis verbis, lævum barbari exercitus cornu. Nam si *primos* intelligeres dextrum cornu, longius a monte remotum, irritæ essent insidiæ, et illæsus transiisset Romanus. — *Quasi duum millium.* Fere duum millium; quo sensu Suet. Calig. LVIII: *hora* quasi *septima.*

6. *Postremos cædere.* Numidæ cædunt eos, qui in agmine postremi erant. Nam incedebant adhuc Romani, quum fit a barbaris impetus. — *Pars a sinistra ac dextra tentare.* Hic intelligendum est, quod non dicit Sallustius: scilicet Romanos illico substitisse frontemque colli obvertissse, ita ut derepente acies adversus hostem instructa fuerit. Sic *sinistra ac dextra* hic erunt, lævum ac dextrum jam stantis et pugnantis exercitus cornu.

In toto hoc loco, interpretem super. cap. laudatum sequimur. Ceterum quærere posset aliquis, cur omnibus locis Romanorum *ordines conturbentur*, quum omnia a Metello provisa fuerint. Nec ego quidem video quid responderi possit, nisi, quod modo dictum est, Metellum quidem existimasse hostes *iter suum crebro impetu remoraturos*, sed subitum universi exercitus impetum minime exspectavisse; nec mirum esse, si tanta vis tam vasti incursus Romanos commoverit. Adde martem communem et eventus belli varios.

7. *Incerto prælio.* Incertum vocat prælium, quia nullus ordo pugnandi ab hostibus servabatur, qui instantes vicissim et fugientes, modo eminus, modo cominus feriebant.

8. *Numero priores.* Numidæ, quorum numerus amplior erat quam Romanorum. — *Disjectos a tergo aut ab latere.* Hic *tergum* et *latus*, non totius exercitus dicitur, sed eo-

sequendo hostes deterrere nequiverant, disjectos ab tergo, aut lateribus circumveniebant : sin opportunior fugæ collis, quam campi fuerant; ea vero consueti[9] Numidarum equi facile inter virgulta evadere ; nostros asperitas et insolentia loci retinebat.

LI. Ceterum facies totius negotii varia, incerta, fœda atque miserabilis : dispersi a suis, pars cedere, alii insequi; neque signa, neque ordines observare; ubi quemque periculum ceperat, ibi resistere ac propulsare : arma, tela, equi, viri, hostes, cives permixti : nihil consilio, neque imperio agi; fors omnia regere. Itaque multum diei processerat, quum etiam tum eventus in incerto erat. Denique omnibus labore et æstu languidis, Metellus, ubi videt Numidas minus instare; paullatim milites in unum conducit, ordines restituit, et cohortes legionarias[1] quatuor advorsum pedites hostium collocat. Eorum magna pars superioribus locis fessa consederat. Simul orare, hortari milites, ne deficerent, neu paterentur hostes fugientes vincere : neque illis castra esse[2], neque munimentum ullum, quo cedentes tenderent : in armis omnia sita. Sed ne Jugurtha quidem interea quietus : circumire, hortari, renovare prælium, et ipse cum delectis tentare omnia : subvenire suis, hostibus dubiis instare; quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.

LII. Eo modo inter se duo imperatores, summi viri,

rum duntaxat, qui Numidas persequebantur.

9. *Ea vero consueti. Ea*, ablativ. adverbii loco positus, ut alibi *hac :* ea via ire consueti. Nisi malis pro accusativo accipere : *ad* EA *loca consueti.* — *Evadere.* Evadebant.

CAP. LI. 1. *Cohortes legionarias.* Diximus ad c. XXXVIII, cohortes in legione fuisse decem. Sed eam per cohortes divisionem a Mario tantum, et post hoc bellum inductam fuisse notat *De Brosses ;* Sallustium igitur, et Livium, quoties ante hoc tempus cohortes nominant, ex more duntaxat sui temporis loqui. Ceterum cohortes quatuor, manipulos duodecim, seu quatuor et viginti centurias complectuntur.

2. *Neque illis castra esse.* Vox *illis*, ut res ipsa indicat, ad Romanos referenda est.

certabant: ipsi pares, ceterum opibus disparibus: nam Metello virtus militum erat, locus advorsus; Jugurthæ alia omnia, præter milites, opportuna. Denique Romani ubi intellegunt, neque sibi perfugium esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri, (et jam die vesper erat[1]); advorso colle, sicuti præceptum fuerat, evadunt[2]. Amisso loco, Numidæ fusi fugatique: pauci interiere; plerosque velocitas et regio hostibus ignara[3] tutata sunt. Interea Bomilcar, quem elephantis et parti copiarum pedestrium præfectum ab Jugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius prætergressus est, paullatim suos in æquum locum deducit: ac, dum legatus ad flumen, quo præmissus erat, festinans pergit, quietus, uti res postulabat, aciem exornat; neque remittit, quid ubique hostis ageret, explorare. Postquam Rutilium consedisse jam, et animo vacuum[4] accepit, simulque ex Jugurthæ prælio clamorem augeri; veritus, ne legatus, cognita re, laborantibus suis auxilio foret, aciem, quam, diffidens virtuti militum, arte statuerat[5], quo hostium itineri officeret, latius porrigit; eoque modo ad Rutilii castra procedit.

CAP. LII. 1. *Die vesper erat. Die* pro *diei*, ut in hoc Virg. Georg. I, 208:

Libra *die* somnique pares ubi fecerit horas.

Ubi Servius notat hanc veram et antiquam esse genitivi formam, et Sallust. etiam dixisse, *dubitavit* ACIE *pars*. Adde Gell. IX, 14, qui se testatur in Sallustii *summæ fidei et reverendæ vetustatis libro*, DIE, casu patrio (i. e. genitivo) *scriptum invenisse*, scilicet, *vix decima parte* DIE *reliqua*, inf. XCVII. Præterea testatur Cortius se in pluribus MSS, hoc ipso loco legisse *die*. In nostris quidem est *diei*.

2. *Advorso colle... evadunt*. Adversum collem conscendunt. Adversum collem aggressi, *ex* imo in summum *vadunt*. Evadere enim hic non est *effugere*, sed inde, ubi sis, in superiorem locum ascensu pervenire. Sic Virg. Æn. II, 458:

Evado ad summi fastigia culminis.

Item Livius V, 47, de Gallis Capitolium scandentibus: « Tanto silentio in summum *evasere*. » Sic etiam noster inf. XCIII: « Prope ad summum montis *egressus* est. »

3. *Regio hostibus ignara*. Ignota. Vide sup. XVIII, eodem sensu, *ignara lingua*.

4. *Animo vacuum*.. Securum; nihil insidiarum timentem.

5. *Aciem quam... arte statuerat*.

LIII. Romani ex improviso pulveris vim magnam animadvortunt; nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat[1]. Et primo rati humum aridam vento agitari: post, ubi æquabilem manere[2], et, sicuti acies movebatur, magis magisque appropinquare vident; cognita re, properantes arma capiunt, ac pro castris, sicuti imperabatur, consistunt: deinde, ubi propius ventum, utrimque magno clamore concurritur. Numidæ tantummodo remorati[3], dum in elephantis auxilium putant: postquam impeditos ramis arborum, atque ita disjectos circumveniri vident, fugam faciunt: ac plerique, abjectis armis, collis, aut noctis quæ jam aderat, auxilio integri abeunt. Elephanti quatuor capti; reliqui omnes, numero quadraginta, interfecti. At Romani, quamquam itinere atque opere castrorum et prælio fessi lætique erant[4]; tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, instructi intentique obviam proce-

Arte pro *arcte;* vid. Catil. LIX, n. 4. — *Quo hostium itineri officeret.* Latius aciem porrigit, ut Rutilio reditum præcludat, si hic ad Metellum regredi velit.

Cap. LIII. 1. *Nam prospectum... prohibebat.* Hoc notat, ut intelligamus, cur non exercitum Bomilcaris, sed pulverem duntaxat, eumque *ex improviso* viderint.

2. *Æquabilem manere.* Nubem illam pulveris æquabili motu ferri, quod non accidisset, si vento tantum excitaretur. De voce *æquabilis,* vide sup. XLIII, n. 3.

3. *Remorati.* Supple *sunt,* quod in duobus nostr. MSS. legitur. *Remorati sunt,* sine casu; id est *loco steterunt,* oppositum sequentibus, *fugam faciunt.* — *Impeditos,* sc. elephantos.

4. *Fessi lætique erant.* Sic Havercamp., Cort., omnesque nostri MSS. Frustra quidam sine auctoritate proferunt, *fessi lassique;* quod, inquiunt, *lætitia* eos morari non debebat, quin obviam Metello procederent. Sed initio consilium non fuerat Rutilianis obviam Metello procedere. Imo illum in castris exspectaturi erant, ni prælium intervenisset. Ad hoc manere suadebat, simul quod itinere, opere castrorum, et prælio *fessi*, simul quod victoria *læti*, ideoque securi erant. At vero eos permovit longior Metelli mora, ne *quieti et lætitiæ* indulgerent. Processerunt igitur. — *Nam dolus Numidarum.* Hæc rationem continent, non cur *instructi intentique*, sed cur omnino processerint. Dolus Numidarum non patiebatur eos, quamvis fessos, languore, quamvis lætos, gaudio remitti.

dunt. Nam dolus Numidarum nihil languidi, neque remissi patiebatur. Ac primo, obscura nocte, postquam haud procul inter se erant, strepitu, velut hostes adventare, alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere[5]: et pene imprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque præmissi equites rem exploravissent. Igitur, pro metu, repente gaudium exortum, milites alius alium læti appellant, acta edocent atque audiunt[6]: sua quisque fortia facta ad cœlum ferre. Quippe res humanæ ita sese habènt: in victoria vel ignavis gloriari licet; advorsæ res etiam bonos detrectant[7].

LIV. Metellus in iisdem castris quatriduo moratus, saucios cum cura reficit, meritos in præliis more militiæ donat, universos in concione laudat, atque agit gratias: hortatur, ad cetera, quæ levia sunt, parem animum gerant: pro victoria satis jam pugnatum; reliquos labores

5. *Strepitu.... facere.* Rutilii et Metelli milites sibi invicem metum faciunt, eo *strepitu* qui auditur, adventantibus hostibus. Dicere poterat, *strepitu velut hostium adventantium*: sive, *strepitu, velut hostes adventarent.* Infinitivum maluit, vel quia sequitur alius infinitivus, vel quia *modus* ille habet aliquid magis incerti, ideoque ad rem accommodatior est. Sic etiam interpretare, si velis: *strepitu*, qui monere videtur *hostes adventare;* hanc enim notionem continet particula *velut.* Denique quum nomen cujuslibet casus sit infinitivus, *strepitus adventare* possit esse, *strepitus adventandi*, prælato *adventare*, propter adjunctum accusativum *hostes.* — *Facinus miserabile.* Sc. Romani adversus Romanos prope pugnaverunt.

6. *Acta edocent atque audiunt.* Confer Tac. Agr. XXV: « Quum.... sæpe iisdem castris pedes equesque et nauticus miles, mixti copiis et lætitia, sua quisque facta, suos casus attollerent etc. »

7. *Etiam bonos detrectant.* Etiam bonorum, id est, fortium virorum famam elevant. Simili forma expressam, quamvis non omnino re similem sententiam in Tac. Agr. XXVII: « Atque illi modo cauti ac sapientes, prompti post eventum ac magniloqui erant. Iniquissima hæc bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant; adversa uni imputantur. » Verissima certe utriusque auctoris sententia; sed attende quantam vim, quantamque gravitatem hoc habeat, *advorsæ res etiam bonos detrectant;* quod fere gallice diceres, *l'adversité calomnie jusqu'aux braves.*

pro præda fore. Tamen interim transfugas et alios opportunos, Jugurtha ubi gentium[1] aut quid agitaret, cum paucisne esset, an exercitum haberet, uti sese victus gereret, exploratum misit. At ille sese in loca saltuosa et natura munita receperat : ibique cogebat exercitum numero hominum ampliorem, sed hebetem[2] infirmumque, agri ac pecoris magis quam belli cultorem. Id ea gratia[3] eveniebat, quod præter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem sequitur; quo cujusque animus fert, eo discedunt : neque id flagitium militiæ ducitur; ita se mores habent. Igitur Metellus ubi videt regis etiam tum animum ferocem, bellum renovari, quod, nisi ex illius lubidine[4], geri non posset; præterea iniquum certamen sibi cum hostibus; minore detrimento illos vinci, quam suos vincere : statuit non præliis, neque acie, sed alio more bellum gerundum. Itaque in Numidiæ loca opulentissuma pergit, agros vastat, multa castella et oppida, temere munita[5] aut sine præsidio, capit incenditque; puberes interfici jubet, alia omnia militum prædam esse. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obsides; fru-

Cap. LIV. 1. *Ubi gentium.* In quo tandem loco terrarum.

2. *Hebetem.* Hebes dicitur, qui ad rem non est exercitatus, nec promptus, nec aptus.

3. *Ea gratia.* Ejus rei causa. Sic Plaut. Truc. Prol. 9 : « Sed hoc agamus, huc *qua* ventum est *gratia;* » id est, *propter quod* huc ventum est. Græce, οὗ χάριν. Nec alius est sensus dictionis *quo munere*, Virg. Georg. lib. IV, vers. 520 :

Spretæ Ciconum *quo munere* matres,

id est, *cujus rei causa* (sc. quod, *non ulli animum flexere hymenæi*) Thraciæ mulieres, ab Orpheo spretæ,

Discerptum latos juvenem sparsere per agros.

Quod notavimus, ut inter se conferrentur, *ea gratia, qua gratia,* οὗ χάριν, et illud *quo munere,* quod tantopere torsit interpretes, nec ab ipso omnium doctissimo *Heyne* intellectum est.

4. *Quod nisi ex illius lubidine, etc.* Quia maxima celeritate in loca invia, sibique, non Romanis, nota se recipiens, copiam pugnandi hostibus non faciebat, nisi quum atque ubi liberet.—*Iniquum certamen.* Non æquum; cujus rei causam statim subjungit : quia scilicet Numidæ minore detrimento vincuntur, quam Romani vincunt.

5. *Temere munita.* Munita quidem, sed levi et tumultuaria opera, sine arte et consilio.

mentum, et alia, quæ usui forent, affatim præbita: ubicumque res postulabat, præsidium impositum. Quæ negotia multo magis, quam prælium male pugnatum ab suis, regem terrebant: quippe cui spes omnis in fuga sita, sequi cogebatur[6]; et qui sua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen ex copia[7], quod optumum videbatur, consilium capit: exercitum plerumque in iisdem locis opperiri jubet: ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur; nocturnis et aviis itineribus ignoratus Romanos palantes[8] repente aggreditur. Eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur; nemo omnium intactus profugit: et Numidæ, priusquam ex castris subveniretur, sicuti jussi erant, in proxumos colles discedunt.

LV. Interim Romæ gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus: ut seque et exercitum more majorum gereret; in advorso loco[1], victor tamen virtute fuisset; hostium agro potiretur; Jugurtham, magnificum ex Auli secordia, spem salutis in solitudine aut fuga coegisset

6. *Sequi cogebatur.* Non jam fugere, et quocumque liberet, Metellum trahere poterat; sed ipse Metellum, omnia hinc inde vastantem, sequi cogebatur. Ita consilio ducis mutatæ erant vices, et ab Numidis ad Romanos translata *belli ex libidine gerendi facultas.* — *Qui sua loca defendere nequiverat. Sua* loca sunt sibi opportuna, et quæ vel optaverit ipse, vel elegerit ad pugnam. Infra LXI: «Neque Jugurtham nisi ex insidiis aut *suo loco* pugnam facere.» Horat., Epod. IX, 30: «Ventis iturus non *suis.*» — *In alienis.* In locis non sibi, sed hosti, opportunis; non a se, sed ab hoste, ad pugnam electis.

7. *Tamen ex copia.* Ex suarum rerum statu. Vide supra XXXIX, n. 8. Absurde quidam: *Ex inopia;* quod tamen in plurimas membranas irrepsit, librariorum inscitia, quorum captum superat verus *copiæ* sensus; quique semper credunt esse *multitudinem, abundantiam.* Noster etiam A h. l. habet *ex inopia;* sed, quod errorem arguit, idem habet supra dicto loco, et infra XCVIII, *ex copia rerum.* — *Exercitum plerumque.* Non adverbium, sed adjectivum est *plerumque,* ut Catil. XXIII, *pleraque nobilitas.*

8. *Romanos palantes.* Non totum videlicet Metelli exercitum, sed eos, qui per agros prædandi causa vagabantur.

Cap. LV. 1. *In advorso loco.* Sc. in itinere a monte ad flumen Muthul. — *Magnificum.* Superbientem.

habere. Itaque senatus ob ea feliciter acta dis immortalibus supplicia[2] decernere; civitas, trepida antea et sollicita de belli eventu, læta agere[3]: fama de Metello præclara esse. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis festinare; cavere tamen, necubi[4] hosti opportunus fieret; meminisse, post gloriam invidiam sequi: ita quo clarior erat, eo magis anxius. Neque, post insidias Jugurthæ, effuso exercitu prædari: ubi frumento, aut pabulo opus erat, cohortes[5] cum omni equitatu præsidium agitabant: exercitus partem ipse, reliquos Marius ducebat: sed igni magis, quam præda, ager vastabatur. Duobus locis, haud longe inter se, castra faciebant: ubi vi opus erat, cuncti aderant; ceterum, quo fuga atque formido latius cresceret, divorsi agebant. Eo tempore Jugurtha per colles sequi: tempus, aut locum pugnæ quærere; qua venturum hostem audierat, pabulum et aquarum fontes, quorum penuria erat, corrumpere; modo se Metello, interdum Mario ostendere; postremos in agmine tentare, ac statim in colles regredi; rursus aliis, post aliis minitari; neque prælium facere, neque otium pati; tantummodo hostem ab incepto retinere.

LVI. Romanus imperator ubi se dolis fatigari videt, neque ab hoste copiam pugnandi fieri; urbem magnam,

2. *Supplicia.* Supplicationes, quibus, bello feliciter gesto, gratiæ diis agi solebant. De supplicationibus, multa Cicero, in Catil. IV.

3. *Læta agere.* Civitas læta esse; quo sensu *agere* et *agitare*, tam sæpe usurpat.

4. *Necubi.* Ne alicubi; ut dicitur *ne quis*, pro *ne aliquis*. Sed non est, ut putat Cortius, *alicubi*, pro *aliquo ubi*. *Alicubi* ejusdem formæ est, qua, *tibi, sibi, ibi, ubi, alibi, nullibi*. Nec dubitabit omnia hæc ad antiquam dativi formam referre, qui *ibi*, pro *ei* legerit in hoc Virg. Æn. II, 792:

Ter conatus *ibi* collo dare brachia circum.

Et *ibus*, pro *eis* (ut *quibus*, *queis*) apud Plautum, quum alibi, tum in Mil. Glor. I, 1, 74: « Ut *ibus* dinumerem stipendium. » Sed de hoc longius disputandi non hic locus.

5. *Cohortes.* Sociorum scilicet; sin aliter, *legiones* dixisset, vel, ut LI, *cohortes legionariæ*. — *Præsidium agitabant.* Præsidio erant frumentum aut pabula quærentibus.

et in ea parte, qua sita erat, arcem regni nomine Zamam, statuit oppugnare; ratus id, quod negotium poscebat, Jugurtham laborantibus suis auxilio venturum, ibique prælium fore. At ille, quæ parabantur, a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit : oppidanos hortatur, mœnia defendant; additis auxilio perfugis, quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibant[1], firmissumum : præterea pollicetur, in tempore semet cum exercitu adfore. Ita compositis rebus, in loca quam maxume occulta discedit, ac post paullo cognoscit, Marium ex itinere frumentatum[2] cum paucis cohortibus Siccam missum; quod oppidum primum omnium post malam pugnam[3] ab rege defecerat. Eo cum delectis equitibus noctu pergit, et jam egredientibus Romanis[4], in porta pugnam facit : simul magna voce Siccenses hortatur, uti cohortes ab tergo circumveniant : fortunam præclari facinoris casum dare. Si id fecerint, postea sese in regno, illos in libertate sine metu ætatem acturos. Ac ni Marius signa inferre[5] atque evadere oppidum properavisset, pro-

Cap. LVI. *Quia fallere nequibant.* Propter metum supplicii, si in Romanorum manus venirent. Atqui in transfugas crudelissima supplicia constituebantur. Narrat Val. Max. II, 7, transfugas a Q. Fabio manibus truncatos esse; a superiore Africano, cruci affixos aut securi percussos; objectos feris ab Africano minore; elephantorum pedibus substratos a L. Paulo Æmilio. Unde hoc quoque patet, penes imperatorem arbitrium pœnæ fuisse.

2. *Frumentatum.* Frumentari est *frumentum* suis advehendum colligere. Sic dicitur *aquari*, aquam, *lignari et materiari*, lignum quærere. Inf. XCIII : « Castris aquatum egressus. » Cato, Orig. II : « Qui *aquatum* aut *lignatum* videntur ire. » Cæsar, Bel. Gall. VII, 73 : « Erat uno tempore et *materiari* et *frumentari* necesse. »

3. *Post malam pugnam.* Quæ commissa erat inter montem et flumen Muthul.

4. *Jam egredientibus Romanis.* Nempe ex urbe Sicca, quo frumentatum iverant.

5. *Signa inferre.* In eam partem signa inferebantur, in quam acies convertenda erat. Cæsar, Bel. Gall. VII, 67 : « Si qua in parte nostri laborare aut gravius premi videbantur, eo *signa inferri* Cæsar, aciemque converti jubebat. » Oppido igi-

fecto cuncti, aut magna pars Siccensium fidem mutavissent : tanta mobilitate sese Numidæ agunt. Sed milites Jugurthini paullisper ab rege sustentati[6], postquam majore vi hostes urgent, paucis amissis, profugi discedunt.

LVII. Marius ad Zamam[1] pervenit. Id oppidum in campo situm, magis opere, quam natura munitum erat, nullius idoneæ rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus, pro tempore atque loco paratis rebus, cuncta mœnia exercitu circumvenit; legatis imperat, ubi quisque curaret; deinde, signo dato, undique simul clamor ingens oritur. Neque ea res Numidas terret : infensi intentique sine tumultu manent. Prælium incipitur[2]. Romani, pro ingenio quisque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare; alii succedere, ac murum modo suffodere, modo scalis aggredi; cupere prælium in manibus facere[3]. Contra

tur exeunt, et signa adversus aggredientem Jugurtham inferunt. Ceterum *signa inferre*, absolute ut hic positum, gallice verti possit, *se porter en avant*. — *Evadere oppidum*. Cortius cum ceteris legit, *evadere oppido;* sed se malle ait *oppidum*, quarto casu, ut in hist. Fragm. I: « Gens raro egressa fines suos. » Atqui oppidum legitur in nostro A. Hoc igitur, tali auctoritate et Cortii sententia freti, reponere non dubitavimus.

6. *Paullisper ab rege sustentati*. Inf. CI: « Dum Jugurtha *sustentare* suos et prope jam adeptam victoriam retinere cupit. » Milites *sustentare* est eos exemplo, et voce, et omnibus modis retinere, ne fugiant.

Cap. LVII. 1. *Ad Zamam*. Jam notavimus, ad Catil. XL, præpositiones inveniri etiam cum nominibus urbium. Ceterum hic interpretari potes *ad*, quasi esset *apud*.

2. *Prælium incipitur*. Eodem verbo utitur Tacit Hist. v, 17: « Saxis glandibusque, et ceteris missilibus, prælium *incipitur*. » Nec certe passivum istud est contra grammaticam. Nam ut recte dicitur, *prælium incipiunt*, quidni recte quoque, *prælium incipitur ?* — *Glande*. Glans militaris est, globulus plumbeus, quem funda aliisque machinis jaciebant. — Ante verba, *alii succedere*, habent nonnulli, *evadere alii*, quod merito Cortius exagitat, nec ullus nostrorum codd. exhibet. *Succedunt* nempe, id est, appropinquant ad murum.

3. *Prælium in manibus facere*. Cominus pugnare. Dictio enim, *in manibus*, opponitur voci *eminus*, quæ proprie est, *e manibus*, ut *Cominus* est, *cum manibus*. *Prælium in manibus facere*, græce dixit Thucydides: γενομένης δ' ἐν χερσὶ τῆς μάχης.

ea oppidani in proxumos saxa volvere; sudes, pila, præterea picem sulphure et tæda mixtam[4], ardentia mittere. Sed nec illos, qui procul manserant, timor animi satis muniverat: nam plerosque jacula, tormentis aut manu emissa, volnerabant: parique periculo, sed fama impari, boni atque ignavi erant.

LVIII. Dum apud Zamam sic certatur, Jugurtha ex improviso castra hostium[1] cum magna manu invadit: remissis, qui in præsidio erant, et omnia magis quam prælium exspectantibus, portam irrumpit. At nostri, repentino metu perculsi, sibi quisque pro moribus consulunt: alii fugere, alii arma capere: magna pars volnerati, aut occisi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta, memores nominis romani, grege facto, locum cepere paullo, quam alii, editiorem: neque inde maxuma vi depelli quiverunt; sed tela eminus missa remittere, pauci in pluribus minus frustrati[2]: sin Numidæ propius

4. *Picem sulphure et tæda mixtam.* Hanc lectionem multis tuetur Cortius, et habent nostrorum C et D. Tæda, sing. numero, hic sumitur non pro una aliqua face, sed pro materia ipsa, qua *faces* seu *tædæ* fiunt. — *Ardentia.* Refer simul ad *sudes, pila, picemque* sulphure et tæda mixtam; itaque huic voci C glossam superponit, *hæc omnia.* — *Pila ardentia.* Intellige malleolos, vel potius falaricas, de quibus Liv. XXI, 9. Ceterum A totum hoc sic exhibet: « *Præterea picem, sulphure et tædam mixtam ardenti, mittere.* » Item E; nisi quod exstitit olim, et erasum est signum litteræ M, in voce *picem.* De hac lectione meminit etiam Gruterus, qui tamen edidit: « *Præterea pice et sulphure tædam mistam, ardentia mittere;* » sed, ut ait ipse, sequutus ingenii sui judicium. Nil moramur, quin et ipse suum lector sequatur, quum utique sensus constet.

Cap. LVIII. 1. *Castra hostium.* Certe Romani hostes Jugurtha erant. Hic tamen locus inter paucissimos notandus est, ubi Sallustius *suos* cives, *hostium* nomine, significet. — *Remissis.* Minus intentis, et negligenter castra custodientibus.

2. *Pauci in pluribus minus frustrati.* Quum *pauci* essent, et minus ipsi vulnerabantur, et certius in plures confertosque hostes tela intercepta remittebant. — *Frustrati.* Passive sumitur, quamvis active sæpius *frustrari.* — *Ibi vero.* Hæc affirmandi particula, *vero*, indicat fortes illos ubique viros, majorem etiam forti-

accessissent, ibi vero virtutem ostendere, et eos maxuma vi cædere, fundere atque fugare. Interim Metellus quum acerrume rem gereret, clamorem hostilem ab tergo accepit: dein, converso equo, animadvortit, fugam ad se vorsum fieri; quæ res indicabat, populares[3] esse. Igitur equitatum omnem ad castra propere mittit, ac statim C. Marium cum cohortibus sociorum; eumque lacrumans per amicitiam perque rempublicam obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hostes inultos abire[4] sinat. Ille brevi mandata efficit. At Jugurtha munimento castrorum impeditus, quum alii super vallum præcipitarentur[5], alii in angustiis ipsi sibi properantes officerent, multis amissis, in loca munita sese recepit. Metellus, infecto negotio, postquam nox aderat, in castra cum exercitu revortitur.

LIX. Igitur postero die, prius quam ad oppugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro castris agitare jubet; portas[1] et proxuma loca tribunis dispertit; deinde ipse pergit ad oppidum, atque, ut superiore die, murum aggreditur. Interim Jugurtha ex occulto repente nostros invadit. Qui in proxumo locati fuerant[2], paullisper territi perturbantur; reliqui cito subveniunt. Neque diutius Numidæ resistere

tudinem tunc ostendere, quum Numidæ propius accedebant.

3. *Populares.* Suos ipsius milites. — *Ac statim.* Nempe quia res urgebat, primo equitatum, sed *statim* post equitatum, cohortes sociorum ad castra mittit. *Statim* ergo non abundat, ut leviter attendentibus videri posset.

4. *Inultos abire.* Inultos passive sumpsit, ut Horat. Carm. 1, 2:

Neu sinas Medos equitare *inultos*
Te duce, Cæsar.

Contra active, Catil. LVIII: « Cavete *inulti* vitam amittatis. »

5. *Super vallum præcipitarentur. Super vallum* procedentes, e vallo *præcipitarentur.*

Cap. LIX. 1. *Portas.* Scil. castrorum.

2. *Qui in proxumo locati fuerant.* Qui advenienti Jugurthæ proximi fuerant. Hoc monemus, ne quis putet illud de iisdem dici, de quibus supra: *Portas et proxuma* (portis videlicet) *loca tribunis dispertit.*

quivissent, ni pedites cum equitibus permixti[3] magnam cladem in congressu facerent. Quibus illi freti, non, ut equestri prælio solet, sequi, dein cedere; sed advorsis equis concurrere[4], implicare ac perturbare aciem: ita expeditis peditibus suis hostes pene victos dare[5].

LX. Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur: ubi quisque legatus, aut tribunus curabat, eo acerrume niti[1]; neque alius in alio magis, quam in sese spem habere: pariter oppidani agere. Oppugnare, aut parare omnibus locis[2]: avidius alteri alteros sauciare, quam se-

3: *Pedites cum equitibus permixti.* Nempe pedites Numidarum, inter equitum turmas, pugnantes. Pedites hos *De Brosses*, et quidam alii putant vectos fuisse post singulos equites, velitum more, de quibus vide sup. XLVI. Hoc tamen ita fuisse non hic dicit Sallustius, nec credere suadet Autor Belli Afric. qui de simili pugna LXIX: « In Cæsaris legionarios impetum faciunt Numidæ levisque armaturæ, mirabili velocitate præditi, qui inter equites pugnabant, et una pariterque cum equitibus accurrere et refugere consueverant. »

4. *Sed advorsis equis concurrere.* Recta via, nec unquam terga vertentes, in hostem invehi.

5. *Expeditis peditibus suis hostes pene victos dare.* Quum equites Numidæ aciem Romanorum impressione sua perturbassent, eam pene victam tradebant *expeditis peditibus suis*, sive iis qui inter turmas pugnabant, sive forsan ceteris peditibus, quos post equitatum sequutos fuisse verisimile est. Sic intelligunt *victos dare* gallici interpretes. Cortius vero intelligi malit: *per expeditos suos pedites, hostes pene vincebant. Victum dare*, inquit, pro *vincere*. Terent. Phorm. v, 7, 81: « Hisce ego illam dictis, ita tibi *incensam dabo.* » Plaut. Cistel. II, 3, 51: « *Perfectum* hoc ego *dabo* negotium. » Virgil. Æneid. XII, 437:

Nunc te mea dextera bello
Defensum dabit.

Senec. Med. 528: « Scythas Pelasgis junge, *demersos dabo.* » Hæc et alia Cortius. Magis tamen placere fatemur priorem sensum. Nam quod *victum dare* accipi potest pro *vincere*, inde non sequitur, ut accipi nunquam possit pro *victum tradere alicui.*

Cap. LX. 1. *Eo acerrume niti.* Sc. romani milites.

2. *Oppugnare aut parare omnibus locis.* Sedulo animadvertendum est, quomodo diversas hujus quasi picturæ partes disponat Sallustius. Post transitionem (*eodem tempore apud Zamam... certabatur*), ostendit primo Romanos acerrime nitentes, et pro se quemque eadem vi pugnantem, qua si ab unoquoque victoria penderet; deinde oppidanos parem exhibentes ex altera parte fortitudi-

met tegere: clamor permixtus hortatione, lætitia, gemitu, item strepitus armorum, ad cœlum ferri: tela utrimque volare. Sed illi, qui mœnia defensabant, ubi hostes[3] paullulum modo pugnam remiserant, intenti prælium equestre prospectabant. Eos, uti quæque Jugurthæ res erant, lætos modo, modo pavidos animadvorteres: ac, sicuti audiri a suis aut cerni possent[4], monere alii, alii hortari, aut manu significare, aut niti corporibus; et huc illuc, quasi vitabundi, aut jacientes tela, agitare. Quod ubi Mario cognitum est, (nam is in ea parte curabat;) consulto, lenius agere, ac diffidentiam rei[5] simulare: pati Numidas

nem. Eadem partitio in sequentibus. Hinc Romani *oppugnare;* illinc oppidani defensionem *parare;* obsessi obsidentes, obsidentes obsessos *avidius sauciare quam semet tegere.* His vero separatim exhibitis, ut *sit opus simplex duntaxat et unum*, aliquid subjicit pictor *totum ponere* callidus, quod utrisque conveniat: «Clamor ad cœlum ferri; tela utrimque volare.» Hic mos est Sallustii. Exemplum vide inf. LXXVI: «At Metellus... Contra hæc oppidani... Prorsus ab utrisque...» Et alibi passim. Hoc vero monuimus ne quis ab iis deludatur, qui, quia *oppugnare* de obsessis non ita commode diceretur, *pugnare* aut *propugnare*, contra MSS. omnes reponunt. Ceterum nostræ sententiæ Cortium quoque auctorem habemus. — *Avidius alteri alteros, etc.* Sic Liv. II, 6: «Neuter, dum hostem vulneraret, sui protegendi corporis memor.»

3. *Ubi hostes.* Romani muros oppugnantes.—*Prælium equestre.* Quod pro castris committebatur.

4. *Sicuti audiri a suis aut cerni possent.* Vox *sicuti* non posse eos audiri aut cerni satis indicat. Sed vis affectus hominem extra se rapit, facitque ibi esse, ubi non est. E muris non spectant magis, quam prælio intersunt. Imo ipsi pugnare sibi videntur, idque faciunt vacuo corporis motu et inani significatione, quod suos maxime facere cupiunt, ipsique se facturos arbitrantur, si starent in acie. Sed suimet oblitos, alienisque intentos periculis mox ad propriæ salutis curam Marius revocabit. — *Sicuti.* His, quæ ante dicta sunt, satis monuimus multum errare, qui sine fide codicum, et magno sensus detrimento, *sicuti* in *sicubi* mutant. — *Niti corporibus.* Sic corpora movere, ut in hostem niti et impetum facere viderentur. — *Agitare.* Intellige rursus *corpora.*

5. *Diffidentiam rei.* Desperationem urbis occupandæ. — *Visere.* Spectare. Glossa cod. E, non absurda sane: *videre cum desiderio.* — *Adstrictis.* Non intentis modo ad spectaculum, sed toto animo affixis, et studio suorum, quasi vinculo quodam, *adstrictis.*

sine tumultu regis prælium visere. Ita, illis studio suorum adstrictis, repente magna vi murum aggreditur : et jam scalis egressi[6] milites prope summa ceperant, quum oppidani concurrunt; lapides, ignem, alia præterea tela ingerunt. Nostri primo resistere : deinde, ubi unæ atque alteræ scalæ[7] comminutæ, qui supersteterant, adflicti sunt; ceteri quoquomodo potuere, pauci integri, magna pars confecti volneribus, abeunt : denique utrimque prælium nox diremit.

LXI. Metellus, postquam videt frustra inceptum; neque oppidum capi, neque Jugurtham, nisi ex insidiis, aut suo loco[1] pugnam facere, et jam æstatem exactam esse, ab Zama discedit : et in his urbibus, quæ ad se defecerant, satisque munitæ loco aut mœnibus erant, præsidia imponit : ceterum exercitum in provinciam, quæ proxuma est Numidiæ[2], hiemandi gratia collocat. Neque id tempus, ex aliorum more, quieti aut luxuriæ concedit; sed, quoniam armis bellum parum procedebat, insidias regi per amicos tendere, et eorum perfidia pro armis uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romæ cum Jugur-

6. *Scalis egressi. Egressi*, eodem sensu (sc. *ex* imo in summum *gradiendi*), quo supra LII, *evadunt;* ubi vide quæ notav. Igitur ablativ. *scalis*, non est *e scalis*, sed *scalarum ope.* Reliquum est ut moneamus quosdam legere *aggressi.* Nostri A, B, C : *egressi.* Item Cortius e suis.

7. *Unæ atque alteræ scalæ.* Vulgo *scala* (sing. num.) est quod dicimus, ÉCHELLE; *scalæ* (plur. num.), ESCALIER. Sed interdum promiscue usurpantur. Hic ergo dixit, *unæ scalæ*, pro, *una scala;* ut Terent. Eun. II, 3, 75 : *In unis ædibus*, pro, *in una domo.* — *Comminutæ.* Confractæ. — *Adflicti.* In terram præcipites dati. — *Ceteri.* Qui super scalis nondum comminutis steterant.

CAP. LXI. 1. *Suo loco.* Loco sibi opportuno. Vid. supr. LIV, n. 6.

2. *In provinciam, quæ proxuma est Numidiæ.* In eam provinciæ romanæ partem, quæ Numidiam contingit; nimirum ut inde Jugurthæ propius immineret. Verba, *quæ proxuma est Numidiæ*, ut otiosa damnat Cortius, quod, inquit, sciunt omnes provinciam Romanorum in Africa fuisse proxime Numidiam. Ideo Bip. legit, non absurda conjectura, QUA *proxuma est.* Sed *quæ* eumdem sensum efficit, si resolvas in, *ut ea*, vel, *quoad ea.*

tha fuerat, et inde, vadibus datis[3], clam Massivæ de nece judicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus aggreditur. Ac primo efficit, uti ad se colloquendi gratia occultus veniat : dein fide data, si Jugurtham vivum aut necatum tradidisset, fore, ut illi senatus impunitatem et sua omnia[4] concederet, facile Numidæ persuadet, quum ingenio infido, tum metuenti ne, si pax cum Romanis fieret, ipse per conditiones ad supplicium traderetur.

LXII. Is, ubi primum opportunum, Jugurtham anxium ac miserantem fortunas suas accedit : monet atque lacrumans obtestatur, uti aliquando sibi liberisque et genti Numidarum, optume meritæ, provideat : omnibus præliis sese victos, agrum vastatum, multos mortales captos aut occisos, regni opes comminutas esse : satis sæpe jam et virtutem militum, et fortunam tentatam : caveret, ne, illo cunctante[1], Numidæ sibi consulant. His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit. Mittuntur ad imperatorem legati, Jugurtham imperata facturum, ac sine ulla pactione sese regnumque suum in illius fidem tradere. Metellus propere cunctos senatorii ordinis[2] ex hibernis arcessiri jubet : eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more majorum, ex

3. *Vadibus datis.* Quamvis vades dedisset. Vide sup. XXXV.

4. *Sua omnia.* Quæcumque bona possideret Bomilcar, hunc ea servaturum pollicetur. — *Persuadet.* Scilicet ut sibi tradat Jugurtham.

Cap. LXII. 1. *Illo cunctante. Illo* ad Jugurtham refer, quasi esset *ipso.*

2. *Cunctos senatorii ordinis.* Eos scilicet qui in exercitu erant, sive legati, sive quæstores, sive etiam tribuni militum. — *Quos idoneos ducebat.* Constat ex Cæsare, Bell. Gall. v, 28, primorum quoque ordinum centuriones ad ejusmodi consilium vocari solitos fuisse. — *Arcessiri.* Vetus, pro *arcessi.* Ejusdem, quo *arcessiri,* conjug. est *arcessivi* et *arcessitum. Arcesso* autem melius quam *accerso,* quod idem est, scribi docet Vossius Etym. Deducitur enim ab *ar-cio,* pro *ad-cio* (advoco), littera *d* in *r* mutata, ut in *ar-vena* pro *ad-vena, ar-vocatus* pro *ad-vocatus,* apud Priscianum.

consilii decreto, per legatos Jugurthæ imperat argenti pondo ducenta millia[3], elephantos omnes, equorum et armorum aliquantum. Quæ postquam sine mora facta sunt, jubet omnes perfugas vinctos adduci. Eorum magna pars, ut jussum erat, adducti : pauci, quum primum deditio cœpit, ad regem Bocchum in Mauretaniam abierant. Igitur Jugurtha, ubi armis virisque et pecunia spoliatus, quum ipse ad imperandum[4] Tisidium vocaretur, rursus cœpit flectere animum suum, et ex mala conscientia digna

3. *Argenti pondo ducenta millia. Pondo* antiquus ablativ. est, pro *pondere*. Subintel. ergo *libras*. Atqui juxta accuratam doct. viri *Letronne* (ex Instituto Gallico) æstimationem, libra romana nobis est 6160 *grains*, sive 10 *onces*, 5 *gros*, 40 *grains*. Igitur 200,000 libræ argenti sunt, ut nos computamus, 267361 *marcs*.

4. *Ad imperandum*. Ut ei, quod Metello placeret, imperaretur. Tam enim passive, quam active sumuntur gerundia, ut multis probat Cortius, et docet Sanct. Minerv. III, 8; cujus rei hæc sufficient exempla. Noster sup. V : « Quo *ad cognoscendum* (i. e. ut cognoscantur) omnia illustria magis, magisque in aperto sint. » Justin. XVII, 3: « Athenas *erudiendi* (ut erudiretur) gratia missus. » Vell. II, 15 : « Ut cives romanos *ad censendum* (ut censerentur) ex provinciis in Italiam revocaverint. » Cic. Epist. IX, 25 : « Nunc ades *ad imperandum*, vel ad parendum potius; sic enim antiqui loquebantur. » Denique Servius, ad hunc Virg. versum, Eclog. VIII, 71 : Frigidus in campis *cantando* rumpitur anguis, postquam interpretatus est, CANTANDO, *dum ei incantatur*, addit: « Tale est illud in Sallustio, *quum ipse ad imperandum Tisidium vocaretur*, i. e. ut ei imperaretur. » Cæcus ergo voluntarius est, qui videre non vult hanc veram esse lectionem, quam etiam nostri omnes habent; textumque sine ulla necessitate corrumpit Teller, qui legi velit, *ad imperatorem* ; et Bip. qui ex sua conjectura affert, *ad oppidum*. Si quis objiciat jam imperata fecisse Numidam, non ego, humilis Sallustii interpres, respondebo; respondebit melior vel ipso Sallustio romanarum artium æstimator, *Montesquieu, Grand. et décad.* VI : « *Quelquefois ils traitaient de la paix avec un prince sous des conditions raisonnables; et lorsqu'il les avait exécutées, ils en ajoutaient de telles, qu'il était forcé de recommencer la guerre. Ainsi quand ils se furent fait livrer par Jugurtha ses éléphants, ses chevaux, ses trésors, ses transfuges, ils lui demandèrent de livrer sa personne; chose qui, étant pour un prince le dernier des malheurs, ne peut jamais faire une condition de paix.* » — *Tisidium*. Bip. *Tisdrum*. Vide Indicem. — *Flectere animum suum*. Animum a re constituta c. flectere. — *Multis magnisque præsidiis*. Scilicet pecunia, equis, armis, elephantis.

timere. Denique multis diebus per dubitationem consumtis, quum modo, tædio rerum advorsarum, omnia bello potiora duceret, interdum secum ipse reputaret, quam gravis casus in servitium ex regno foret; multis magnisque præsidiis nequidquam perditis, de integro bellum sumit. Romæ senatus de provinciis consultus Numidiam Metello decreverat[5].

LXIII. Per idem tempus Uticæ forte C. Mario per hostias dis supplicanti, magna atque mirabilia portendi[1] haruspex dixerat : proinde, quæ animo agitabat, fretus dis ageret : fortunam quam sæpissume experiretur; cuncta prospera eventura[2]. At illum jam antea consulatus ingens cupido exagitabat. Ad quem capiundum, præter vetustatem familiæ, alia omnia abunde erant : industria, probitas, militiæ magna scientia, animus belli ingens, domi modicus[3], lubidinis et divitiarum victor, tantum-

5. *Numidiam Metello decreverat.* Videlicet prorogato in annum sequentem, quod habuerat consul, imperio.

Cap. LXIII. 1. *Magna atque mirabilia portendi.* Superstitionibus et absurdis haruspicum deliriis supra modum aut deditus fuit, aut deditum se Marius simulavit, gnarus ingenii hominum, rerum mirabilium avidi, et falli se magis quam doceri volentis. Itaque, teste Plutarcho, sagam quamdam ex Syria, nomine Martham, secum in expeditionibus ducere solebat; quæ purpura induta, hastam manu tenens vittis sertisque redimitam, omnibus sacrificiis præerat. Ludibria illa religionum credulitatem vulgi pascebant simul, atque augebant. Sed maximus ipsi vates erat animus honorum et potentiæ cupidine per se æstuans, accensus insuper vaticinio P. Scipionis, qui olim, apud Numantiam, in convivio interrogatus ecquem sibi parem Romæ relicturus esset, hunc adolescentem, inquit, Marium juxta recumbentem leviter manu percutiens. Scilicet Carthaginis et Numantiæ victor futurum Cimbrorum Teutonumque victorem (utinam non legum quoque et libertatis eversorem) præsago animo longe ante interpretabatur.

2. *Cuncta prospera eventura.* Adjectivus, loco adverbii, ut in Catil. XXVI : « Quæ occulte tentaverat, aspera fœdaque evenerant. »

3. *Domi modicus.* Hæc in pace modestia eum defecit, postquam, ut infra dicetur, *ambitione præceps datus est.* Igitur non sine causa Velleius, II, 11, de eo dicit :

modo gloriæ avidus. Sed is natus[4], et omnem pueritiam Arpini altus, ubi primum ætas militiæ patiens fuit, stipendiis faciundis, non Græca facundia, neque urbanis munditiis sese exercuit: ita inter artes bonas integrum ingenium brevi adolevit[5]. Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem ejus ignorantibus[6], facile notus per omnes tribus declaratur. Deinde ab eo magistratu alium post alium sibi peperit: semperque in potestatibus eo modo agitabat, uti ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. Tamen is ad id locorum[7] talis vir, (nam postea ambitione præceps datus est) consulatum petere non audebat. Etiam tum alios magistratus plebes, consulatum nobilitas inter se per manus tradebat:

«Hujus (Metelli) legatus fuit C. Marius, natus *equestri* (Vossius legit, *agresti*) loco, hirtus atque horridus, vitaque sanctus; quantum bello optimus, tantum pace pessimus; immodicus gloriæ, insatiabilis, impotens, semperque inquietus.» Rursus, II, 23: «Secundum deinde consulatum Cinna, et septimum Marius, in priorum dedecus, iniit; cujus initio, morbo oppressus decessit vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus, quietisque impatientissimus.»

4. *Sed is natus, etc.* Ordo est: sed is Arpini natus et per omnem pueritiam *altus*, i. e. nutritus. — *Arpini.* Arpinum erat oppidum Latii, ubi etiam nati sunt Plautus et Cicero.

5. *Integrum ingenium brevi adolevit.* Omnium virtutum exercitatione integrum usque remansit, brevique in summum vigorem crevit Marii ingenium. Similia fere narrat de Agricola Tacitus, IV, quem vide.

6. *Plerisque faciem ejus ignorantibus.* Nempe quod extra urbem natus educatusque, et semper in castris versatus erat. — *Facile notus.* Primo nesciebant quis esset ille petitor; sed ubi *Caium Marium* esse auditum est, eum omnes, utpote jam fama clarum, facile agnoverunt. — *Per omnes tribus.* Tribus erant eo tempore quinque et triginta, ut patet ex Livio, XXXIII, 25. Atqui (lege Atilia, A. U. 443, lata) per comitia *tributa* tribuni eligebantur seni deni in quatuor legiones; reliqui octo ab imperatoribus creabantur (Liv. IX, 30). — *Eò modo agitabat.* Ita se gerebat.

7. *Ad id locorum.* Ad id tempus. Eodem sensu inf. LXXII: «Neque *post id locorum* Jugurthæ dies aut nox ulla quieta fuit.» Item Liv. XLIII, 5: «Nec se *ad id locorum* scire, propter quam causam consuli pro hostibus fuerint.» Vide etiam Plaut. Casin. I, 1, 32; et Trucul. III, 1, 16.

novus nemo tam clarus[8], neque tam egregiis factis erat, quin his indignus illo honore, et quasi pollutus haberetur.

LXIV. Igitur ubi Marius haruspicis dicta[1] eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur; ab Metello, petundi gratia, missionem rogat. Cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis superabant; tamen inerat contemtor animus et superbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum commotus insolita re, mirari ejus consilium, et quasi per amicitiam monere, ne tam prava inciperet, neu super fortunam animum gereret: non omnia omnibus cupiunda esse; debere illi res suas satis placere: postremo caveret id petere a populo romano, quod illi jure negaretur. Postquam hæc atque talia dixit, neque animus Marii flectitur; respondit, ubi primum potuisset per negotia publica, facturum sese, quæ peteret; ac postea sæpius eadem postulanti fertur dixisse, ne festinaret abire: satis mature illum cum filio suo[2] consulatum petiturum: is eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter viginti[3]. Quæ res Marium

8. *Novus nemo tam clarus.* Eadem fere de Ciceronis petitione dicit in Catil. XXIII. Scilicet Syllana victoria res in eumdem locum reduxerat, quo erant post Gracchorum cædem. Præterea, miro prorsus fatorum humanorum exemplo, duo Arpinates, homines novi, sanguine inter se conjuncti, alter XLIV post alterum annis, nobilitati multum invitæ consulatum eripuerunt. Sed hi similem viam ingressi, dissimilem prorsus cursum tenuere.

Cap. LXIV. 1. *Haruspicis dicta.* Sive Marius ea ipsa dici jussisset; sive ultro ab haruspice per adulationem dictis, quia credula est magna cupiditas, aliquam adeo fidem adhiberet.

2. *Cum filio suo.* Metelli scilicet. — *Contubernio patris.* Contubernium (ex *cum* et *taberna*) proprie dicitur de militibus decem sub uno papilione degentibus (Veget. II, 13), qui ideo *contubernales* vocantur. Est etiam *contubernium* ipsum tabernaculum ubi illi milites agebant. Postremo, per analogiam, dictus est *esse in contubernio ducis* ingenuus adolescens, qui eum, militiæ addiscendæ causa, ad bellum sequebatur, sub ejusque oculis et cura militabat.

3. *Annos natus circiter viginti.* Atqui non ante annum ætatis quadragesimum tertium per leges consulatum petere licebat, ut docet Cicero, Philipp. V, 17.

quum pro honore, quem adfectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, pessumis consultoribus, grassari: neque facto ullo, neque dicto abstinere, quod modo ambitiosum[4] foret: milites, quibus in hibernis præerat, laxiore imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticæ erat, criminose simul, et magnifice de bello loqui: dimidia pars exercitus sibi permitteretur, paucis diebus Jugurtham in catenis habiturum: ab imperatore consulto trahi, quod homo inanis, et regiæ superbiæ, imperio nimis gauderet. Quæ omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiares corruperant; et animo cupienti nihil satis festinatur.

LXV. Erat præterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda, Manastabalis filius, Masinissæ nepos, quem Micipsa testamento secundum heredem[1] scripserat, morbis confectus, et ob eam caussam mente paullum imminuta. Cui Metellus petenti, more regum uti sellam juxta poneret[2], item postea, custodiæ caussa turmam equi-

4. *Ambitiosum.* Ad conciliandam sibi gratiam pertinens. Vide sup. XLV, n. 1, ad verbum *ambitionem.* — *Criminose.* Criminationes in Metellum conjiciendo. — *Magnifice.* Magna de se jactando.

Hoc caput cum superiore vere digna sunt, quæ studiosum lectorem et varietate rerum et gravitate detineant. Apparet primo magna Marii facies, quum egregiis dotibus, tum animi cupiditate ad capiendum consulatum parati: sed obstat quasi murus aheneus, nobilium superbia. Deinde Metellus, per se optimus, sed sui ordinis animos gerens, vix credens auribus suis plebeiam virtutem se consulatu dignari, hominem primo sine acerbitate repellit; mox in superbas erumpit voces, quibus se Marius omni jam verecundia solutum ratus est. Inde indictum ab eo nobilitati bellum inexpiabile. Sed Metelli responsum, quod a tota nobilitate profectum videri poterat, occasio fuit, non causa, tantæ dimicationis. Qualemcumque consulem nactus fuisset Marius, non quievisset, illis præsertim temporibus, ea honorum cupiditas.

Cap. LXV. 1. *Secundum heredem.* Qui hereditatem adiret, si mortui essent sine herede duo filii et Jugurtha, primi heredes constituti. Vide sup. IX.

2. *Uti sellam juxta poneret.* Ut suam, juxta imperatoris romani

tum romanorum, utrumque negaverat : honorem, quod eorum modo foret, quos populus romanus reges appellavisset; præsidium, quod contumeliosum in eos foret, si equites romani satellites Numidæ traderentur. Hunc Marius anxium aggreditur, atque hortatur, uti contumeliarum imperatoris cum suo auxilio pœnas petat. Hominem ob morbos animo parum valido secunda oratione[3] extollit : illum regem, ingentem virum, Masinissæ nepotem esse; si Jugurtha captus, aut occisus, imperium Numidiæ sine mora habiturum; id adeo mature posse evenire, si ipse consul ad id bellum missus foret. Itaque et illum, et equites romanos, milites et negotiatores[4], alios ipse, plerosque spes pacis impellit, uti Romam ad suos necessarios aspere in Metellum de bello scribant, Marium imperatorem poscant. Sic illi a multis mortalibus honestissuma suffragatione[5] consulatus petebatur : simul ea tempestate plebes, nobilitate fusa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

LXVI. Interim Jugurtha, postquam, omissa deditione[1], bellum incipit, cum magna cura parare omnia, festinare, cogere exercitum : civitates, quæ ab se defecerant, for-

sellam, more regum, poneret. Suet. Ner. XIII : « Perductum inde in theatrum (regem Tiridatem)... *juxta se* latere dextro collocavit. » — *Custodiæ caussa*. Scilicet ne a Jugurtha per vim aut insidias opprimeretur. — *Turmam equitum romanorum*. Videlicet non hic homines equestris ordinis, sed milites in equitatu militantes intelligendi sunt. — *Honorem*. Juxta ponendæ sellæ.

3. *Secunda oratione*. Grato auribus ejus et ad spem augendam accommodato sermone. — *Extollit*. Ad magna sentiendum erigit.

4. *Milites et negotiatores*. Hæc ad *equites romanos* refer. Homines equestris ordinis, et qui milites, et qui negotiatores erant. Nemo enim nescit equites romanos in provinciis negotiari solitos fuisse. — *Alios ipse, etc*. Ipse Marius nonnullos, sed spes pacis plerosque impellit, etc.

5. *Suffragatione*. Commendatione, studiis, benevolentia. — *Nobilitate fusa*. Eadem figura jam dixit, *post suorum fugam*. Vid. sup. XL, n. 4.

Cap. LXVI. 1. *Omissa deditione*. Hic post digressionem res Jugurthinas repetit, ubi reliquerat in fine cap. LXII. — *Bellum incipit*. Intellige, *rursus incipit, renovat*.

midine, aut ostentando præmia, adfectare[2] : communire suos locos : arma, tela, alia, quæ spe pacis amiserat, reficere, aut commercari : servitia Romanorum allicere, et eos ipsos, qui in præsidiis erant, pecunia tentare : prorsus nihil intactum, neque quietum pati : cuncta agitare. Igitur Vaccenses, quo[3] Metellus initio, Jugurtha pacificante, præsidium imposuerat, fatigati regis suppliciis, neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter se conjurant : (nam volgus, uti plerumque solet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum[4] erat, cupidum novarum rerum, quieti et otio advorsum :) dein compositis inter se rebus, diem tertium constituunt ; quod is festus celebratusque per omnem Africam ludum et lasciviam magis, quam formidinem ostentabat. Sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militares, et ipsum præfectum oppidi T. Turpilium Silanum, alius alium, domos suas invitant : eos omnes, præter Turpilium, inter epulas obtruncant : postea milites palantes, inermos, quippe in tali die ac sine imperio, aggrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii studio talium rerum

2. *Adfectare*. Suas facere eniti. Eodem sensu Vell. II, 39 : « Gallias sæpe et affectavimus et amisimus. »

3. *Vaccenses, quo, etc.* Quo, id est, in quorum oppidum. — *Jugurtha pacificante*. Dum Jugurtha de pace ageret, ut dictum est supra XLVI. — *Suppliciis*. Precibus. — *Nam volgus*. Dixit non propria voluntate impulsos, sed evictos precibus Jugurthæ principes civitatis in Romanos conjurasse. Nunc dicit, quod ad plebem attinet, ne preces quidem aut conjurationem necessarias fuisse, ut ea commoveretur, avida quippe rerum novarum et suomet ingenio quietis impatiens.

4. *Discordiosum*. In discordias pronum. Vox rara ; Sidon. Ep. VI, 2 : « Unde et suspicor vobis unam pronunciandam domum *discordiosam*, licet inveniatis utramque *discordem*. » Ceterum vide quæ Gellius, III, 12, et IV, 9, de hoc adjectivorum inclinamento disserat, qualia sunt *religiosus, superstitiosus, verbosus, gratiosus, famosus, officiosus, speciosus, formosus, etc.* Quæ omnia Nigidius, Ciceronis cœvus, significare putat, COPIAM *quamdam* IMMODICAM *rei super qua dicuntur ;* sed quæ COPIAM duntaxat, et *plenam rei possessionem* significant, ut apud Italicos desinentia in *oso*, apud nos, in *eux*. — *Tertium diem constituunt*. Scil. ad id faciendum in quod conjuraverant.

incitati, quis acta consiliumque ignorantibus tumultus ipse et res novæ satis placebant.

LXVII. Romani milites, improviso metu, incerti ignarique quid potissumum facerent, trepidare ad arcem oppidi, ubi signa et scuta erant : præsidium hostium, portæ ante clausæ fugam prohibebant : ad hoc mulieres puerique pro tectis ædificiorum[1] saxa et alia, quæ locus præbebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque a fortissumis infirmissumo generi resisti posse : juxta boni malique[2], strenui et imbelles inulti obtruncati. In ea tanta asperitate, sævissumis Numidis et oppido undique clauso, Turpilius unus ex omnibus Italicis profugit intactus : id misericordiane hospitis, an pactione, an casu ita evenerit, parum comperimus ; nisi, quia illi in tanto malo turpis vita fama integra potior, improbus intestabilisque videtur[3].

LXVIII. Metellus, postquam de rebus Vaccæ actis comperit, paullisper mœstus e conspectu[1] abit ; deinde, ubi ira et ægritudo permixta, cum maxuma cura ultum ire injurias festinat. Legionem, cum qua hiemabat, et, quam plurimos potest, Numidas equites[2] pariter cum occasu solis expeditos educit : et postera die circiter horam tertiam[3] pervenit in quamdam planitiem, locis paullo

Cap. LXVII. 1. *Pro tectis ædificiorum.* Sic capta Tyro (ap. Curt. IV, 4) : « Magna pars *summa tectorum* obtinebat, saxa et quidquid manibus fors dederat, ingerentes subeuntibus. » Item Thucyd. II, 4, simili fere modo oppressos in urbe Platæa Thebanos narrat. — *Infirmissumo generi.* Mulieribus et pueris.

2. *Juxta boni malique.* Græce diceres, ἀγαθοί τε καὶ κακοί. Ii pariter et qui bene et qui male in illo periculo se gesserant. — *Strenui et imbelles.* Et qui ad pugnam prompti, et qui bellis inhabiles sunt.

3. *Nisi.... improbus intestabilisque videtur.* Id tantum scimus illum improbum intestabilemque videri. — *Intestabilis* proprie est, qui nec testimonium dicere, nec testamentum facere, nec testamento aliquid consequi potest. Hinc pro homine nequam et exsecrando ponitur.

Cap. LXVIII. 1. *E conspectu.* Nempe militum suorum.

2. *Numidas equites.* Qui Romanorum in auxiliis erant.

3. *Horam tertiam.* Duodecim ho-

superioribus circumventam. Ibi milites, fessos itineris magnitudine, et jam abnuentes omnia[4], docet oppidum Vaccam non amplius mille passuum[5] abesse: decere illos reliquum laborem æquo animo pati, dum pro civibus suis, viris fortissumis atque miserrumis, pœnas caperent: præterea prædam benigne ostentat. Ita animis eorum arrectis, equites in primo[6] late, pedites quam artissume ire, signa occultare jubet.

LXIX. Vaccenses ubi animum advortere, ad se vorsum exercitum pergere; primo, uti erat res, Metellum rati, portas clausere: deinde, ubi neque agros vastari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident[1]; rursum Jugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. Equites peditesque, repente signo dato, alii volgum[2] effusum oppido cædere; alii ad portas festinare; pars turres capere: ira atque prædæ spes amplius quam lassitudo posse. Ita Vaccenses biduum modo ex perfidia lætati: civitas magna et opulens pœnæ cuncta aut præ-

ras ab ortu solis ad occasum numerabant Romani, breviores videlicet hieme, æstate longiores. Prima cum sole oriebatur, tertiæque finis quartam diei partem finiebat. Illis æquinoctiali tempore *tertia* erat, quæ nobis *nona*. Noctem pariter in duodecim horas longiores hieme, breviores æstate, dividebant.

4. *Abnuentes omnia*. Omnem operam recusantes et detrectantes, non verbis, credo, sed nutu (quod indicat vox *abnuentes*) et inertia.

5. *Mille passuum*. Nobis 4449 pedes metricos; ideo 741 ½ sexpedas. Vide *Adam*, *Antiq. romain.*, *traduction française*.

6. *In primo*. Agmine scilicet. — *Late*. Ut post eos irent pedites, neque ab oppidanis viderentur. Vulg. edd. et nostri omnes MSS. *in primo latere*. Quod manifesto corruptum est, sive ablativum intelligas; nam quid est, *ire in primo latere?* sive infinitivum; nam eos conspici, non latere volebat. Gruterum, Cortium, Bip. et alios doctissimos interpretes sequimur.

Cap. LXIX. 1. *Numidas equites vident*. Nunc intelligitur cur eos in *primo* agmine *late* ire jusserit Metellus. — *Rursum*. Mutata in contrarium opinione. *Rursum* enim est *re-versum*, ut notavimus sup. I, n. 6.

2. *Volgum*. Bene admonet Cortius antiquos *volgum* quarto casu, quam *volgus* seu *vulgus* maluisse. Sisenna in Fragm. hist.: « Imperitum concitat *volgum*. » Ennius: « Quod scis in *volgum* volgas. »

dæ fuit. Turpilius, quem præfectum oppidi unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, jussus a Metello caussam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus verberatusque capite pœnas solvit[3]: nam is civis ex Latio erat[4].

LXX. Per idem tempus Bomilcar, cujus impulsu Jugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat, suspectus regi, et ipse eum suspiciens[1], novas res cupere, ad perniciem ejus dolum quærere, diu noctuque fatigare animum. Denique omnia tentando, socium sibi adjungit Nabdalsam, hominem nobilem, magnis opibus, carum acceptumque popularibus suis: qui plerumque seorsum ab rege exercitum ductare, et omnes res exsequi solitus

3. *Turpilius... capite pœnas solvit.* Turpilium innocentem, quamvis id non dicat noster, sola Marii invidia perdidisse videtur, ex ejus pernicie dolorem quærentis Metello, cujus paternus hospes et amicus erat Turpilius. Igitur Marius (teste Plut. in ejus vita) plerosque eorum qui in consilio sedebant adversus hominem ita concitavit, ut Metellus eum invitus damnare cogeretur. Sed comperto paulo post eum extra culpam fuisse, graviterque ferentibus Metello et ceteris, lætabatur Marius, nec erubuit dictitare, se furias hospitales impegisse Metello: οὐκ ἡσχύνετο λέγειν παρεῖναι, ὡς αὐτὸς εἴη προστετριμμένος ἀλάστορα τῷ Μετέλλῳ ξενοκτόνον. Inde apertas jam inimicitias exercuerunt.

4. *Nam is civis ex Latio erat.* Hic dicere videtur Sallustius Turpilium, si Romanus, non ex Latio, civis fuisset, pœnas capite daturum non fuisse. Et quidem leges Porcia et Sempronia civem romanum necari aut verberari vetabant (vide Catil. LI, n. 38 et 39). Sed tamen refert Val. Max. II, 7, 12, superiorem Africanum (longe post legem Porciam latam) gravius in Romanos quam in Latinos transfugas animadvertisse. «Hos enim (Romanos), inquit, tanquam patriæ fugitivos crucibus affixit; illos (Latinos) tanquam perfidos socios securi percussit.» Nisi quis putet Porciam legem in castris non valuisse; Semproniam, multo recentiorem, valuisse. At, reipsa, neutra ibi valuit.

Cap. LXX. 1. *Suspiciens.* Suspectum habens. Nota hunc sensum verbi *suspicere*, quod vulgo est *sursum aspicere.* Sed venustior simul et justior oppositio, *suspectus regi, et ipse eum suspiciens*, quam si dixisset, *suspectans. Suspectus* enim et *suspiciens*, ab uno eodemque verbo sunt, hoc *agendi*, illud *patiendi* modo. Neque vero hinc colligas ubique *suspicientem* dici posse, *qui suspicatur.* Hic tantum ex oppositione lumen.

erat, quæ Jugurthæ fesso aut majoribus adstricto supe raverant[2]; ex quo illi gloria opesque inventæ. Igitur utriusque consilio dies insidiis statuitur: cetera, uti res posceret, ex tempore parari placuit. Nabdalsa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum[3] jussus habebat, ne ager, inultis hostibus, vastaretur. Is postquam, magnitudine facinoris perculsus, ad tempus non venit, metusque rem impediebat[4]; Bomilcar simul cupidus incepta patrandi, et timore socii anxius, ne, omisso vetere consilio, novum quæreret, literas ad eum per homines fideles mittit, in quis mollitiem secordiamque viri accusare, testari deos, per quos juravisset[5]; præmia Metelli[6] in pestem ne converteret; Jugurthæ exitium adesse; ceterum suane an virtute Metelli periret, id modo agitari: proinde reputaret cum animo suo, præmia an cruciatum mallet.

LXXI. Sed quum hæ literæ adlatæ, forte Nabdalsa,

2. *Superaverant.* Agendæ supererant, seu restabant; quo sensu non *superesse*, sed *superare* Sallustium dicere monet Gellius, I, 22. Ceterum hic quoque, ut in Catil. XX, n. 24, vera hujusce verbi notio est, *nimium et plus quam satis esse.* Et supra, LXIV, prope eodem sensu *superabant* dicitur pro, *perquam abunde erant.*

3. *Inter hiberna Romanorum.* Monuit (cap. LXI) Metellum in ea provinciæ romanæ parte, quæ Numidiam contingit, hiemandi causa exercitum collocasse; præterea nonnullis ipsius Numidiæ urbibus præsidia imposuisse. Hinc patet quomodo Nabdalsæ exercitus *inter hiberna Romanorum* haberi potuerit.

4. *Metusque rem impediebat.* Hoc quibusdam supervacuum videri possit, postquam dictum est, *magnitudine facinoris perculsus ad tempus non venit.* Sed verbum illud, *perculsus*, auctor explicare voluit. Nempe quod magnitudo sceleris Nabdalsam perculit, inde illi ortus est *metus.* Metus autém, eum venire prohibendo, *rem omnem impediebat.*

5. *Testari deos, per quos juravisset.* Miram hominis improbitatem, qui etiam deos immortales de parricidio suo testatur. Quasi conceptum in scelus sacramentum dii non oderint!

6. *Præmia Metelli.* Quæ a Metello accepturi essent pro capto traditoque rege. — *In pestem.* In iram ipsis exitiosam. Illis enim timendum erat ne, capto rege, in eos quoque sæviret Metellus, eo infensus magis, quod datam sibi fidem non præstitissent.

exercito corpore fessus, in lecto quiescebat: ubi, cognitis Bomilcaris verbis, primo cura, deinde, uti ægrum animum solet, somnus cepit[1]. Erat ei Numida quidam negotiorum curator[2], fidus acceptusque, et omnium consiliorum, nisi novissumi, particeps. Qui postquam adlatas literas audivit, ex consuetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introit; dormiente illo epistolam, super caput in pulvino temere positam, sumit ac perlegit; dein propere, cognitis insidiis, ad regem pergit. Nabdalsa, post paullo experrectus, ubi neque epistolam reperit, et rem omnem, uti acta, cognovit[3]; primo indicem persequi conatus: postquam id frustra fuit, Jugurtham placandi gratia accedit; quæ ipse paravisset facere[4] perfidia clientis sui præventa: lacrumans obtestatur per amicitiam, perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.

LXXII. Ad ea rex aliter, atque animo gerebat, placide respondit. Bomilcare[1] aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis, iram oppresserat; ne

Cap. LXXI. 1. *Primo cura, deinde... somnus cepit.* Scilicet ut cura primo somnum adimit, unde solemne epitheton, *cura vigil;* sic postquam diu multumque jactata mens afflictari cœpit, et ægritudine oppressa deficere, deficit et ipsum corpus, soletque alto sopore gravari. Unde Virg. Æneid. VI, 520:

Tum me confectum curis somnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, pressitque jacentem
Dulcis et alta quies.

Et Claudianus, II, Ruffin. v. 326:

Ille diu curis animum stimulantibus ægrum
Labitur in somnos.

Felix, qui amaram talis somni jucunditatem nunquam expertus est!

2. *Negotiorum curator.* Quem gallice vocamus, *secrétaire.*

3. *Rem omnem, uti acta, cognovit.* Cognovit uti res omnis acta fuerit. De hoc accusativi usu, vide supra XIV, n. 10. Vulgo legitur, *ex perfugis cognovit;* quod etiam habent nostri codices. Sed ex ceterorum variatione recte vidit Cortius illud, *ex perfugis*, petitum esse ab initio cap. LXXIII. Et qui tandem esse possent illi ab uno ad alterum regis exercitum perfugæ?

4. *Quæ ipse paravisset facere.* Scil. de paratis a Bomilcare insidiis regem commonere.

Cap. LXXII. 1. *Bomilcare.* Vide quæ de eo notavimus, sup. XXXV. — *Iram oppresserat.* Repressérat et continuerat, ne etiam in Nabdalsam sæviret.

qua ex eo negotio seditio oriretur. Neque post id locorum[2] Jugurthæ dies, aut nox ulla quieta fuere : neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempori satis credere : cives, hostes juxta metuere : circumspectare omnia, et omni strepitu pavescere : alio atque alio loco, sæpe contra decus regium[3], noctu requiescere : interdum somno excitus, arreptis armis tumultum facere : ita formidine, quasi vecordia, exagitari[4].

LXXIII. Igitur Metellus, ubi de casu Bomilcaris et indicio patefacto ex perfugis cognovit; rursus, tamquam ad integrum bellum, cuncta parat festinatque. Marium, fatigantem de profectione, simul et invisum, et offensum sibi[1],

2. *Post id locorum.* Post illud tempus. Vide sup. LXIII.

3. *Sæpe contra decus regium.* Non solum alio atque alio loco, sed sæpe etiam in locis regia majestate indignis noctu requiescit.

4. *Ita formidine quasi vecordia exagitari.* Ultimum hoc expressam antecedentibus imaginem tribus verbis resumit et comprehendit. Conferri potest, Catil. XV : *Namque animus impurus*, et reliqua. Qui locus, ut hic, omnia complectenti sententia concluditur : *Prorsus in facie vultuque vecordia inerat.* Ceterum illic hominem conscientia scelerum amentem depingebat; hic tyrannus pingitur, se juris humani, quod toties contempsit, expertem esse conscius, omniaque metuens, quia omnia ausus est. Confer quæ de Pigmalione, vel potius de Cromwellio, sub Pigmalionis nomine, dicit vir antiqui ingenii apud nos exemplum, *Fénélon, Télémaque*, l. III. Adde quem neque hic noster, neque Sallust. post se laudari succensebunt, juvenem annos eloquentia prægressum, *Villemain, Histoire de Cromwell*, l. x, extr. *Menacé par de continuels complots, effrayé de vivre au milieu des haines innombrables qu'il avait soulevées contre lui, épouvanté du prix immense que l'on pouvait attacher à sa mort, redoutant la main d'un ami, le glaive d'un émissaire de Charles ou d'un fanatique, il portait sous ses vêtements une cuirasse, des pistolets, des poignards; n'habitait pas deux jours de suite la même chambre, craignait ses propres gardes, s'alarmait de la solitude, sortait rarement, par de brusques apparitions, au milieu d'une escorte nombreuse; changeait et mêlait sa route, et, dans la précipitation de ses voyages, portait quelque chose d'inquiet, d'irrégulier, d'inattendu, comme s'il avait toujours eu à déconcerter un plan de conspiration, ou à détourner le bras d'un assassin.*

Cap. LXXIII. 1. *Simul et invisum et offensum sibi.* Quippe Metellus oderat Marium, et Marius *offensus*, id est *iratus* erat Metello, ob superbas voces, cap. LXIV, memoratas. Hanc verbi *offensus* signifi-

parum idoneum ratus, domum dimittit [2]. Et Romæ plebes, literis, quæ de Metello ac Mario missæ erant, cognitis, volenti animo de ambobus acceperant [3]. Imperatori nobilitas, quæ antea decori, invidiæ esse : at illi alteri generis humilitas favorem addiderat. Ceterum in utroque [4] magis studia partium, quam bona aut mala sua moderata. Præterea seditiosi magistratus volgum exagitare, Metellum omnibus concionibus capitis arcessere, Marii virtutem in majus celebrare. Denique plebes sic accensa, uti opifices agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitæ erant [5], relictis operibus frequentarent Marium, et sua necessaria post illius honorem ducerent. Ita, perculsa nobilitate, post multas tempestates [6] novo homini consulatus mandatur. Et postea populus a tribuno plebis Manilio Mancino rogatus, quem vellet cum Jugurtha

cationem non bene vidit Cortius, quum dixit : « Denique offensus erat Metello, id est ab Metello (si proprie pronomen *sibi* exponas), et ob eam causam iratus. » Ille scilicet intelligit, *offensé par Métellus ;* nos, *piqué contre Métellus*, qui sensus est hujus participii cum dativo conjuncti. Jam vero idem Cortius et nostri, B, D, habent *invitum*, id est, ut opinor, *officia detrectantem*. E, et duo apud Haverc. et Hackiana ed. *invisum*, quæ plena et justa est oppositio : *et invisum sibi, et offensum sibi*. Præterea *invitum* fere supervacaneum esset post, *fatigantem de profectione*.

2. *Dimittit*. Dimissum a Metello fuisse narrat Plutarchus duodecimo tantum die ante comitia. Itaque a castris ad Uticam duobus diebus et nocte una longo itinere confecto, ab Utica in Italiam, trajecto quatuor diebus mari, pervenisse, statimque pro concione consulatum petiisse, pollicendo a se paucos post dies aut captum aut interfectum iri Jugurtham.

3. *Volenti animo.... acceperant*. Libenter acceperant, quæ de ambobus scribebantur. Male aliqui, *volentia*. Nostri omnes, *volenti*.

4. *Ceterum in utroque*, etc. Ceterum, in Mario et Metello æstimandis, magis studia partium, quam suæ ipsorum virtutes aut vitia, opinionem *moderata* sunt (opinionis *modum* fecerunt).

5. *Res fidesque in manibus sitæ erant*. Qui neque *rem*, neque *fidem* aliam habebant, quam manuum operam. Res est gallice, *bien :* fides, *crédit*. — *Frequentarent Marium*. Magna frequentia stiparent. — *Sua necessaria*. Res sibi ad vitam necessarias.

6. *Post multas tempestates*. Post longam annorum seriem; non (ut

bellum gerere, frequens Marium jussit. Senatus paullo ante Metello decreverat[7] : ea res frustra fuit.

LXXIV. Eodem tempore Jugurtha, amissis amicis, (quorum plerosque ipse necaverat; ceteri formidine, pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum[1] profugerant); quum neque bellum geri sine administris posset, et novorum fidem, in tanta perfidia veterum, experiri periculosum duceret, varius incertusque agitabat[2]; neque illi res, neque consilium aut quisquam hominum satis placebat: itinera præfectosque in dies mutare; modo advorsum hostes, interdum in solitudines pergere; sæpe in fuga, ac post paullo spem in armis habere; dubitare, virtuti popularium an fidei minus crederet: ita, quocumque intenderat, res advorsæ erant. Sed inter eas moras repente sese Metellus cum exercitu ostendit. Numidæ ab Jugurtha pro tempore parati instructique: dein prælium incipitur. Qua in parte rex adfuit, ibi aliquamdiu certatum: ceteri omnes [ejus milites[3]] primo concursu pulsi fugatique: Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium

male quidam arbitrantur) post multas turbas civiles. Eodem sensu Catil. LIII, *multis tempestatibus*.

7. *Senatus paullo ante Metello decreverat*. Jam dictum est in fine cap. LXII, senatum Numidiam Metello decrevisse. Et eam quidem proconsul obtinebat, quum gesta sunt ea omnia quæ, a supra dicto capite, narrantur. Consules erant illius anni (post U. C. 646) Serv. Sulpicius Galba, et Marcus Aurelius Scaurus; consulatusque Marii in A. 647 incidit. Hinc patet in illum ipsum annum a senatu imperium Metello rursus prorogatum fuisse. Sed populo aliter visum est.

Cap. LXXIV. 1. *Ad regem Bocchum*. Regem Mauritaniæ. Vide supra, XIX.

2. *Varius incertusque agitabat*. Supra XXV, dixit: *metu atque libidine divorsus agitabatur*. Sed hic non idem est sensus. *Agitabat*, h. l., ut sæpe alibi, absolute positum est: « varius incertusque *vivebat*; » vel potius, « varius incertusque *in omnibus actionibus* erat. » Cortium ergo et cod. C. sequuti sumus; non eos qui, hoc sensu parum intellecto, scripserunt *agitabatur*.

3. *Ejus milites*. Hoc uncinis inclusimus, non ausi delere, quia est in omnibus MSS.; sed cum Cortio et Grutero certum rati glossam inutilem esse.

paucorum potiti[4]: nam ferme Numidas in omnibus prœliis pedes magis, quam arma tuta sunt.

LXXV. Ea fuga impensius modo[1] rebus suis diffidens, cum perfugis et parte equitatus in solitudines, dein Thalam pervenit: id oppidum magnum et opulentum, ubi plerique thesauri, filiorumque ejus multus pueritiæ cultus erat[2]. Quæ postquam Metello comperta, quamquam inter Thalam flumenque proxumum[3], spatio millium quinquaginta, loca arida atque vasta esse cognoverat; tamen spe patrandi belli, si ejus oppidi potitus foret, omnes asperitates supervadere, ac naturam etiam vincere aggreditur. Igitur omnia jumenta sarcinis levari jubet, nisi frumento dierum decem; ceterum utres modo, et alia aquæ idonea portari. Præterea conquirit ex agris, quam plurimum potest, domiti pecoris[4]: eo imponit vasa cujusque modi, pleraque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui se post regis fugam Metello dederant, quam plurimum quisque aquæ portarent: diem locumque, ubi præsto forent, prædicit. Ipse ex flumine, quam proxumam oppido aquam supra diximus, jumenta

4. *Potiti.* Nota cum hoc verbo duplicem casum: « Potiti sunt aliquanto numero signorum et armorum; potiti sunt paucorum hostium. » De hac casus mutatione jam dictum est, Catil. XXXIII, n. 1. Quidam scribunt, *signorum et armorum, et aliquanto numero hostium*, ita ut omnes genitivi ab *aliquanto numero* pendeant. Sed injuria delent *paucorum*, quod in omnibus MSS. occurrit, et minorem numerum indicat, quam *aliquanto numero*, cui opponitur.

Cap. LXXV. 1. *Impensius modo.* Vide eamdem dictionem, supra XLVII, et quæ ibi notavimus.

2. *Multus pueritiæ cultus erat. Multum* intellige, sedulum, accuratum, magnificum, talem denique qualis regios adolescentes decet. Nam *cultus* simul et ad ornatum, et ad educationem pertinet.

3. *Flumenque proxumum.* Quod ultimum ante Thalam inveniebatur. — *Utres.* Vasa, vel potius sacci ex pellibus plerumque hædinis confecti, quibus etiamnum in Italia, Hispania, et aliis quibusdam regionibus, ad ferendum vinum oleumque pro doliis utuntur.

4. *Domiti pecoris.* Intellige armenta cujusque generis, ferendis oneribus idonea. — *Eo imponit. Eo* adverbialiter sumitur: *in* vel *pecus.*

onerat. Eo modo instructus ad Thalam proficiscitur. Deinde ubi ad id loci ventum, quo Numidis præceperat, et castra posita munitaque sunt; tanta repente cœlo missa vis aquæ dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret: præterea commeatus spe amplior; quia Numidæ, sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant[5]. Ceterum milites, religione, pluvia magis usi: eaque res multum animis eorum addidit; nam rati sese dis immortalibus curæ esse. Deinde postero die, contra opinionem Jugurthæ, ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui se locorum asperitate munitos crediderant, magna atque insolita re perculsi, nihilo segnius bellum parare: idem nostri facere.

LXXVI. Sed rex nihil jam infectum Metello[1] credens, quippe qui omnia, arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria vicerat, cum liberis et magna parte pecuniæ ex oppido noctu profugit. Neque postea in ullo loco amplius una die aut una nocte moratus, simulabat sese negotii gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat: nam talia consilia per otium et ex opportunitate capi. At Metellus ubi oppidanos prælio intentos[2], simul oppidum et operibus et loco munitum videt, vallo

5. *Officia intenderant.* Plusquam jussum erat, fecerant, ut solent plerique homines in recenti deditione. *Intendere* enim hic est, augere, et quasi in magnitudinem extendere. Eodem sensu Suet. Tib. LXII: « Auxit *intenditque* sævitiam exacerbatus indicio de morte filii sui Drusi. »

CAP. LXXVI. 1. *Nihil jam infectum Metello.* Nihil esse quod Metellus facere non posset. Donat. ad Ter. Eun. III, 5, 20: « Amore cogente, nihil est *infectum* cupientibus. » Nec mirum; quum etiam *invictus* sit, qui non vinci potest; *incorruptus*, qui non corrumpi; *inaccessus*, ad quem non accedi: similitudine verbalium græcorum in τος, quorum multa participio passivo in *tus*, et adjectivo in *bilis* simul respondent; v. g. ἀτέλιστος, qui *non perfectus est*, aut, qui *perfici non potest*. Confer not. 2. cap. VIII.

2. *Prælio intentos.* Ad strenue pugnandum paratos.

fossaque mœnia circumvenit. Deinde locis ex copia[3] maxume idoneis vineas agere, aggerem jacere[4], et super aggerem impositis turribus, opus et administros tutari. Contra hæc oppidani[5] festinare, parare: prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore[6] præliisque fatigati, post dies quadraginta, quam eo ventum erat, oppido modo potiti: præda omnis a perfugis corrupta. Ii postquam murum arietibus feriri[7],

3. *Ex copia.* Ex copia seu facultate quam dabat oppidi positio, et soli natura. Vide sup. XXXIX, quæ de hoc vocabulo, *copia*, dicta sint. Cave igitur ne intelligas, ut Bip., *ex multitudine locorum*, seu, *ex omnibus locis.*

4. *Aggerem jacere.* Ejusmodi agger non idem est, quem descripsimus sup. XXIII, ad verba *vallo atque fossa. Agger* seu *vallum* supra dicti capitis ad urbis circumvallationem instituitur (Cæs. B. G. VII, 72; nostræ ed. vol. 1, p. 369); *Agger* autem de quo nunc et supra XXXVII, n. 5, non circa urbem luctus est, sed (Lips. Poliorc. II, 4) « terreus quidam, et alia materie mixta, mons..., quem paulatim urbem versus producebant et attollebant, ut ex alto pugnarent et turres ibi constituerent. » Hæc illi et multo plura. Vide etiam Veg. IV, 15; et Cæs. B. G. II, 12, n. 5, p. 40, vol. 1. — *Turribus.* Ambulatoris scilicet, de quibus sup. XXI, n. 6. — *Opus et administros tutari.* Dum paulatim terram aggerendo, in fossas ipsas et usque ad muros aggerem promovebant, interim turres mobiles in illo aggere impositæ, et cum ipso procedentes, opus operantesque tuebantur. Nam ex iis oppidani telis sagittisque petebantur, ut arietes aliasque machinas tuto admovere liceret. Vide Lipsium, loco citato.

5. *Contra hæc oppidani.* Vide sup. LX, n. 2, quæ de hujusmodi descriptione monuimus.

6. *Multo ante labore.* Intellige non *multo ante*, sed multo labore et multis præliis, *antequam urbem ceperint*, fatigati. — *Oppido modo potiti.* Solo oppido, non præda quæ in eo erat, potiti sunt; nam omnis a perfugis *corrupta*, i. e. deleta est. Scil. perfugis nulla spes veniæ erat, quoquo modo urbs in Metelli potestatem ventura esset. Atque omnino, obsessos, ubi primum aries murum percussisset, in deditionem accipere mos non erat, ut conjici potest ex hoc Cæs. B. G. II, 32, vol. 1, p. 96: « Ad hæc (sc. quæ Atuatuci ab illo obsessi petiverant) Cæsar respondit, se magis consuetudine sua quam merito eorum civitatem conservaturum, si *priusquam aries murum attigisset*, se dedidissent. »

7. *Arietibus feriri.* Aries erat trabs prægrandis, validis funibus ex alia trabe in trutinæ modum suspensa. Is magna virorum manu retrorsum adductus, statimque et proprio relabens pondere, et summa impel-

resque suas afflictas vident, aurum atque argentum, et alia, quæ prima ducuntur, domum regiam comportant: ibi vino et epulis onerati, illaque, et domum, et semet igni corrumpunt; et quas victi ab hostibus pœnas metuerant, eas ipsi volentes pependere[8].

LXXVII. Sed pariter cum capta Thala[1] legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant, orantes, uti præsidium præfectumque eo mitteret: Hamilcarem quemdam, hominem nobilem, factiosum, novis rebus studere, adversum quem neque imperia magistratuum, neque leges valerent: ni id festinaret, in summo periculo suam salutem[2], illorum socios fore. Nam Leptitani jam inde a

lentium vi contortus muro impingebatur, quem ferrato capite vehementer quassabat. Describit arietem Flavius Josephus, III. Sic inventum narrat Vitruv. X: « Carthaginienses ad Gades oppugnandas castra posuerant. Quum autem castellum ante cepissent, id demoliri sunt conati. Postquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, sumpserunt tignum, idque manibus sustinentes, capiteque ejus summum murum continenter pulsantes, summos lapidum ordines dejiciebant, et ita gradatim ordine totam munitionem dissipaverunt. » Plinius autem, VII, 56: « Invenisse dicunt... equum, qui nunc aries appellatur, in muralibus machinis, Epeum ad Trojam. »

8. *Pependere.* Solverunt. Idem de Cappadocibus a Perdicca obsessis narrat Justin. XIII, 6; ad quem locum hæc Bernegger: « Non absimilia desperatæ rabiei hujus et inhumanæ necessitatis exempla referunt Xenoph. IV, Exped. Cyri, de Taochoris; Polyb. XVI, 16, de Abydenis; Plutarch. in Bruto, XLVI, de Xanthiis in Lycia; Appian. in Illyric. de Metulliis; Liv. XXI, 14, de Saguntinis, et XXVIII, 22, de Astapensibus, (addere potuisset XXVI, 14, de senatoribus Campanis Vibio Virio sociisque ejus); Florus, II, 15, de Carthaginiensibus, et II, 18, de Numantinis. Judæos quoque templum Hierosol. et flagrantem urbem lætis vultibus aspexisse quod ita nihil essent relicturi, scribit Joseph. VI, 38. » Adde hac nostra ætate vastatum suis flammis Moscovium, ut quæsitus Gallis extremo terrarum orbe triumphis arderet, perque borealis hiemis asperitatem tot urbium victores victorum etiam hospitio carerent. Quæ quando tandem bellum detestabile facient, quod magno toties vincentium malo, nullo certe emolumento, victos pessumdedit?

CAP. LXXVII. 1. *Pariter cum capta Thala.* Eodem tempore, quo Thala capta fuit.

2. *Suam salutem.* Leptitanorum scilicet. — *Illorum.* Romanorum. —

principio belli Jugurthini ad Bestiam consulem, et postea Romam miserant, amicitiam societatemque rogatum; deinde, ubi ea impetrata, semper boni fidelesque mansere; et cuncta a Bestia, Albino Metelloque imperata navi fecerant. Itaque ab imperatore facile, quæ petebant, adepti: emissæ eo cohortes Ligurum quatuor, et C. Annius præfectus.

LXXVIII. Id oppidum ab Sidoniis conditum, quos accepimus, profugos ob discordias civiles, navibus in eos locos venisse: ceterum situm inter duas Syrtes[1], quibus nomen ex re inditum. Nam duo sunt sinus prope in extrema Africa[2], impares magnitudine, pari natura: quorum proxuma terræ prealta sunt[3]; cætera, uti fors tulit, alta; alia in tempestate, vadosa. Nam ubi mare magnum[4] esse, et sævire ventis cœpit, limum arenamque et saxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis simul mutatur.

Navi. Variant codd. *gnavi*, *gnaviter*, *gnave*, *nave*. Adjectiv. pro adverbio Sallustio placet; *gnavi* autem, an *navi*, nil interest: opponitur *ignavus*. *Navus* est promptus, strenuus; inde *navare operam* pro *diligenter præstare*. Lepide admodum codex C, *nave* et supra lineam, *navigio*.

Cap. LXXVIII. 1. *Syrtes*. A græco σύρω, *traho;* quod arenas et limum et saxa huc illuc *trahant* volvantque contrariis motibus æstuantes et sæpe ventis agitati fluctus. De his Virg. Æneid. 1, 114:

Tres Eurus ab alto
In brevia et syrtes urget, miserabile visu,
Illiditque vadis atque aggere cingit arenæ.

2. *Prope in extrema Africa.* Scil. orientem versus.

3. *Proxuma terræ prealta sunt.* In locis terræ proximis mare profundum est; in ceteris modo profundum, modo vadosum, prout fert tempestas. — *Alia in tempestate.* Hæc in constructione his valeant: Cetera, uti fors tulit, *alia in tempestate* alta sunt, *alia in tempestate*, vadosa.

4. *Nam ubi mare magnum.* Magnum hic vocat mare, intumescens et tempestatibus inflatum. Sic describit Syrtes Luc. IX, 303:

Syrtes, vel primam mundo natura figuram
Quum daret, in dubio pelagi terræque reliquit.
Nam neque subsedit penitus, quo stagna profundi
Acciperet, nec se defendit ab æquore tellus;
Ambigua sed sede loci jacet invia sedes,
Æquora fracta vadis, abruptaque terra profundo;
Et post multa sonant projecti littora fluctus.

— *Mutatur.* Post hoc addunt nonnulli: *Syrtes ab tractu nominatæ;* quod Cortius merito extrudit ut pessimam glossam, 1° quod jam dictum est: *quibus nomen ex re inditum;* 2° quia in antiquissimis edd. non occurrit.

Ejus civitatis lingua modo conversa connubio Numidarum: leges cultusque pleraque Sidonica[5]: quæ eo facilius retinebant, quod procul ab imperio regis[6] ætatem agebant. Inter illos et frequentem Numidiam multi vastique loci erant.

LXXIX. Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus; non indignum videtur, egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginiensium memorare: eam rem locus admonuit. Qua tempestate Carthaginienses pleræque Africæ imperitabant, Cyrenenses quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenosus, una specie: neque flumen, neque mons erat, qui fines eorum discerneret; quæ res eos in magno diuturnoque bello inter se habuit. Postquam utrimque legiones, item classes, sæpe fusæ fugatæque, et alteri alteros aliquantum attriverant; veriti, ne mox victos victoresque defessos alius aggrederetur, per inducias sponsionem faciunt, uti certo die legati domo proficiscerentur: quo in loco inter se obvii fuissent, is communis utriusque populi finis haberetur. Igitur Carthagine duo fratres missi, quibus nomen Philænis erat, maturavere iter pergere: Cyrenenses tardius iere. Id secordiane an casu acciderit, parum cognovi: ceterum solet in illis locis tempestas haud secus atque in mari[1] retinere.

5. *Leges cultusque pleraque Sidonica. Cultus* in primo vel secundo casu, ut libebit, intellige; ita ut sit: *leges et cultus pleraque sunt Sidonica*; seu, *leges et pleraque cultus sunt Sidonica*. Hoc ego prætulerim. Ceterum habent nonnulli: *legum cultusque*.

6. *Procul ab imperio regis*. Sub rege quidem Numidarum erant, sed procul ab *illius imperio*, i. e. *ab illo imperante*, ita nempe ut ex intervallo levius ad eos perveniret *imperium*. Item *levi imperio et immunes* apud Jugurtham fuisse Capsenses memorantur inf. LXXXIX. — *Frequentem*. Oppidis nempe et cultoribus. Verba, *inter illos et frequentem Numidiam*, abunde probant Leptim in Numidia fuisse. — *Vasti*. Deserti.

Cap. LXXIX. 1. *Tempestas haud secus atque in mari*. Vid. apud Luc. IX, 445 et seqq. descriptionem terrestris id genus procellæ, longiorem quam ut huc transferatur

Nam ubi per loca æqualia et nuda gignentium[2] ventus coortus arenam humo excitavit; ea magna vi agitata, ora oculosque implere solet: ita prospectu impedito, morari iter. Postquam Cyrenenses aliquanto posteriores se vident, et ob rem corruptam[3] domi pœnas metuunt; criminari Carthaginienses ante tempus domo digressos; conturbare rem; denique omnia malle, quam victi abire. Sed

Brevior atque etiam, ni patriæ linguæque nostræ nos amor falsos habeat, pulchrior hæcce nobilissimi viri *De Châteaubriant*, *Les Martyrs*, *liv.* XI : « *Soudain de l'extrémité du désert accourt un tourbillon. Le sol emporté devant nous manque à nos pas, tandis que d'autres colonnes de sable enlevées derrière nous roulent sur nos têtes. Égaré dans un labyrinthe de tertres mouvants et semblables entre eux, le guide déclare qu'il ne reconnaît plus sa route. Pour dernière calamité, dans la rapidité de notre course, nos outres remplies d'eau s'écoulent. Haletants, dévorés d'une soif ardente, retenant fortement notre haleine dans la crainte d'aspirer des flammes, la sueur ruisselle à grands flots de nos membres abattus. L'ouragan redouble de rage. Il creuse jusqu'aux antiques fondements de la terre et répand dans le ciel les entrailles brûlantes du désert.....*

Vers le soir le vent du nord reprit son cours; l'air perdit sa chaleur cuisante, les sables tombèrent du ciel et me laissèrent voir les étoiles: inutiles flambeaux qui me montrèrent seulement l'immensité du désert! toutes les bornes avaient disparu; tous les sentiers étaient effacés. Des paysages de sable formés par les vents offraient de toutes parts leurs nouveaux aspects et leurs créations nouvelles. » Et quidem narrat doctiss. Anglus *Shaw*, multis Numidiæ locis, propter mobiles illos quasi æstuantium arenarum fluctus, vias dignosci non posse, nisi truncis palmarum per certa intervalla dispositis signarentur.

2. *Nuda gignentium.* Sic infra XCIII : « Quo *cuncta gignentium* natura fert. » Utroque loco *gignentia* sunt, quæ terra *gignuntur*; gallice, *végétaux*. Si quis vero passive sumptum miretur, quod vulgo activum est, meminerit *animantes* quoque, vel *animantia*, quæ sunt ab activo *animare*, non ideo minus gallice verti, *des êtres animés*, *des animaux*. Et græce Homerus sæpe dicit δόμους εὖ ναιετάοντας, id est, *domos bene habitantes*, pro, *quæ commode habitantur*. Nec non et gallice, *une musique chantante*, numeri ad modulandum aptiores : *une couleur voyante*, color qui procul videtur. Nimirum sunt in omnibus fere linguis certa quædam nomina, quæ in usum, cum terminatione sua minus congruentem, consuetudo deflexit.

3. *Ob rem corruptam.* Ob damnum patriæ illatum. Eodem fere sensu, XXXIII, « Se suasque spes corrupturum. » Item LXV : « Diuturnitate belli res familiares corruperant. »

quum Pœni aliam conditionem, tantummodo æquam, peterent; Græci[4] optionem Carthaginiensium faciunt, vel illi, quos fines populo suo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eadem conditione sese, quem in locum vellent, processuros. Philæni, conditione probata, seque vitamque reipublicæ condonavere: ita vivi obruti. Carthaginienses in eo loco Philænis fratribus aras[5] consecravere: aliique illis domi honores instituti. Nunc ad rem redeo.

LXXX. Jugurtha postquam, amissa Thala, nihil satis firmum contra Metellum putat, per magnas solitudines cum paucis profectus, pervenit ad Gætulos, genus hominum ferum incultumque, et eo tempore ignarum nominis romani. Eorum multitudinem in unum cogit: ac paullatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere. Præterea regis Bocchi proxumos magnis muneribus, et majoribus promissis, ad studium sui perducit: quis adjutoribus regem aggressus impellit, uti advorsum Romanos bellum suscipiat. Id ea gratia[1] facilius proniusque fuit, quod Bocchus initio hujusce belli legatos Romam miserat, fœdus et amicitiam

4. *Græci.* Cyrenenses, quæ Græcorum colonia erat, ut dictum est ad cap. XIX, n. 5.

5. *Aras.* Has Plinius, v, 4, ex arena fuisse dicit, nec jam ullæ erant Strabonis ætate. Narrat quoque hoc pietatis erga patriam exemplum Val. Max. v, 6, additque laudationis causa: « Qui quoniam patriæ quam vitæ suæ longiores terminos esse maluerunt, bene jacent, manibus et ossibus suis Punico dilatato imperio. Ubi sunt superbæ Carthaginis alta mœnia? ubi maritima gloria inclyti portus? ubi cunctis littoribus terribilis classis? ubi tot exercitus? ubi tantus equitatus? ubi immenso Africæ spatio non contentus spiritus? Omnia ista duobus Scipionibus fortuna partita est. At Philænorum egregii facti memoriam ne patriæ quidem interitus exstinxit. Nihil est igitur, excepta virtute, quod mortali animo ac manu immortale quæri possit. » Ceterum hoc facinus ex eo genere est, de quo nulla nisi veteris famæ auctoritas fidem faciat. Sed finge etiam commentum fuisse: certe ejusmodi commentum non mediocriter animos ad virtutem erigit.

Cap. LXXX. 1. *Ea gratia.* Ob eam causam. Eamdem locutionem vide supra LIV, n. 3.

petitum : quam rem, opportunissimam incepto bello, pauci impediverant, cæci avaritia, quis omnia honesta atque inhonesta[2] vendere mos erat. Etiam antea Jugurthæ filia Bocchi nupserat[3]. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur; quod singuli, pro opibus quisque, quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent, sed reges eo amplius : ita animus multitudine distrahitur[4]; nulla pro socia obtinet; pariter omnes viles sunt.

LXXXI. Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt. Ibi, fide data et accepta, Jugurtha Bocchi animum oratione accendit : Romanos injustos, profunda avaritia[1], communes omnium hostes esse : eamdem illos caussam belli cum Boccho habere, quam secum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi, quis[2] omnia regna advorsa sint : tum sese, pàullo ante Carthaginienses, item

2. *Quis omnia honesta atque inhonesta*, etc. Idem ad verbum scripsit, Cat. XXX; ideo huc intrusum putat Bip. Sed quum non eodem tempore conscripti fuerint Catilina et Jugurtha, potest auctori hoc excidisse. Jam vero, quum sit in omnibus MSS., deleri non potest. Legitur etiam sup. XXXI : « Quis... honesta atque inhonesta omnia quæstui sunt. » Sed hæc dicta sunt e Memmii, non e Sallustii persona.

3. *Jugurthæ filia Bocchi nupserat.* Florus quoque, III, 1, Bocchum socerum Jugurthæ vocat. Item Plutarch. in Mario. *Bocchi* igitur pro vulg. *Boccho*, Cortio præeunte, reposuimus. Genitivum *Bocchi* habent e nostris C et D, et plurimi apud Haverc. et Cortium. Firmioribus certe auctoritatibus nulla unquam lectio fulta esse potest.

4. *Animus multitudine distrahitur.* Divisus inter tot uxores amor friget erga singulas. — *Nulla pro socia obtinet.* Sociæ locum et dignitatem nulla tenet. Male aliqui : *nullam pro socia obtinet;* manifesto librariorum errore non intelligentium elliptice dici *obtinet*, ut Epistol. ad Cæsar. initio : *Pro vero antea obtinebat;* et Liv. I, 4 : *fama tenet.*

Cap. LXXXI. 1. *Profunda avaritia.* Translatio a gurgite in tantum altitudinis excavato, ut expleri nequeat. Et illa quidem ipsa comparatione utitur Liv. XXIX, 17, de Pleminii injuriis in Locrenses : « Si scelus libidinemque et avaritiam solus ipse exercere in socios vestros satis haberet, unam *profundam* quidem *voraginem* tamen patientia nostra expleremus, etc. »

2. *Quis.* Quibus. — *Omnia regna advorsa sint.* Scilicet quia soli in terris imperare volunt. Sic Fragm. IV, Epist. Mithridatis ad Arsacem : « Namque Romanis cum nationibus,

regem Persen, post, uti quisque opulentissumus videatur, ita Romanis hostem fore. His atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum iter constituunt; quod ibi Metellus prædam captivosque et impedimenta locaverat: ita Jugurtha ratus, aut, capta urbe, operæ pretium fore[3]; aut si Romanus auxilio suis venisset, prælio sese certaturos. Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere, ne moras agitando aliud, quam bellum, mallet.

LXXXII. Imperator, postquam de regum societate cognovit, non temere neque, uti sæpe jam victo Jugurtha consueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit. Ceterum haud procul ab Cirta, castris munitis, reges opperitur; melius ratus[1], cognitis Mauris, quoniam is novus hostis accesserat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per literas certior fit, provinciam Numidiam Mario datam; nam consulem factum jam antea acceperat. Quis rebus supra bonum atque honestum[2] perculsus, neque lacrumas tenere, neque moderari linguam: vir egregius in aliis artibus, nimis molliter ægri-

populis, regibus cunctis, una et ea vetus caussa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum, qua primum cum rege Macedonum Philippo bellum sumsere. » et quæ sequuntur, præcipue hæc: « Omniaque non serva, et maxume regna, hostilia ducant. » — *Opulentissumus.* Hoc non ad divitias solum, sed ad potentiam referri debet. Mithridat. in eadem epistola: « Nunc, quæso, considera, nobis oppressis, utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum et auri esse; et ea re a nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris. »

3. *Capta urbe, operæ pretium fore.* Si urbem ceperint, id ipsum fore dignum impensæ operæ pretium. — *Bocchi pacem imminuere.* Id unum festinabat, ut pax Bocchum inter et Romanos rumperetur, nec jam illi integrum foret in Jugurthæ causam non descendere.

Cap. LXXXII. 1. *Melius ratus,* etc. Melius existimans opportuno loco et tempore pugnam facere, nec ante facere quam cognovisset quales sint Mauri, novus et nondum cognitus hostis.

2. *Supra bonum atque honestum.* Magis quam bonum atque honestum, i. e. decorum erat. — *Nimis molliter.* Elegans admodum translatio. Is nempe molliter ægritudinem patitur, cujus animum velut *mollem*

tudinem pati. Quam rem alii in superbiam vortebant; alii bonum ingenium contumelia accensum esse; multi, quod jam parta victoria ex manibus eriperetur : nobis satis cognitum, illum magis honore Marii, quam injuria sua excruciatum, neque tam anxie laturum fuisse, si adempta provincia alii, quam Mario, traderetur.

LXXXIII. Igitur eo dolore impeditus, et quia stultitiæ videbatur, alienam rem periculo suo curare[1], legatos ad Bocchum mittit, postulatum ne sine caussa hostis populo romano fieret : habere eum magnam copiam societatis amicitiæque conjungendæ, quæ potior bello esset : quamquam opibus confideret, non debere incerta pro certis mutare; omne bellum sumi facile, ceterum ægerrume desinere : non in ejusdem potestate initium ejus et finem esse : incipere cuivis, etiam ignavo, licere; deponi, quum victores velint[2]. Proinde sibi regnòque consuleret; neu florentes res suas cum Jugurthæ perditis misceret. Ad ea rex satis placide verba facit : sese pacem cupere, sed Jugurthæ fortunarum misereri; si eadem illi copia fieret[3], omnia conventura. Rursus imperator contra postulata

ac tenerum penetrat doloris aculeus. — *Bonum ingenium contumelia accensum.* Ut cuique enim genorosus maxime animus et mens virtutis conscia, ita asperrimus ille est ad tolerandam contumeliam. Supra, XXII : « Quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum injuriam minus tolerare. »

Cap. LXXXIII. 1. *Alienam rem periculo suo curare.* Nempe dolor ex æmuli gloria officiebat Metello, ne videret se non Marii, sed civitatis rem negligere. Maximus humani ingenii rubor, tantum virum invidia majorem non fuisse!

2. *Deponi, quum victores velint.* Sic Catil. LVIII, n. 16 : « Nemo nisi victor pace bellum mutavit. » Confer ejusdem sapientiæ locum, Thucyd. I, 78 : Βουλεύεσθε οὖν θραδέως etc. Aliquid etiam simile habet Tacitus, Hist. IV, 69 : « Sumi bellum etiam ab ignavis; strenuissimi cujusque periculo geri. » Quod vero hic Metellus de bello non leviter suscipiendo, id de pugna non temere committenda Fabius apud Silium, VIII, 236 :

Non est, mihi credite, non est
Arduus in pugnas ferri labor; una reclusis
Omnes jam portis in campum effuderit hora.
Magnum illud solisque datum, quos mitis euntes
Jupiter aspexit, magnum est ex hoste reverti.

3. *Si eadem illi copia fieret.* Si

Bocchi nuncios mittit. Ille probare partim, alia abnuere. Eo modo sæpe ab utroque missis remissisque nunciis tempus procedere, et, ex Metelli voluntate, bellum intactum trahi.

LXXXIV. At Marius, ut supra diximus, cupientissuma plebe[1] consul factus, postquam ei provinciam Numidiam populus jussit, antea jam infestus nobilitati, tum vero[2] multus atque ferox instare: singulos modo, modo universos lædere: dictitare, sese consulatum ex victis illis spolia cepisse; alia præterea magnifica pro se, et illis dolentia. Interim, quæ bello opus erant, prima habere: postulare legionibus supplementum, auxilia a populis et regibus[3] sociisque arcessere: præterea ex Latio fortissumum quem-

Jugurthæ quoque pacem cum Romanis habendi copia fieret, — *Contra postulata Bocchi*. Nuncios mittit ad ea, quæ postulaverat Bocchus, responsuros. — *Ille probare*. Bocchus scilicet.

Cap. LXXXIV. 1. *Cupientissuma plebe*. Summo plebis studio ac voluntate. Eodem fere sensu Catilin. XL: « Nihil tam asperum..... quin *cupidissume* facturi essent. » — *Postquam ei provinciam Numidiam populus jussit*. Nota hanc dictionem, *jubere provinciam alicui*. *Populus jussit* est, *jussu suo dedit;* ita ut dativus *ei* ex sensu potius verbi *jussit* quam ex ipso verbo pendeat. Neque vero intelligi necesse est, *jussit dari*. Nam *dabat* ipse populus, non ab alio *dari* jubebat.

2. *Tum vero*. De hujus locutionis vi confer Catil. LXI, n. 1. Item XXXVII, n. 8. — *Multus atque ferox instare*. Multum (i. e. sæpe) et ferociter instare. Sed ut elegantius, ita etiam significantius est adj. *multus*, quam adverb. *multum*. Sic inf. XCVI: « In operibus, in agmine atque ad vigilias *multus* adesse. » Item Cic. quum alibi passim, tum de Off. II, 16: « Est enim *multus* (Theophr.) in laudanda magnificentia et apparatione popularium munerum. » — *Sese consulatum, etc.* Consulatum suum, spolia e victis hostibus capta vocitabat. Plutarch. in Mario: Οἱ λόγοι θρασεῖς ὄντες ὑπεροψίᾳ καὶ ὕβρει τοὺς πρώτους ἐλύπουν, σκῦλόν τε βοῶντος αὐτοῦ τὴν ὑπατείαν φέρεσθαι τῆς τῶν εὐγενῶν καὶ πλουσίων μαλακίας, καὶ τραύμασιν οἰκείοις πρὸς τὸν δῆμον, οὐ μνήμασι νεκρῶν, οὐδ' ἀλλοτρίαις εἰκόσι, νεανιεύεσθαι. — *Illis dolentia*. Illis dolorem afferentia. Eodem sensu dixit *dolentia*, quo dicitur *hoc mihi dolet*. Nam alioqui *dolens* optime refertur ad personas, ut Cicer. Paradox. V: « Soli igitur hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus, nihil *dolens*.

3. *Populis et regibus*. Scil. extra Italiam. — *Sociisque*. Italicis. Mox addit Latinos, qui, ut monuimus, XXXIX, n. 3, ab Italicis distin-

que, plerosque militiæ, paucos fama cognitos, accire, et ambiendo cogere homines emeritis stipendiis secum proficisci. Neque illi senatus, quamquam advorsus erat, de ullo negotio abnuere audebat: ceterum supplementum, etiam lætus, decreverat; quia, neque plebi militia volenti putabatur[4], et Marius aut belli usum, aut studia volgi amissurus. Sed ea res frustra sperata: tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaserat. Sese quisque præda locupletem, victorem domum rediturum, alia hujuscemodi,

guebantur. — *Plerosque militiæ, paucos fama cognitos accire.* Eos præsertim arcessebat quos militiæ, id est apud exercitum, ipse cognoverat; de paucis famæ tantum credebat. De conjunctione diversorum casuum, *militiæ.... fama*, vide Catil. XXXIII, n. 1, et sup. LXXIV, n. 4. — *Homines emeritis stipendiis.* Eos qui justum militiæ tempus expleverant. Hos quidem per legem *cogere* non licebat. Ideo dixit, *ambiendo*, id est, persuadendo, rogando, pollicendo *cogere*. Frustra deleri vult Cortius, et reipsa delet Bip. *secum proficisci*, quod habent codd.

4. *Quia neque plebi militia volenti putabatur.* Quia ipsa plebs non libenter nomen militiæ datura putabatur; unde futurum erat, ut Marius aut *belli usum*, id est, copias ad bellum necessarias non haberet, aut amitteret vulgi favorem. Is est sensus. Nunc scire attinet ad Græcorum imitationem dici: *Non militia plebi volenti* (esse) *putabatur.* Sic Thucyd. II, 3: « Τῷ γὰρ πλήθει τῶν Πλαταιέων οὐ βουλομένῳ ἦν τῶν Ἀθηναίων ἀφίστασθαι: Populo enim Platæensium non erat volenti, ab Atheniensibus deficere. » Plat. Gorg.: « Εἰ αὐτῷ γέ σοι βουλομένῳ ἐστὶν ἀποκρίνεσθαι: Si ipsi tibi volenti est respondere. » Hom. Od. γ′:

Οὐκ ἂν ἔμοιγε
Ἐλπομένῳ τὰ γένοιτ', οὐδ' ἂν θεοὶ ὡς ἐθέλοιεν.

Non mihi speranti hæc evenirent, ne si dii quidem sic vellent. » Item noster inf. C: « Uti militibus exæquatus cum imperatore labos volentibus esset. » Tacitus passim, v. g. Agric. XVIII: « Eoque initio erecta provincia, ut quibus bellum volentibus erat, » i. e. utpote qui bellum vellent; vel potius, quia illis prona ad bellum voluntas erat.

Ex his atque talibus exemplis patet, 1° veram lectionem esse *militia*, non *militiam*, quod habet Haverc. ex Prisciano, qui hunc Sallustii locum citat lib. III. 2° Male Bip. legere, *neque plebe militiam volente*, quod tamen habet noster C; male etiam nostrum E, *plebe militiam nolente*; et pejus etiam D, *plebe militia nolente*; sed propius vero A, *neque plebe militia volenti putabatur*; ubi non dubito, quin *plebe* natum sit ex dativo quintæ declin. *plebei*; denique optime sex Cortianos, *neque plebi militia volenti*; qua lectione nihil certius esse potest. Jam vero *neque plebi* inter-

animis trahebant: et eos non paullum oratione sua Marius arrexerat. Nam postquam, omnibus, quæ postulaverat, decretis, milites scribere volt; hortandi caussa, simul et nobilitatem, uti consueverat, exagitandi, concionem populi advocavit; deinde hoc modo disseruit:

LXXXV. « Scio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium a vobis petere, et, postquam adepti sunt, gerere: primo industrios, supplices, modicos[1] esse; dehinc per ignaviam et superbiam ætatem agere. Sed mihi contra ea videtur[2]: nam quo universa respublica pluris

pretamur, *ne ipsi quidem plebi*; non secus ac si dixisset: « Non solum nobilitas, sed nec ipsa plebs prona ad militiam voluntate ferri putabatur. » Quanquam non absurde cum Bip. interpretari potes *neque volenti, nolenti*; eodem modo quo dicitur *nec opinanti*, pro *non opinanti*.

Constat etiam ex his omnibus, Cortium errare non in loci sententia, sed in interpretandi modo, quum vult *plebi volenti* esse pro *plebi volens*, (passive sumpto *volens*, ut alibi *gignens*). Denique male etiam, et secum ipse pugnans, illud confert cum altero hoc (supra LXXIII): « Literis cognitis *volenti animo* de ambobus acceperant; » ubi nullum hellenismi neque anomaliæ vestigium apparet. Ceterum si attendas quam facile hoc, *non mihi speranti hæc evenirent*, salvo sensu in alterum hoc mutetur, *non ego sperarem hæc eventura*; non amplius miraberis, *illud mihi volenti est*, idem esse quod, *illud ego volo*, seu cum levi sensus discrimine, quod hujus figuræ proprium est, *illud ego non recuso*.

Cap. LXXXV. 1. *Modicos*. Modestos; intra civilem modum se continentes. Plaut. Capt. II, 1, 36: « Nam fere maxima pars morem hunc homines habent: quod si volunt, dum id impetrant, boni sunt; sed id ubi jam penes sese habent, ex bonis pessimi et fraudulentissimi sunt. » Quem morem damnavit antiqua Catonis sapientia, frag. LIX: « Perinjurium est, quum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur, ubi datus est, tum velle uti eos mutem, atque alii modi siem. »

2. *Sed mihi contra ea videtur*. Id mihi videtur, quod est contra ea; i. e. ego aliam prorsus de magistratus officiis opinionem habeo. — *Nam*. Supple rursus, *mihi videtur*; nisi malis *nam* declarative accipere, ut *nempe*, *scilicet*, et græcam particulam γάρ, in hoc Plutarchi, de Puerorum educatione: « Τὸ δὲ πάντων μέγιστον... ἔρχομαι φράσων· διδασκάλους γὰρ ζητητέον τοῖς τέκνοις, οἳ καὶ τοῖς βίοις εἰσὶν ἀδιάβλητοι, etc.; Quod vero maximum omnium est dicam: *nam* (vel *scilicet*) quærendi sunt liberis præceptores, in quorum vitam calumnia non cadat, etc. » — *Respublica pluris est quam consulatus aut prætura*. Nimirum reipu-

est, quam consulatus aut prætura, eo majore cura illam administrari, quam hæc peti, debere. Neque me fallit, quantum, cum maxumo beneficio vestro[3], negotii sustineam. Bellum parare simul et ærario parcere; cogere ad militiam, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare; et ea agere inter invidos, occursantes, factiosos, opinione, Quirites, asperius est. Ad hoc[4], alii si deliquere, vetus nobilitas, majorum facta fortia, cognatorum et affinium opes, multæ clientelæ, omnia hæc præsidio adsunt: mihi spes omnes in memet sitæ, quas necesse est et virtute, et innocentia tutari: nam alia infirma sunt. Et illud intellego[5], Quirites, omnium ora in me conversa esse: æquos bonosque favere, (quippe benefacta mea reipublicæ pro-

blicæ nomine continentur patria, leges, libertas et jura civium, denique civitas omnis; prætura autem et consulatus non nisi in horum gratiam, conservandi causa, instituta sunt.

3. *Cum maxumo beneficio vestro.* Beneficium vestrum, id est, consulatum a vobis datum accipiendo, quantum negotii simul ego susceperim, non ignoro. — *Occursantes.* Contra nitentes, et quasi obviam euntes consuli, ne faciat quod reipublicæ utile sit. — *Opinione asperius est.* Difficilius est, quam quis opinetur. Hic præcipua boni consulis officia enumerat, ut pateat omnibus, eum non temere et vana cupiditate elatum, summum consulatus honorem affectavisse.

4. *Ad hoc*, usque ad, *nam alia infirma sunt.* Hic ostendit quam sibi necesse sit bonum esse, quum careat omnibus præsidiis, quibus freti nobiles impune mali sunt. « Nullas, inquit, nisi in me spes habeo. Ergo ne spes illas corrumpam, earumque fructum amittam, virtute mihi atque innocentia opus est. — *Nam alia infirma sunt.* « Nam frustra quærerem firmius aliquod præsidium, quam virtutem atque innocentiam. » Neque enim hoc cum quibusdam intelligas: « Alia omnia præsidia, quibus nobilitas abundat, mihi nulla sunt. » Nam id jam antecedentibus satis dictum est. Imo hic affirmat Marius se, talibus destitutum præsidiis, ad virtutem confugere, quod, quamvis solum, firmissimum tamen præsidium sibi superest. — *Alii si deliquere.* Ita Cic. de Lege Agrar. II, 36: « Quemadmodum, quum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt; sic, si quid deliquero, nullæ sunt imagines, quæ me a vobis deprecentur. »

5. *Et illud intellego.* Novum argumentum, cur necesse habeat commissum munus bene gerere, ut bonorum spem impleat, malo-

cedunt); nobilitatem locum invadendi quærere : quo mihi acrius adnitendum est, ut neque vos capiamini, et illi frustra sint. Ita ad hoc ætatis a pueritia fui[6], ut omnes labores, pericula consueta habeam. Quæ ante vestra beneficia gratuito faciebam, ea uti, accepta mercede, deseram, non est consilium, Quirites. Illis difficile est in potestatibus temperare[7], qui per ambitionem sese probos simulavere : mihi, qui omnem ætatem in optumis artibus egi, bene facere jam ex consuetudine in naturam vertit. Bellum me gerere cum Jugurtha jussistis; quam rem nobilitas ægerrume tulit. Quæso, reputate[8] cum animis

rum fallat. — *Procedunt.* Utilia sunt; prospere cedunt. Modeste interpretatur sibi, non ob se ipsum, sed ob rempublicam, bonos favere. — *Invadendi.* Posset subaudiri accusativ. *me;* sed præstat absolute accipere. De nobilibus enim, ut de hostibus, loquitur, qui opportunum hostes aggrediendi tempus quærunt, (*n'attendent que le moment de l'attaque*). Atqui non Marium solum, sed totam plebem impetere volunt. Quocirca addit : *mihi adnitendum est ne vos capiamini*, id est, *opprimamini.* His significat se non sibi, sed civibus suis, timere. *Capiamini* ejusdem translationis est, quam *invadendi.* Qui enim invadit, vult capere. Cave igitur ne vocem *capiamini* cum nonnullis intelligas, *decipiamini.* — *Neque vos.... et illi.* Et vos non capiamini, et illi de sua spe dejiciantur. Hoc unum et idem esse videtur, sed tamen duæ res sunt. Hinc vult plebem ab impetu nobilium tutam esse; illinc nobiles ira et indignatione torqueri, exspectatione sua fraudatos. Optat suis fautoribus idem quod vafri fabellæ animantes, *Lafontaine*, IX, 17: Leur bien premièrement et puis le mal d'autrui.

6. *Ita ad hoc ætatis.... fui.* Ita huc usque vitam egi. Rara locutio, *ita fui*, et obiter animadvertenda. — *Quæ gratuito faciebam.* Cic. pro Murena, VIII : « Nam quum præmia mihi tanta pro hac industria sunt data, quanta antea nemini; labores per quos ea ceperis, quum adeptus sis, deponere, esset hominis astuti et ingrati. » Servatane fuerant verba Marii, ut Cicero meminerit? an Sallustius Ciceronem imitatur? an denique eadem res eamdem orationem subjicit? — *Deseram.* Eodem sensu quo supra Cicero, *deponere labores;* nisi quod plus aliquid est in *deseram;* quasi dicat, non *desertor* ero virtutis, cujus tantam mercedem a vobis accepi.

7. *In potestatibus temperare.* Sibi temperare, quum imperium habent. — *Bene facere.... in naturam vertit.* Ergo non modo necessarium, sed etiam facile et pronum est, bonas artes in consulatu retinere.

8. *Quæso, reputate*, etc. Hic probare aggreditur, non pœnitendum

vestris, num id mutare melius sit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris prosapiæ ac multarum imaginum, et nullius stipendii: scilicet ut in tanta re, ignarus omnium, trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii. Ita plerumque evenit, ut quem vos imperare jussistis, is sibi imperatorem alium quærat. Atque ego scio[9], Quirites, qui, postquam consules facti sunt, acta majorum et Græcorum militaria præcepta legere cœperint, homines præposteri; nam gerere, quam fieri, tempore posterius, re

esse plebi, ipsum belli Numidici ducem elegisse. Monet rem non melius administratum iri, si alicui nobilium committeretur. — *Id mutare*. Decretum vestrum rescindere. Putat Kunardt abundare hæc verba; senties tamen supervacanea non esse, si rem ita capias: « Certe in melius res mutata non erit, si quem ex illo globo nobilitatis ad hoc.... negotium mittatis. » Per contemptum dicit, *ex illo globo*. — *Veteris prosapiæ*. Cicero in Timæo, XI, et Quintil. I, 6, et VIII, 3, *prosapiam* vetustum vocabulum esse monent; quo rectius hic usurpatur, si attendas a quo et in quos. — *Multarum imaginum*. De imaginibus vide Catil. V, n. 2. Quo plures in atriis numerabantur, eo antiquior erat hominis nobilitas. — *Nullius stipendii*. Qui nullum in castris stipendium meruit. Jam enim nobiles plebem militia urgebant ipsi immunes (sup. XLI). Invidiose opponit *multarum imaginum*, *nullius stipendii*, quasi isti homines vana superbiant nobilitate, veram non habeant. — *Ignarum omnium*. Sc. eorum quæ scire debet bonus imperator. — *Trepidet*. In rebus agendis trepida et incerta mente statuet. — *Festinet*. In malam partem; vid. Catil. XXVII, n. 11. — *Sumat aliquem*, etc. Hoc in Metellum oblique jactum videtur, quem suis consiliis eguisse criminose arguit.

9. *Atque ego scio... qui*, etc. Novi ego homines qui... — *Legere cœperint*. Ergo non usu atque laboribus militiam didicerunt; sed ne ex libris quidem ante discere cogitant, quam consules facti sint. — *Homines præposteri*. Qui rerum ordinem invertunt, et *posterius* faciunt, quod natura *prius* est. *Præposterus* enim ex duabus præpositionibus *præ* et *post* componitur. — *Nam gerere quam fieri*, etc. Nam gerere consulatum temporis ordine *posterius*, sed re atque usu *prius* est, quam fieri consulem. Ut hoc capias, sic totum argumentum repetere attinet: « Qui officia consulis non ante discunt, quam consules facti sint, ii rerum ordinem invertunt. Ex his enim duobus, *gerere consulatum* et *fieri consulem*, quamvis temporis ordine GERERE *posterius* sit, (nemo enim gerit, antequam fuerit electus); *prius*

atque usu prius est. Comparate nunc, Quirites[10], cum illorum superbia me hominem novum. Quæ illi audire et legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi: quæ illi literis, ego militando didici: nunc vos existumate, facta, an dicta pluris sint. Contemnunt novitatem meam; ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra objectantur. Quamquam ego[11] naturam unam et communem omnium existumo, sed fortissumum quemque generosis-

tamen est, si *rem* ipsam et *usum*, i. e. eventus ex ejus rei usu sequentes spectaveris. Atqui homines isti non curant, quomodo *geratur* consulatus, nisi creati consules. Ergo *posterius* faciunt, quod per se *prius* est; ergo homines *præposteri* sunt. » Omnis nodus in eo est, quod vox *posterius* ad tempus respicit, *prius* vero ad rei gravitatem. Sed is plane solvitur hoc Demosthenis loco, quem fere ad verbum expressit noster, Olynth. III, p. 36, Ed. Lips. 1812: « Τὸ γὰρ πράττειν τοῦ λέγειν καὶ χειροτονεῖν ὕστερον ὂν τῇ τάξει, πρότερον τῇ δυνάμει καὶ κρεῖττόν ἐστι: Agere enim *ordine* posterius quam dicere et decernere, prius tamen *vi atque usu* (δυνάμει) et efficacius est. » Hic quoque ὕστερον ad tempus, πρότερον ad rem refertur; et, quod omnem difficultatem removet, vox πρότερον (prius) sequenti κρεῖττον (efficacius), completur et explicatur. Sententiam Sallustianam, in qua omnes, quos legerim, lapsi sunt, sic fere gallice, non eleganter quidem, sed fideliter reddideris: *Car de ces deux choses, exercer et obtenir le consulat, si l'exercice est la dernière dans l'ordre des temps, c'est la première pour l'importance et les résultats.* Nunc si quis judicet aliquid affectatæ brevitatis et quæsitæ oppositionis huic sententiæ inesse, per me licet.

10. *Comparate nunc, Quirites*, etc. Hic vates qui, *vestigia græca ausus deserere*, Anglicam Melpomenen Gallico ornavit cultu, sicque nobis pulchriorem ostendit, *Ducis, tragédie d'Othello*, act. II, sc. I:

Voyez ce nom si grand, qui seul et sans aïeux
S'est vengé tant de fois du sort injurieux.
Osez lui comparer, après ses longs services,
Tous ces nobles sans gloire ou connus par leurs vices,
Qui n'ont rien recueilli, nés de pères fameux,
Que l'opprobre éclatant d'être descendus d'eux.

11. *Quamquam ego, etc.* Versus omnibus notos, multis in pravam interpretationem detortos, utique verissimos, hic non referrem, nisi Marii sententiam ad verbum expressisset Gallicus vates, *Voltaire, Mahomet*, act. I, sc. 4:

Les mortels sont égaux; ce n'est point la naissance,
C'est la seule vertu qui fait leur différence.

— *Generosissumum.* Optimo genere ortum. Senec. Ep. XLIV: « Nullius non origo ultra memoriam jacet. Plato ait neminem regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit, ac sursum deorsum fortuna versavit. Quis ergo generosus? Ad virtutem bene

sumum. Ac si jam ex patribus Albini aut Bestiæ[12] quæri posset, mene, an illos ex se gigni maluerint; quid responsuros creditis, nisi, sese liberos quam optumos voluisse? Quod si jure me despiciunt, faciant idem majoribus suis; quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. Invident honori meo : ergo invideant et labori, innocentiæ, periculis etiam meis; quoniam per hæc illum cepi. Verum homines corrupti superbia ita ætatem agunt, quasi vestros honores contemnant; ita hos petunt, quasi honeste vixerint. Næ illi falsi sunt, qui divorsissumas res pariter exspectant, ignaviæ voluptatem et præmia virtutis. Atque etiam, quum

a natura compositus. » Adde Juvenal. Sat. VIII, 19 :

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est atque unica virtus.

12. *Ac si jam ex patribus Albini aut Bestiæ*, etc. Se generosiorem probare vult quam istos, qui se unice generosos dictitant. Ideo sumit exemplum ab istis nobilibus, quos flagrantes adhuc delictorum infamia, ipsi quibus superbiunt patres erubescant. — *Liberos quam optumos.* Id generatim dicit per modestiæ speciem. Nam intelligi vult patres Albini aut Bestiæ ex se gigni maluisse Marium, quam illos. — *Ex patribus.* Intellige non *parentes*, sed latiore sensu *majores.* Sic enim Plutarch. in Mario, IX : Ἐπυνθάνετο τῶν παρόντων, εἰ μὴ καὶ τοὺς ἐκείνων οἴονται προγόνους, αὐτῷ μᾶλλον ἂν εὔξασθαι παραπλησίους ἐκγόνους ἀπολιπεῖν, ἅτε δὴ μήδ' αὐτοὺς δι' εὐγένειαν, ἀλλ' ἀπ' ἀρετῆς καὶ καλῶν ἔργων ἐνδόξους γενομένους. — *Faciant idem majoribus suis.* Despiciant quoque majores suos, qui antequam nobiles fierent, homines novi fuerunt. Pro *faciant*, Cortius legit *faciunt*, idque necessarium esse affirmat propter superiora, *quod si* JURE *me despiciunt.* Quod idem nobis non videtur, bonumque argumentum sic ducimus : *s'ils ont le droit de me mépriser, qu'ils méprisent donc aussi leurs ancêtres.* — *Quibus uti mihi*, etc. In eamdem fere sententiam recentium philosophorum eloquentissimus, *Rousseau, Nouv. Hél. prem. partie, lettre* 62 : *Il sera le fondement et l'honneur de sa maison, comme votre premier ancêtre le fut de la vôtre. Vous seriez-vous donc tenu pour déshonoré par l'alliance du chef de votre famille, et ce mépris ne réjaillirait-il pas sur vous-même?* — *Corrupti superbia.* Quam nimirum illis persuadet, sibi gratuito honores deberi. — *Næ illi falsi sunt.* Certe illi spes irritas alunt.

In toto hoc loco, a verbis *invident honori meo*, usque ad *præmia virtutis*, ostendit immerito populi judicium a nobilibus damnari; suorum enim quemque operum fructum cepisse. Marius laborem elegit; habet consulatum. Nobilitas ignaviam maluit; ignaviæ voluptate fruatur, nec quærat præmia virtutis.

apud vos, aut in senatu verba faciunt, pleraque oratione majores suos extollunt ; eorum fortia facta memorando clariores sese putant : quod contra est. Nam quanto vita illorum præclarior[13], tanto horum secordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet : majorum gloria posteris quasi lumen est; neque bona, neque mala in occulto patitur. Hujusce rei ego inopiam patior, Quirites; verum id, quod multo præclarius est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui sint: quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt : scilicet, quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas est; quam certe peperisse melius est, quam acceptam corrupisse. Equidem ego non ignoro[14], si jam respondere velint, abunde illis facundam et compositam orationem fore. Sed in maxumo vestro beneficio, quum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere ; ne quis modestiam in conscientiam duceret. Nam me quidem,

13. *Nam quanto vita illorum præclarior.* Juvenal. VIII, 138 :

Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas claramque facem præferre pudendis.

Item *Boileau, sat.* V :

Mais fussiez-vous issu d'Hercule en droite ligne,
Si vous ne faites voir qu'une bassesse indigne,
Ce long amas d'aïeux que vous diffamez tous,
Sont autant de témoins qui parlent contre vous;
Et tout ce grand éclat de leur gloire ternie,
Ne sert plus que de jour à votre ignominie.

— *Neque bona, neque mala in occulto patitur.* Cicer. Offic. II, 13. « In hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum quid agat, quemadmodum vivat, anquiritur, et tanquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum ejus esse, nec factum. » — *Hujusce rei ego inopiam patior.* Non ego possum fortia facta majorum meorum extollere. — *Quod multo præclarius est.* Rousseau, loco jam citato : *Quoi que vous pensiez de moi, je serais bien fâché de n'avoir d'autre preuve de mon mérite qu'un homme mort depuis cinq cents ans.*

14. *Equidem ego non ignoro.* Hic monet populum, ne decipiatur nobilium orationibus, quas in artem compositas, et ad fallendum accommodatas, fore prænunciat. — *In maxumo beneficio vestro.* « Quum mihi consulatum mandando, maximum in me beneficium contulistis. » Ambitiosa modestia profitetur se omnia populo debere. Hinc fit ut, in Marii injuria, populus ipse despectus videatur. — *Ne quis modestiam in conscientiam duceret.* Ne cui silere videar, quia mihi conscius sim eorum, quæ in me probra conjician-

ex animi sententia, nulla oratio lædere potest : quippe vera necesse est bene prædicet; falsam vita moresque mei superant. Sed quoniam vestra consilia accusantur, qui mihi summum honorem, et maxumum negotium imposuistis; etiam atque etiam reputate, num id pœnitendum sit. Non possum, fidei caussa[15], imagines, neque triumphos, aut consulatus majorum meorum, ostentare; at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona; præterea cicatrices advorso corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc nobilitas, non hereditate relicta, ut illa illis; sed quæ ego plurimis laboribus et periculis quæsivi. Non sunt composita verba mea[16]; parum id facio; ipsa

tur. — *Ex animi sententia.* Ita sum animo affectus, ut nulla oratione lædi me posse arbitrer.

15. *Fidei caussa.* Ut fidem vobis faciam, me beneficio vestro dignum esse. — *Non possum... imagines... ostentare.* Jam dixit se imagines non habere. Hoc iterum dicit ea mente, ut nobilitatem hereditatis jure acceptam, titulis virtute partis, opponat. — *Hastas.* Hasta pura, i. e. sine ferro, priscis temporibus donabatur miles, qui primum in prælio vicerat (Serv. ad Virg. Æn. VI, 760); deinde qui hostem in excursione aut velitatione percusserat, (Lips. ad Polyb. de Milit. Romana V, 17). — *Vexillum.* Vexilla quoque erant inter militaria dona. In Vopisco, dantur Aureliano hastæ puræ decem, vexilla bicolora quatuor. Augustus vero, apud Sueton. XXV, Agrippam post navalem victoriam cæruleo vexillo donavit, qui color maris (Lips. ibid.). Non erant ergo, ut putat Badius, vexilla illa semper ex hostibus capta. Quanquam fuisse nonnunquam videntur, ex Silio, XV, 261 :

Tunc hasta viris, tunc martia cuique
Vexilla, ut meritum, et prædæ libamina dantur.

— *Phaleras.* Silius, ibid. vers. 255 :

Phaleris hic pectora fulget;
Hic torque aurato circumdat bellica colla.

Juvenalis, Satir. ultima, v. 60 :

Ut læti phaleris omnes et torquibus omnes.

Hoc probat *phaleras*, quod nomen in ornamentis equorum usurpatur, virorum quoque esse, a torquibus eo dissimiles, quod *phaleræ* demissæ ad pectus pendebant, *torques* stringebant magis et ambibant ipsum collum. Vid. Lips. l. c. — *Cicatrices adverso corpore.* Sic *Othello*, apud vatem jam laudatum, act. I, sc. 5 :

Si je n'ai point d'aïeux, comptez mes cicatrices.

16. *Non sunt composita verba mea.* *Othello*, act. I, sc. 7 :

Je suis homme et soldat; ce sont là tous mes titres.
Né sous un ciel sauvage et nourri loin des cours,
On ne m'a point appris à farder mes discours.

— *Parum id facio.* Haverc. edidit, *parvi id facio.* Omnes tamen MSS., et apud illum, et Cortiani, et nos-

se virtus satis ostendit : illis artificio opus est, uti turpia facta oratione tegant. Neque literas græcas didici : parum placebat, eas discere; quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil profuerunt [17]. At illa multo optuma reipublicæ doctus sum : hostem ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam; hiemem et æstatem juxta pati; humi requiescere; eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His ego præceptis milites hortabor : neque illos arte colam, me opulenter [18]; neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque quum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id

tri, habent *parum*. Fortasse *facio* non intelligi debet *æstimo*; sed *parum id facio* erit, *parum id ago*; *parum in ea re laboro*, sc. ut composita sint verba mea. Hæc est saltem Cortii sententia, quam si non probes, fac dictum esse *parum* contra regulas, aut librarii antiqui manum errasse.

17. *Ad virtutem doctoribus nihil profuerunt*. Græci nempe, egregii illi doctores litterarum, libertatem amiserant. Nihil igitur ad virtutem iis litteræ profuerunt. *Virtutem* vero intellige fortitudinem bellicam, quæ, judice Mario, sola virtus est. Ceterum civilis animi erat, apud Romanos, Græcos Græcorumque artes contemnere. Hoc animo cecinit Virg. Æneid. VI :

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidem; vivos ducent de marmore vultus;
Orabunt causas melius, cœlique meatus
Describent radio et surgentia sidera dicent;
Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Eodem animo Tullius, in Verrem de Signis II, fingit se artificum græcorum nomina tunc solum didicisse, dum in istum inquireret. Quem si contemptum, populo ut placerent, præ se tulerunt Virgilius et Cicero, quid Marius, rusticus et illitteratus homo? — *Nihil metuere, nisi turpem famam*. Egregium præceptum, nulli similius, quam huic Juvenal. VIII, 83 :

Summum crede nefas animam præferre pudori.

18. *Neque illos arte colam, me opulenter*. Non illos arcte, i. e. aspere et rigide habebo, me largius et indulgentius. Non eos egere patiar, ipse omnibus rebus abundans. — *Neque gloriam meam*, etc. Nec illorum labore ad gloriam meam abutar. Simili constructione sup. XIV : « Primum *regnum* ejus, sceleris sui *prædam* fecit. Vide præterea n. I, ejusdem capitis. Jam vero quod hic de se Marius, idem de Agricola dicit Tacit. XXII : « Nec Agricola unquam per alios gesta avidus intercepit; seu centurio, seu præfectus incorruptum facti testem habebat. » — *Hoc civile imperium*. Cive dignum civibus imperante. Sic Liv. VI, 40, *sermonem minime civilem* dicit eum, quo civium jura læderentur. — *Tute*. Tu ipse. *Te* enim particula encli-

est dominum, non imperatorem esse. Hæc atque talia majores vestri faciundo, seque remque publicam celebravere. Quis nobilitas freta[19], ipsa dissimilis moribus, nos illorum æmulos contemnit; et omnes honores, non ex merito, sed quasi debitos, a vobis repetit. Ceterum homines superbissumi procul errant. Majores eorum omnia, quæ licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui præclaram. Virtutem non reliquere; neque poterant: ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me et incultis moribus aiunt; quia parum scite convivium exorno[20], neque histrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo: quæ mihi lubet confiteri.

tica est, non accusativus pronominis. — *Agas.* Sc. vitam. — *Supplicio cogere.* Pœnarum metu ad officium cogere. *Supplicio*, sing. numero, generaliter dictum est, eodem sensu, quo plur. *suppliciis.* — *Celebravere.* Gloria illustravere.

19. *Quis nobilitas freta.* Quibus majoribus (quorum majorum nomine) freta nobilitas. — *Nos illorum æmulos.* Qui illos, sc. majores, imitari studemus. — *Virtutem non reliquere.* Senec. Epist. XLIV: « Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus; nemo in nostram gloriam vixit; nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem; cui, ex quacumque conditione, licet supra fortunam surgere. » — *Ea sola neque datur dono, etc.* Senec. Ep. XXVII: « Bona mens nec commodatur, nec emitur; et puto, si venalis esset, non haberet emptorem; at mala quotidie emitur. »

20. *Exorno.* Instruo omnibus rebus, quas elegantiores requirunt. — *Neque histrionem ullum.* Jam Marii temporibus histriones conviviis adhibebantur, ut patet ex hoc Livii loco, XXXIX, 6: « Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Asiatico (Manlii Vulsonis, A. U. C. 568) invecta in urbem est. Ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas et alia textilia, et quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia et abacos, Romam advexerunt. Tum psaltriæ sambucistriæque, et convivalia *ludionum* oblectamenta addita epulis. Epulæ quoque ipsæ et cura et sumptu majore apparari cœptæ. Tum coquus, vilissimum antiquis mancipium, et æstimatione et usu in pretio esse; et quod ministerium fuerat, ars haberi cœpta. Vix enim illa, quæ tum conspiciebantur, semina erant futuræ luxuriæ. » — *Neque pluris pretii coquum..... habeo.* Neque coquum habeo pluris emptum, quam villicum; eadem sententia, qua M. Cato (apud Gell. XI, 2) de antiquis dicit: *equos carius, quam coquos, emebant.* Non igitur *habeo* intelligen-

Nam ex parente meo, et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire; omnibusque bonis oportere plus gloriæ, quam divitiarum; arma, non suppellectilem, decori esse. Quin ergo, quod juvat, quod carum æstumant, id semper faciant: ament, potent[21]: ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri et turpissumæ parti corporis: sudorem, pulverem, et alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis jucundiora sunt. Verum non est ita: nam ubi se omnibus flagitiis dedecoravere turpissumi viri, bonorum præmia ereptum eunt. Ita injustissume luxuria et ignavia, pessumæ artes, illis, qui coluere eas, nihil officiunt; reipublicæ innoxiæ cladi sunt. Nunc quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia, poscebant, respondi; pauca de republica loquar. Primum omnium de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam quæ ad hoc tempus Jugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, imperitiam, superbiam[22]. Deinde exercitus ibi est, locorum sciens; sed mehercule magis strenuus, quam felix; nam magna pars avaritia, aut temeritate ducum

dum est *æstimo*, sed *possideo*. — *Villicum*. Villicus erat servus colendis agris et administrandæ villæ præpositus, dominoque suo fructuum omnium rationem reddens. — *Quæ mihi lubet confiteri*. Quæ non confiteor solum, sed *libenter*, ut rem gloriosam, confiteor. — *Sanctis viris*. Sanctus dicitur vir in omni virtutum genere perfectus et absolutus.

21. *Ament, potent*. Sc. luxuriose. Eodem modo dixit in Catil. XI: « Ibi insuevit exercitus populi romani amare, potare etc. » — *Ubi adolescentiam habuere*. In quibus artibus adolescentiam transegere, in iisdem agant senectutem; scil. in conviviis, etc.—*Sudorem, pulverem... relinquant nobis*. Id est, « Non illis invidemus suas delicias; sed ne invideant nobis belli labores, quos deliciis omnibus anteponimus. Illorum conditio est per luxuriam et voluptates ætatem agere; nostra, in castris laborare, sudare, pulvere sordidos esse. Sua sorte contenti sint, ut nos nostra. » Hoc quam invidiose dictum sit in nobiles, facile intelligitur.

22. *Avaritiam, imperitiam, superbiam*. Tribus his verbis tres imperatores notat: *avaritia*, Bestiam; *imperitia*, Albinum; *superbia* Metel-

attrita est. Quamobrem vos, quibus militaris ætas, adnitimini mecum et capessite rempublicam: neque quemquam, ex calamitate aliorum aut imperatorum superbia, metus ceperit. Egomet in agmine, in prælio, consultor idem et socius periculi, vobiscum adero; meque vosque in omnibus rebus juxta geram. Et profecto, diis juvantibus, omnia mâtura sunt[23], victoria, præda, laus: quæ si dubia aut procul essent, tamen omnes bonos reipublicæ subvenire decebat. Etenim ignavia nemo immortalis factus[24]: neque quisquam parens liberis, uti æterni forent, optavit; magis

lum. — *Militaris ætas.* Institutum fuerat a Servio Tullio rege (teste Gellio, x, 28) ut ab anno septimo decimo milites scriberentur. Hæc erat militaris ætas.

23. *Omnia matura sunt.* Omnia facilia et in promptu sunt. Translatum a fructu, qui, maturus jam, colligentis manum exspectare videtur. — *Quæ si dubia aut procul essent.* Argumentum a fortiori: « Etiamsi victoria, præda et laus in promptu non essent; tamen *decebat*, id est, deceret omnes bonos arma capere, ut reipublicæ subvenirent. Quanto magis, quum victoria in manu est? »

24. *Ignavia nemo immortalis factus.* His demonstrat, etiamsi plus periculi adeundi esset, quam gloriæ quærendæ, neminem tamen periculo absterreri debere. Nam, ut ait Horat. Carm. III, 2:

Mors et fugacem persequitur virum;

et Homerus, Iliad. ζ, 488:

Μοῖραν δ' οὔτινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν
Οὐ κακὸν, οὐδὲ μὲν ἐσθλὸν, ἐπὴν τα πρῶτα γένηται.

Quem æmulatur Tyrtæus, IV:

Οὐ γάρ κως θάνατόν γε φυγεῖν εἱμαρμένον ἐστὶν
Ἄνδρ', οὐδ' ἢν προγόνων ᾖ γένος ἀθανάτων.
Πολλάκι δηϊότητα φυγὼν καὶ δοῦπον ἀκόντων
Ἔρχεται, ἐν δ' οἴκῳ μοῖρα κίχεν θανάτου.

— *Neque quisquam parens*, etc. Hoc e Platone desumpsit Sallust., Menex. xx: Οὐ γὰρ ἀθανάτους σφίσι παῖδας εὔχοντο γενέσθαι, ἀλλ' ἀγαθοὺς καὶ εὐκλεεῖς. Conferri quoque potest Thucyd. II, 44, Pericl. Epitaph.

Plut. in Mario nonnulla refert, ut ab illo dicta, quæ in hac ipsa oratione occurrunt, sive ex Sallustio Plut. hauserit, sive fama memor aliquid ad eum usque, ex Marianis in nobilitatem insectationibus, servaverit. Quomodocumque se res habeat, certe hæc oratio, ut ceteræ, a Sallustio scripta est; sed ita scripta, ut vivam ad effigiem Marianum ingenium repræsentet. Nam tota ab initio ad finem oratio Sallustiano colore tincta est; Sallustiana sunt et singula verba, et universa dictio; denique sunt aliqua etiam e græcis fontibus derivata, quos certe Marius non adierat. Sententiæ vero incultæ, agrestes, abruptæ, per-

uti boni honestique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, si timidis virtutem verba adderent; nam strenuis abunde dictum puto. »

LXXXVI. Hujuscemodi oratione habita, Marius, postquam plebis animos arrectos videt, propere commeatu, stipendio, armis, aliis utilibus naves onerat : cum his A. Manlium[1] legatum proficisci jubet. Ipse interea milites scribere, non more majorum, neque ex classibus[2], sed uti cujusque lubido erat, capite censos plerosque. Id fac-

petua et usque recurrens nobilium censura, vere Marianum ingenium redolent. Si hanc orationem certo aliquo die non habuit Marius, saltem in ea nihil est, quod non quandoque dicere potuerit.

Cap. LXXXVI. 1. *A. Manlium.* Plin. XXXIII, 1, *Manilium* vocat. Nostrorum codd. alii *Manlium*, alii *Mallium*. Eligant, quibus hoc operæ pretium videtur.

2. *Neque ex classibus.* Descriptas a rege Servio Tullio classes dilucide enarrat Liv. I, 43. In has distribuebantur cives ex facultatibus suis, seu ex rei familiaris censu. Minimus vero census esse debebat:

Primæ classis, asses...	100000
Secundæ.....	75000.
Tertiæ.....	50000.
Quartæ.....	25000.
Quintæ.....	11000.

Quinque illæ classes 193 centurias conficiebant, ex quibus milites legebantur. « Hoc minor census, inquit Livius, reliquam multitudinem habuit; inde una centuria facta est, immunis militia. » Neque vero dicit Sallustius Marium in quinque his classibus milites non scripsisse. Sed promiscue scribebat, non *ex classibus*, i. e. non secundum antiquam classium divisionem. — *Capite censos.* Homines tenuissimæ vel nullius pecuniæ, qui *capite* tantum, non re familiari, *censebantur*; hi omnes, cum *proletariis*, ultimæ centuriæ erant. Causam vero affert Gellius, XVI, 10, cur isti ad militiam non vocarentur : « Sed quoniam res pecuniaque familiaris obsidis vicem pignorisque esse apud rempublicam videbatur; amorisque in patriam fides quædam in ea firmamentumque erat; neque *proletarii*, neque *capite censi* milites, nisi in tumultu maximo, scribebantur, quia familia pecuniaque his aut tenuis aut nulla esset. Proletariorum tamen ordo honestior aliquanto et re et nomine, quam capite censorum, fuit. Nam et asperis reipublicæ temporibus, quum juventutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur.....; et non *capitis censione*, sed prosperiore vocabulo, a munere officioque prolis edendæ, appellati sunt..... Capite censos autem primus C. Marius..... milites scripsisse traditur. » Ceterum putat Salmasius, et cum eo Oisellius, ad hunc Gellii locum, eosdem æque et *proletarios* et *capite censos* dictos fuisse.

tum alii inopia bonorum[3], alii per ambitionem consulis memorabant; quod ab eo genere celebratus auctusque erat: et homini potentiam quærenti egentissumus quisque opportunissumus; cui neque sua curæ, quippe quæ nulla sunt, et omnia cum pretio honesta videntur. Igitur Marius cum majore aliquanto numero, quam decretum erat, in Africam profectus, diebus paucis Uticam advehitur. Exercitus ei traditur a P. Rutilio legato. Nam Metellus conspectum Marii fugerat; ne videret ea, quæ audita animus tolerare nequiverat.

LXXXVII. Sed consul, expletis legionibus cohortibusque auxiliariis, in agrum fertilem et præda onustum proficiscitur: omnia ibi capta militibus donat. Dein castella, et oppida natura et viris parum munita aggreditur: prælia multa, ceterum alia levia aliis locis facere[1]. Interim novi milites sine metu pugnæ adesse: videre fugientes capi, occidi; fortissumum quemque tutissumum; armis libertatem, patriam parentesque et alia omnia tegi, gloriam atque divitias quæri. Sic brevi spatio novi veteresque coaluere, et virtus omnium æqualis facta. At reges, ubi de adventu Marii cognoverunt, divorsi in locos difficiles abeunt. Ita Jugurthæ placuerat, speranti, mox effusos hostes invadi posse; Romanos, sicuti plerosque, remoto metu, laxius licentiusque futuros.

3. *Inopia bonorum.* Bonos intellige *ditiores;* vid. Catil. XXXVII, n. 5. — *Per ambitionem.* Studio captandi infimorum hominum favoris. De hoc sensu vocabuli *ambitio*, vid. sup. XLV, n. 1. — *Quod ab eo genere celebratus auctusque erat.* Aliam quoque causam addit Valer. Maximus, libro II, c. 3: « Civis alioqui magnificus, sed novitatis suæ conscientia, vetustati non sane propitius; memorque, si militaris ignavia humilitatem spernere perseveraret, se a maligno virtutum interprete velut capite censum imperatorem compellari posse. » — *Egentissumus quisque*, etc. Vide eadem fere, Catil. XXXVII, n. 7.

Cap. LXXXVII. 1. *Prælia multa, ceterum alia levia*, etc. Cortius conjicit Sallustium scripsisse: *prælia multa, ceterum levia, alia aliis locis facere.* Et certe *levia* tantum prælia faciebat, quo minore periculo hostilem impetum sustinere assuescerent novi milites.

LXXXVIII. Metellus interea Romam profectus, contra spem suam, lætissumis animis excipitur[1]; plebi patribusque, postquam invidia decesserat, juxta carus. Sed Marius impigre prudenterque suorum et hostium res pariter attendere; cognoscere quid boni utrisque, aut contra esset; explorare itinera regum, consilia et insidias antevenire; nihil apud se remissum, neque apud illos tutum pati. Itaque et Gætulos, et Jugurtham, ex sociis nostris prædam agentes, sæpe aggressus in itinere fuderat; ipsumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat[2]. Quæ postquam gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit; statuit urbes, quæ viris aut loco pro hostibus, et advorsum se opportunissumæ erant, singulas circumvenire : ita Jugurtham aut præsidiis nudatum, si ea pateretur, aut prælio certaturum. Nam Bocchus nuncios ad eum sæpe miserat, velle populi romani amicitiam; ne quid ab se hostile timeret. Id simulaveritne, quo improvisus gravior accideret[3], an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum.

Cap. LXXXVIII. 1. *Lætissumis animis excipitur.* Neque tantum exceptus est benigne, sed postea etiam triumphavit, teste Vell. II, 11 : « Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus, et meritum; virtutique cognomen Numidici inditum. » Item Eutrop. IV, extrem. : « Et duo triumphi de Jugurtha, primus per Metellum, secundus per Marium, acti sunt. » Pulchrum orationis, quam Metellus de suo triumpho habuit, fragmentum servavit Gellius, XII, 9. — *Postquam invidia decesserat.* Nempe sine invidia jam et odio judicium de Metello ferebant, utpote qui ad privatam conditionem regressus esset.

2. *Armis exuerat.* Tam vehementer aggressus erat, ut rex arma relinquere coactus fuerit. Sic dicitur, *exuere urbe, provincia, castris.* — *Neque belli patrandi.* Supp. *esse.* « Ubi intelligit hæc ad gloriam quidem, non vero ad bellum conficiendum satis esse. « De hoc genitivi usu, vid. Catil. VI : « Quod initio conservandæ libertatis atque augendæ reipublicæ fuerat. » Quatuor e nostris habent in contextu, *belli patrandi copiam.* Codex vero D, *copiam* habet intra lineas, loco glossematis.

3. *Gravior accideret.* Graviori, ut ita dicam, *casu* in Romanos ingrueret. Aliqui, *accederet*, quod habent nostr. codd. quatuor. Unus D, *accideret*, quod etiam legit Cor-

LXXXIX. Sed consul, uti statuerat, oppida castellaque munita adire : partim vi, alia metu aut præmia ostentando, avortere ab hostibus. Ac primo mediocria gerebat, existumans Jugurtham ob suos tutandos in manus venturum[1]. Sed ubi procul abesse, et aliis negotiis intentum accepit; majora et magis aspera aggredi tempus visum. Erat inter ingentes solitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capsa : cujus conditor Hercules Libys[2] memorabatur. Ejus cives apud Jugurtham immunes, levi imperio, et ob ea fidelissumi habebantur[3]; muniti advorsum hostes non mœnibus modo, et armis atque viris, verum etiam multo magis locorum asperitate. Nam, præter oppido propinqua, alia omnia vasta, inculta, egentia aquæ, infesta serpentibus[4] : quarum vis, sicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium ipsa perniciosa, siti magis, quam alia re, accenditur. Ejus

tius, cum pluribus e suis. Multo significantius esse *accideret*, quam *accederet*, nemo non intelligit.

Cap. LXXXIX. 1. *In manus venturum.* Hoc e Thucyd. 1, 52, desumptum, (ἐς χεῖρας ἦλθον) in nostrum sermonem transtulimus, dicimusque eodem sensu, *en venir aux mains.* Jam occurrit sup. LVII, *prælium in manibus facere.*

2. *Hercules Libys.* Hic unus est ex quadraginta et amplius quos memorat Varro, quosque mercatores aut coloniarum ductores fuisse verisimile est. Vide sup. XVIII, n. 5. De Libyco Hercule meminit Solinus, XXVII.

3. *Levi imperio et ob ea fidelissumi habebantur.* Duplici sensu sumptum est *habebantur.* Sc. *levi imperio habebantur*, i. e. *tractabantur*; et fidelissimi *habebantur*, i. e. *credebantur.* Nisi malis post *immunes* et *levi imperio*, subaudire, *erant.* Leve autem imperium dicit, quod non gravius populo incumbit; quæ res firmissimum fidei vinculum est.

4. *Infesta serpentibus.* Periculosa propter serpentes. Sic Tac. Agric. XXV : « Infesta hostili exercitu itinera timebantur. » De serpentibus Afris meminit quoque Silius, I, 211 :

Sed qua se campis æqualentibus Africa tendit,
Serpentum largo coquitur fecunda veneno.

Idem lib. VI, pugnam Reguli exercitus contra immanem serpentem describit; cui loco si addas quæ de angue, cui nomen *le serpent devin*, memorat vir et scriptorum sublimitate, et morum gravitate, et summis honoribus optime gestis pariter commendandus, *le comte de Lacépède* (*Ovipares*), intelliges in ista regione aliquid a serpentibus, vel armato exercitui, reformidandum fuisse. — *Siti magis quam alia re*

potiundi Marium maxuma cupido invaserat, quum propter usum belli, tum quia res aspera videbatur. Et Metellus oppidum Thalam[5] magna gloria ceperat, haud dissimiliter situm munitumque : nisi quod apud Thalam haud longe a mœnibus aliquot fontes erant; Capsenses una modo, atque ea intra oppidum, jugi aqua[6], cetera pluvia utebantur. Id ibique, et in omni Africa, quæ procul a mari incultius agebat, eo facilius tolerabatur, quia Numidæ plerumque lacte et ferina carne vescebantur, neque salem, neque alia irritamenta gulæ quærebant : cibus illis advorsum famem atque sitim, non lubidini neque luxuriæ, erat.

XC. Igitur consul, omnibus exploratis, credo, dis fretus[1] (nam contra tantas difficultates consilio satis providere non poterat : quippe etiam frumenti inopia tentabatur[2]; quod Numidæ pabulo pecoris magis quam arvo student,

accenditur. Hoc opponitur antecedentibus, *ipsa perniciosa*, i. e. perniciosa per se ipsam. Conf. Virg. Georg. III, 432 :

Postquam exusta palus, terræque ardore dehiscunt,
Exsilit in siccum et flammantia lumina torquens
Sævit agris, asperque siti atque exterritus æstu.

5. *Et Metellus oppidum Thalam*, etc. Vide sup. LXXV et LXXVI. Animadverte, lector, duas (præter utilitatem) capiendæ Thalæ causas : arrectum ipsa difficultate animum; æmulationem non prius conquieturam, quam Metellum superaverit; et ex uno facto totum disce Marium.

6. *Una modo.... jugi aqua*. Jugis aqua dicitur, quæ nunquam deficit. Opponitur sequentibus, *cetera pluvia utebantur;* i. e. cetera aqua, qua utebantur, pluvia erat. Cave ne accusativum credas *cetera*. Sextus casus est utraque vox *cetera pluvia*. — *Quæ procul a mari incultius agebat*. Ubi homines, procul a mari, incultius, quam in maritimis regionibus, vivebant; quia scilicet nullum eis erat cum populis humanioribus commercium. — *Quæ* (Africa) *incultius agebat*, pro, *cujus incolæ incultius agebant*. Neque vero necesse est cum Cortio, contra MSS. legere, *qui ... agebant*. — *Cibus illis*, etc. Oblique jactum in sui ævi et patriæ homines.

Cap. XC. 1. *Credo, dis fretus*. Dictum est supra, LXIII, Marium sagis et haruspicibus ultra modum, sive ex animo, sive per simulationem, sive utroque simul modo, deditum fuisse. Ceterum qui magnas res appetit, aliquid incertæ spei et fatis ignotis dare necesse est; nec usquam præsentior, quam in maximis rebus, opera fortunæ. Neque laus igitur, neque vituperatio est in his verbis, *credo, dis fretus*.

2. *Inopia tentabatur*. Ne credas,

et quodcumque natum fuerat, jussu regis in loca munita contulerant; ager autem aridus et frugum vacuus ea tempestate, nam æstatis extremum erat), tamen pro rei copia satis providenter exornat: pecus omne, quod superioribus diebus prædæ fuerat, equitibus auxiliariis agendum attribuit: A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris[3], ubi stipendium et commeatum locaverat, ire jubet, dicitque se prædabundum post paucos dies eodem venturum. Sic incepto suo occulto pergit ad flumen Tanam.

XCI. Ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas, æqualiter[1] distribuerat, et, ex coriis utres uti fierent, curabat: simul et inopiam frumenti le-

cum Cortio, vocem *inopia* nominativum esse. Ablativus est. Marius inopia frumenti tentabatur, i. e. lacessebatur. Inopia eum adoriri cœperat; ejus animum labefactare quodammodo conabatur. — *Quam arvo.* Agrorum culturæ. — *Quodcumque natum fuerat.* Quascumque fruges terra tulerat. — *Pro rei copia.* Prout res et tempus patiebantur. — *Exornat.* Supp. *exercitum*, *agmen*, *iter*, aut quidvis simile. Sic *parare*, *curare*, *administrare*, noster sæpe absolute posuit. — *Agendum.* Propellendum, ante se ducendum.

3. *Ad oppidum Laris.* Ambigunt quo casu sit Laris, an genitiv. sing., an accusat. plur. Cortio magis placet accusativus, quod Itinerarium *Laribus*, et Augustinus *a Laribus* scribunt. Hoc monere satis fuerit. — *Dicitque.* Hoc delet Cortius, recte forsan, sed contra MSS. Unus nostr. C, *dicit*; ceteri, *dicitque.* — *Occulto.* Sic Cortius, et inter nostros codd. C. Alii, *occultato.* Sed aptius videtur *occulto.* Nam et alibi dixit *tuto*, pro *tuito* aut *tutato*; et *occultus* est partic. verbi *occulere.* — *Ad flumen Tanam.* Multi codd. *Tanaïm.* Ad quod exclamat *Wasse*: « Quid ergo oppidum Laris juxta Tanaïm? imo,

Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,

quam id nos credamus. » Sed non attendit ille, aut ignoravit *Tanam* idem prorsus esse ac *Tanaïm*, illudque initio nomen commune fuisse, quod *fluvium* significaret. Ideo in Asia nomen illud pluribus fluviis datum est; unde error Curtii, quem notavit Freinshemius, VII, 7. Nec dubium quin ex eadem origine sit Danubius, quem Germani vocant DONAU, ut nos quoque verum Tanaïm vocamus simili vocabulo, *le Don.*

CAP. XCI. 1. *Æqualiter.* Ratione scilicet habita numeri accipientium. — *Distribuerat.* Ut iis pro cibo uterentur. — *Simul et inopiam, etc.* Nempe dum carne pecorum aleret milites, et ex coriis utres confice-

nire, et, ignaris omnibus, parare, quæ mox usui forent. Denique sexto die, quum ad flumen ventum est, maxuma vis utrium effecta. Ibi castris levi munimento positis, milites cibum capere, atque, uti simul cum occasu solis egrederentur, paratos esse jubet; omnibus sarcinis abjectis, aqua modo seque et jumenta onerare. Dein, postquam tempus visum, castris egreditur, noctemque totam itinere facto, consedit : idem proxuma facit. Dein tertia, multo ante lucis adventum, pervenit in locum tumulosum[2], ab Capsa non amplius duum millium intervallo; ibique, quam occultissume potest, cum omnibus copiis opperitur. Sed ubi dies cœpit, et Numidæ, nihil hostile metuentes, multi oppido egressi; repente omnem æquitatum, et cum his velocissumos pedites cursu tendere ad Capsam, et portas obsidere jubet : deinde ipse intentus propere sequi, neque milites prædari sinere. Quæ postquam oppidani cognovere; res trepidæ[3], metus ingens, malum improvisum, ad hoc pars civium extra mœnia in hostium potestate, coegere uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incensum : Numidæ puberes interfecti; alii omnes venum dati : præda militibus divisa. Id facinus contra jus belli[4], non avaritia, neque scelere consulis admissum : sed quia locus Jugurthæ opportunus, nobis aditu difficilis; genus hominum

ret, duo simul obtinebat : alterum, ut inopiæ frumenti mederetur; alterum, ut omnia parata haberet, nec suum tamen consilium quisquam deprehenderet. Nam milites credere poterant utres confici, ne coria perirent.

2. *In locum tumulosum.* Ubi tumuli plures sunt, quorum ope exercitus sui aspectum oppidanis eripere possit.

3. *Res trepidæ.* Tumultus et agitatio, quæ consilium capere non sinebant.

4. *Id facinus contra jus belli.* Laudandus est Sallustius, quod hanc juris gentium violationem obiter damnet. Sed quid dico, damnet? Statim absolvit, eam neque avaritiæ, neque sceleri consulis adscribendo. Quasi scelus illud minus impium esset, quod frigidus et nulla impulsus cupiditate aliquis admiserit! — *Quia locus Jugurthæ opportunus.* Ergo jura figit atque refigit sola utilitas. — *Nobis aditu difficilis.* Pereant igitur, ad quos minus commode pervenit romana dominatio!

mobile, infidum, neque beneficio, neque metu coercitum[5].

XCII. Postquam tantam rem Marius, sine ullo suorum incommodo, patravit; magnus et clarus antea, major et clarior haberi cœpit. Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur[1]: milites, modesto imperio[2] habiti simul et locupletes, ad cœlum ferre; Numidæ magis quam mortalem timere: postremo omnes socii atque hostes credere illi aut mentem divinam, aut deorum nutu cuncta portendi. Sed consul, ubi ea res bene evenit, ad alia oppida pergit: pauca, repugnantibus Numidis, capit; plura, deserta

5. *Neque beneficio neque metu coercitum.* Quia nondum aut beneficia aut vim Romanorum senserat urbs illa, Cortius *coercitum* intelligit, quasi esset *coercendum*, quemadmodum supra, LXXVI, *infectum* dicitur, id quod fieri non potest. Eadem est sententia Perizonii (ad Sanctii Minerv. 1, 15), qui *non coercitum* exponit, *haud temere unquam coercitum, et proinde neque facile deinceps coercendum.* Ceterum si *coercitum* ad præteritum tempus refertur, interrogare possis quando infidi Romanis fuere Capsenses; si ad futurum, pœna sumitur de post futuro, aut forsan nunquam futuro crimine!

Cap. XCII. 1. *Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur.* « Si quid minus bene consuluisset, id virtuti dabant, temeritasque pro fortitudine habebatur. » Soldus *non bene consulta* ad hostes retulit: « Si hostes, inquit, non bene consulebant, et Marius ita vinceret, laudabatur a plerisque. » Sed ita perit oppositio et, cum ea, tota sententiæ vis. Bip. legit: *omnia non bene consulta modo, verum etiam casu data in virtutem trahebantur.* Hanc quidem lectionem adjuvant duo codd. apud Haverc., duo apud Cortium, et duæ edd. anni 1510. Sed refragantur omnes nostri, vulgatæ edd. et ipse Cortius, et Havercamp. Nec injuria, opinor. Nam quid mirum est, etiam casu data virtuti ducis adscribi? Id fit in omnibus imperatoribus; et aliquid *casu dari* potest etiam bene consulenti. Hoc in Mario singulare fuit, quod *male consulta* virtutis loco habebantur.

Præterea minus aptum hoc, *bene consulta in virtutem trahebantur*; non enim VIRTUTIS est, sed CONSILII, bene consulere. Contra hæc oppositio aptissima: *non bene* (i. e. *male*) *consulta in virtutem trahebantur.* Scilicet ubi *consilium* aberat, laudabatur *virtus.* Bonum tamen sensum efficit Bipontina quoque lectio, si *virtutem* latiori sensu acceperis. Eligat lector sagax et acutus. Nos majorem codd. et edd. numerum sequimur.

2. *Modesto imperio.* Moderato et ab omni superbia remoto. — *Locupletes.* Præda scilicet iis divisa, jussu imperatoris. — *Ubi ea res bene evenit.* Sc. Capsæ oppugnatio.

propter Capsensium miserias, igni corrumpit : luctu atque cæde omnia complentur. Denique multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento, ad aliam rem aggreditur[3], non eadem asperitate, qua Capsensium, ceterum haud secus difficilem. Namque haud longe a flumine Mulucha, quod Jugurthæ Bocchique regnum disjungebat, erat inter ceteram planitiem[4] mons saxeus, mediocri castello satis patens, in immensum editus, uno perangusto aditu relicto : nam omnis natura, velut opere atque consulto, præceps. Quem locum Marius, quod ibi regis thesauri erant, summa vi capere intendit. Sed ea res forte, quam consilio, melius gesta. Nam castello virorum atque armorum satis, magna vis frumenti, et fons aquæ : aggeribus turribusque[5] et aliis machinationibus locus importunus : iter castellanorum angustum admodum, utrimque præcisum : vineæ cum ingenti periculo frustra agebantur; nam quum eæ paullum processerant, igni aut lapidibus corrumpebantur : milites neque pro opere consistere, propter

3. *Ad aliam rem aggreditur*. Vulgo, *aliam rem*, sublata præpositione *ad ;* quam, cum Cortio duobus MSS. freto, eo libentius revocavimus, quod sic verbum *aggreditur* genuino et antiquo sensu accipias : sc. *graditur ad*. Si vero tollas præpositionem, *aggreditur* vulgari sensu capies, *suscipit*. — *Non eadem asperitate*, etc. Quæ res aspera et horrida minus in speciem (quia castellum non, ut Capsa, situm erat inter solitudines aquæ inopia et serpentibus infestas), sed effectu tamen non minus difficilis erat.

4. *Inter ceteram planitiem*. Inter cetera plana. Mons saxeus erat in medio; reliqua omnia circum, planities erat. — *Nam omnis*. Sc. mons. — *Natura*. Sexto casu, ut opponatur seqq. *opere atque consulto*. Mons ille natura præceps et abruptus erat, non aliter ac si arte et manu hoc ita factum esset.

5. *Aggeribus turribusque*, etc. Aggerem ad muros producere, turresque et alias machinationes promovere non poterant, propter præruptam saxi altitudinem. Vineæ tantum agebantur angusto illo aditu, qui solus ducebat ad castellum. Sed in declivi itinere, ingruentibus desuper igne et lapidibus, haud facile stetissent. — *Pro opere consistere*. Probare nititur Cl. *Dureau Delamalle* hoc esse *stare ante opera*, sc. ad ea tutanda. Et quidem sæpe dicitur *pro oppido*, *pro vallo*, *pro castris ;* ubi *pro* nihil aliud est quam *ante*. Sed hic non satis

iniquitatem loci; neque inter vineas sine periculo administrare: optumus quisque cadere, aut sauciari; ceteris metus augeri.

XCIII. At Marius, multis diebus et laboribus consumtis, anxius trahere cum animo[1], omitteretne inceptum, quoniam frustra erat; an fortunam opperiretur, qua sæpe prospere usus. Quæ quum, multos dies noctesque, æstuans agitaret; forte quidam Ligus[2], ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, castris aquatum egressus, haud procul ab latere castelli, quod avorsum præliantibus erat, animum advortit inter saxa repentes cochleas: quarum quum unam atque alteram, dein plures peteret, studio legundi paullatim prope ad summum montis egressus est. Ubi postquam solitudinem intellexit, more humanæ cupidinis ignara visundi, animum vortit[3]. Et forte in eo loco grandis

apparet quæ opera tutanda essent, nisi ipsæ vineæ. Atqui non verisimile est ullos milites ante vineas positos fuisse, ad eas tutandas; quum contra vineæ ad tutandos milites struerentur. Sed vineas admovere et statuere in acclivi, hoc opus erat, et in hoc opere consistere nequibant milites. Jam vero non dixit *in opere*, sed *pro opere*, ut dicitur *pro suggestu* (A LA TRIBUNE); *pro tribunali* (SUR UN TRIBUNAL). Nam orator qui *pro suggestu* dicit, non stat *ante suggestum*, sed stat *prorsum in suggestu*. Sic miles qui *pro opere* stat, stat *prorsum* (i. e. ad hostes versum) *in opere*. Ita *pro* duplicem simul, et adverbii et præpositionis, vim habet. Nam et sua natura significat EN AVANT, et ablativi adjunctione, SUR. — *Inter vineas*. Pro *inter*, Glareanus proponit *intra*. Quæ res utcumque sit, necesse est intelligere, *en dedans des mantelets*. — *Administrare*. Suo quisque ministerio fungi.

CAP. XCIII. 1. *Trahere cum animo*. Animo agitare; in hanc atque aliam partem quasi trahere.

2. *Quidam Ligus*. Miles ortus e Liguria, quod genus hominum saxa montesque superare, ob patrii soli naturam, assuetum erat. — *Avorsum præliantibus*. A tergo præliantium. Vulg. *advorsum*. Cort. e quatuor MSS. restituit *avorsum*, quod etiam sensus postulat. — *Animum advortit*. Animadvertit. Sic hanc locutionem solve: *vertit animum ad cochleas*, etc. — *Cochleas*. Has apud antiquos in cœnis expetitas fuisse narrat Plinius, IX, 56, etiamque Africanas peculiariter memorat. — *Egressus*. Eodem sensu quo supra, LX: *Jam scalis egressi milites*.

3. *More humanæ cupidinis ignara visundi, animum vortit*. Sic Haverc. et vulg. edd. Quinque primæ voces

ilex coaluerat inter saxa, paullulum modo prona, dein flexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert[4]: cujus ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus, castelli planitiem perscribit[5]; quod cuncti Numidæ intenti præliantibus aderant. Exploratis omnibus, quæ mox usui fore ducebat, eadem regreditur; non temere, uti escenderat, sed tentans omnia et circumspiciens. Itaque Marium propere adit, acta edocet: hortatur, ab ea parte, qua ipse escenderat, castellum tentet: pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure, promissa ejus cognitum, ex præsentibus misit[6]: quorum uti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nun-

desumptæ sunt e Gellio, IX, 12, qui, ut confirmet *ignarum* pro *ignoto* dici, hæc Sallustii affert: *more humanæ cupidinis ignara visundi*; reliquæ duæ ex MSS. Cortius alium textum, ingeniose quidem, sed pro suo arbitrio finxit: *more humani ingenii, cupido ignara visundi invadit*. Manuscripti omnes: *more humani ingenii difficilia faciendi animadvertit*; nisi quod in extremo verbo dissentiunt. Alii, *animum invadit*; alii, *accendit*; quidam, *cepit*; nonnulli, *avertit*; plurimi e Cortianis, et nostrorum C et D, *animum vertit*. Sane textus codicum corruptus est. Cur vero aliud excogitat Cortius, quam quod est in Gellio? Cortium offendunt voces, *animum vortit*, quia paulo supra dictum est, *animum advortit*. Sed longe alius est sensus. Quippe miles summum prope rupis attigit, solo legendi cochleas studio allectus; sed postquam intellexit se a nemine videri, tum vero *animum vertit*, i. e. mutavit consilium, et ignotam castelli positionem propius inspicere voluit. Subita hæc consilii mutatio, quæ castelli capiendi causa fuit, nusquam comparet in lectione Cortiana. Ideo antiquam prætulimus.

4. *Aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert*. Scilicet arbor illa, propter soli declivitatem, primo vergebat in pronum; mox in altitudinem rursus flectebatur, et recto cacumine surgebat, ut solent cunctæ arbores. — *Cuncta gignentium*. Quocumque terra gignuntur. Vide sup. LXXIX, n. 2. — *Natura*. Recto casu. Porro omnes plantæ, etiam in declivi solo nascentes, directo tamen in verticem cacumine surgunt, (*tous les végétaux, même sur un plan incliné, s'élèvent dans une direction verticale*). Is verus est loci, multis parum intellecti, sensus.

5. *Perscribit*. Scilicet *animo*.

6. *Ex præsentibus misit*. Supp. quosdam. — *Quorum uti cujusque ingenium erat... nunciavere*. Uterque genitivus ad nomen *ingenium* refertur, et in ipsa sententia latet nominativus verbi *nunciavere*. Pla-

ciavere. Consulis animus tamen paullum erectus. Itaque ex copia tubicinum et cornicinum[7], numero quinque quam velocissumos delegit, et cum his, præsidio qui forent, quatuor centuriones : omnes Liguri parere jubet, et ei negotio proxumum diem constituit.

XCIV. Sed ubi ex præcepto[1] tempus visum; paratis compositisque omnibus ad locum pergit. Ceterum illi, qui centuriis præerant, prædocti ab duce, arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret[2]: super terga gladii et scuta; verum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia simul,

nius, sed minus eleganter dixisset: QUI, uti cujusque ingenium erat, NUNCIAVERE. Simili constructione Liv. XXI, 41 : « Experiri juvat.... utrum Annibal hic sit æmulus itinerum Herculis, ut ipse fert, an vectigalis stipendiariusque et servus populi romani a patre relictus : QUEM nisi Saguntinum scelus agitaret, *respiceret* profecto, si non patriam victam, domum certe patremque, et fœdera Amilcaris manu scripta. »

7. *Tubicinum et cornicinum.* Tubam *directam*, cornu *incurvum* fuisse docet Ovid. Metam. I, 98 :

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Adde Varronem de Lingua Lat. IV : « Cornua, quæ nunc fiunt ex ære, tunc e bubulo cornu fiebant. » — *Quatuor centuriones.* Putant nonnulli centurias quoque cum centurionibus missas fuisse. Sed longe aliter Cortius, cui assentimur. « Neque enim plures, inquit ille, quam decem homines fuerunt, qui ab avorum parte escenderunt. Nec aliud consilium fuit Marii, nisi ut illi terrore concuterent Numidas; cui rei quinque cornicines aut tubicines sufficiebant. »

CAP. XCIV. 1. *Ex præcepto.* Sc. Marii. — *Illi qui centuriis præerant.* Quatuor illi centuriones, de quibus paulo ante mentio fuit. Fatemur tamen non videre nos, quorsum pertineat hæc periphrasis. Nam quatuor illi centuriones, Liguri et quinque tubicinibus comites dati, tum certe suis centuriis non præerant. Itaque Cortius aliquid vitii hic inesse suspicatur. Et certe magna varietas est in codd. Nonnulli, *qui ex centuriis præerant.* Noster D, *e centuriis.* Quam lectionem sic interpretari potueris : « *illi qui, e centuriis* educti, toti expeditioni *præerant.* » Nam centuriones, quamvis Ligurem itineris ducem haberent, negotio tamen præfuisse verisimile est. Sin aliter, cur centuriones, non milites elegisset Marius? — *Prædocti ab duce.* Sc. a Ligure.

2. *Facilius foret.* Ita longe maxima pars codd. et edd. Pauci, *facilis*, aut *facilior.* Adverbialiter intellige *facilius.* — *Ponderis gratia simul*, etc. Simul ut minoris ponderis essent; si-

et offensa quo levius streperent. Igitur prægrediens Ligus saxa, et si quæ vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat, quibus allevati facilius escenderent : interdum timidos insolentia itineris levare manu : ubi paullo asperior ascensus, singulos præ se inermos mittere ; deinde ipse cum illorum armis sequi : quæ dubia nisu videbantur, potissumus tentare[3], ac sæpius eadem ascendens descendensque, dein statim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur diu multumque fatigati, tandem in castellum perveniunt, desertum ab ea parte; quod omnes, sicuti aliis diebus, advorsum hostes aderant. Marius, ubi ex nunciis, quæ Ligus egerat, cognovit; quamquam toto die intentos prælio Numidas habuerat, tum vero cohortatus milites, et ipse extra vineas egressus, testudine acta[4] succedere,

mul ut levius streperent, si offenderentur. — *Vetustate.* Propter vetustatem. — *Levare manu.* Manu ad se trahere. — *Quæ dubia nisu videbantur.* Loca, quibus ad ascendendum niti non tutum videbatur. Vocem *nisu*, seu pro ablativo accipere potes, seu pro dativo, ut in hoc Virgilii :

Sat lacrymis lactuque datum.

Manuscripti et editi complures habent *nisui.*

3. *Potissumus tentare* Ipse præ aliis. Hæc vox, *potissumus*, quæ apud Cortium et in omnibus nost. codd. legitur, non nobis hic posita esse videtur, ut Cortio placet, pro adverbio *potissumum*. Quippe hoc adverbium indicaret Ligurem *loca illa præ aliis locis maxime tentavisse;* adjectivus vero significat Ligurem *ipsum*, non unum quemquam e comitibus, hoc fecisse. — *Digrediens.* A latere secedens, ut aliis transitum daret.

Non abs re fuerit videre quomodo totum hoc versibus reddiderit poeta quidam duodecimi seculi, a Cortio laudatus, *Gonthier*, in opere cui titulus *Ligurinus*, de rebus gestis Frederici primi, IV, 548 :

Protinus angusto nituntur ad ardua calle.
Cautibus infringunt ungues, et si qua vetusto
Prominet e scopulo putri jam stipite radix,
Hanc nitente manu prendunt, humeroque priorem
Subvehit, attollitque sequens, primusque sequentes
Attrahit, et studiis alterna juvamina præstant.

Confer etiam Liv. V, 47, quomodo Galli, *alternis innixi et trahentes alii alios*, prope ad summum capitolium evaserint.

4. *Testudine acta.* Testudo dicitur talis scutorum inter se junctorum connexio, ut sub ea miles lateat, quemadmodum testudo sub cortice suo. Hujus usus triplex : *in oppugnando, pugnando, repugnando. In oppugnando*, quum scutis super capita elatis muro succedebant, primis altioribus, et ordine paula-

et simul hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere. At Numidæ sæpe antea vineis romanorum subvorsis, item incensis, non castelli mœnibus sese tutabantur; sed pro muro dies noctesque agitare, maledicere Romanis, ac Mario vecordiam objectare, militibus nostris Jugurthæ servitium[5] minari, secundis rebus feroces esse. Interim omnibus Romanis hostibusque prælio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque imperio his, illis pro salute certantibus, repente a tergo signa canere: ac primo mulieres et pueri, qui visum processerant[6], fugere; deinde, uti quisque muro proxumus erat, postremo cuncti armati inermesque. Quod ubi accidit; eo acrius Romani instare, fundere, ac plerosque tantummodo sauciare; dein super occisorum corpora vadere; avidi gloriæ, certantes murum

tim, tecti simplicis in morem, decrescente. Causa, ut tela desuper injecta per proclive laberentur, et minus insidere possent aut infigi. Sæpe etiam armati super hanc testudinem scandebant, sicque propugnatoribus muri, fastigio altitudinis, æquabantur. Vid. Liv. XXXIV, 39; Tacit. Hist. III, 28. Testudo altera *in pugnando* est, quum globo facto et tecti scutis, sic hostilem aciem invadere et perrumpere conabantur. Vide Cæsar. B. G. I, 24, 52; nostræ ed. vol. I, p. 30 et 64. Item Flor. III, 10: « Elatis super caput scutis, quum se testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt. » Tertia denique *in repugnando;* quum ab hostium equitatu aut levi armatura cincti in orbem se muniebant. Sic fere Dio Cassius descripsit in M. Antonii rebus, XLIX: Impedimentis, et levi armatura, et equite omni in medium acceptis, gravis armaturæ pedites, illi, qui oblongis utuntur scutis, in extremis partibus pro muro ponuntur, et reliquos omnes, ipsi extra spectantes, ambiunt. Ceteri, qui latiora scuta gerunt, in medio densi locantur, et scuta quum super se, tum super alios attollunt, ut in tota phalange non aliud sit quam scuta cernere, et a telorum jactu omnes tutos esse, ob densitatem instructionis, etc. Similia fere narrat Plutarch. in Antonio. De tota hac re plura vide ap. Lips. Poliorc. I, 5, unde hæc fere decerpta sunt.

5. *Jugurthæ servitium.* Servitutem apud Jugurtham. Eodem modo genitivus usurpatur in hoc Phædri, II, 8: « Cervus nemorosis excitatus latibulis, ut *venatorum* fugeret instantem *necem;* » i. e. necem instantem a venatoribus.

6. *Qui visum processerant.* Qui e muris exierant, prælium visuri quod cum Mario committebatur. — *Fugere.* Sc. intra muros.

petere; neque quemquam omnium præda morari. Sic forte correcta Marii temeritas gloriam ex culpa invenit.

XCV. Ceterum dum ea res geritur, L. Sulla quæstor cum magno equitatu in castra venit: quos[1] uti ex Latio et a sociis cogeret, Romæ relictus erat. Sed quoniam tanti viri res admonuit; idoneum visum est, de natura cultuque ejus paucis dicere; neque enim alio loco de Sullæ rebus dicturi sumus[2]: et L. Sisenna[3] optume et diligentissume omnium, qui eas res dixere, persequutus, parum mihi libero ore loquutus videtur. Igitur Sulla gentis patriciæ nobilis[4]

7. *Forte.* Fortuito casu. — *Correcta.* In feliciorem, quam sperare fas erat, exitum conversa. — *Gloriam ex culpa invenit.* Conf. supra XCII: « Omnia non bene consulta in virtutem trahebantur. »

Cap. XCV. 1. *Quos.* Sc. equites; quæ notio a voce *equitatu* petatur. Quidam legunt: *Qui uti ex Latio et a sociis exercitum cogeret;* quos abunde refellit Cortius.

2. *Neque alio loco... dicturi sumus.* Hinc colligere licet, quum hæc scriberet Sallustius, eum nondum in animo habuisse, historiam, cujus aliqua exstant fragmenta, scribere. Nam ibi sæpe de Sylla mentio est.

3. *L. Sisenna.* De hoc Vell. Pat. II, 9: « Historiarum auctor jam tum (sc. bello Numantino) Sisenna erat juvenis; sed opus Belli civilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. » Fuit is e gente Cornelia, ut Festus testatur. Vide quæ de eo Cicero dixerit, Brut. LXIV, et de Leg. I, 2. Quod argumentum in Historiæ suæ duobus et viginti libris Sisenna tractaverit, ex fragmentis satis cognoscitur. Nam inde ab iis orsum liquet, quæ contigere post urbem a Gallis captam, desiisse autem in rebus Syllæ. De quo cur parum libere dixerit, an propter odium metumve, an propter amicitiam, ut qui ex eadem gente esset, incertum. Vertit idem et Milesiacas Aristidis fabulas, unde Ovid. Trist. II:

Vertit Aristidem Sisenna; nec obfuit illi
Historiæ turpes inseruisse jocos.

Meminere etiam grammatici veteres commentarii ejus in Plautum. Eum quæstorem in Sicilia A. U. C. 677, dein prætorem in Achaia fuisse, ex veterum monumentis apparet.

4. *Nobilis.* Hæc vox secundo casu, ut *gentis patriciæ*, accipiatur. Nisi malis cum Cortio delere, *nobilis fuit*, quas voces unus aliquis apud eum codex in margine tantum exhibet. De gente Cornelia jam diximus ad Catil. XVII, n. 21. — *Familia* ab *gente* differt, ut species a genere. Gens *nomine*, familia *cognomine* distinguitur. Iis Corneliis, unde ortus Sylla, cognomen Rufinorum fuit; ipse Sulla dictus: ejusdem sensus vocabulo, deducto scilicet ab *sil*, *silis*, quod luteum co-

fuit, familia prope jam exstincta[5] majorum ignavia : literis græcis ac latinis juxta, atque doctissume, eruditus : animo ingenti[6] : cupidus voluptatum, sed gloriæ cupidior : otio luxurioso esse; tamen ab negotiis numquam voluptas remorata, nisi quod de uxore potuit honestius consuli[7] :

lorem notat. Atqui Syllæ, teste Plutarcho, *aurea cæsaries fuit*. Habuit ergo cognomen, quum e proprio colore, tum e majoribus suis, mutato vocabulo, servato sensu. Eadem ratione ipse postea *Felix*, filius autem *Faustus* dictus est. — N. B. Ex hoc etymo, quod cl. v. *De Brosses* merito placet, melius diceretur *Silla*, quam *Sylla*. Sed hoc usu invaluit; et ipsi Græci scribebant Σύλλας.

5. *Prope jam exstincta*. Unus e Syllæ majoribus, P. Cornelius Rufinus, iterum consul A. U. C. 477, dictator A. 478, senatu motus est a Fabricio censore, quod decem pondo vasa argentea comparasset, quæ invidiosa tunc temporis luxuria erat. Ex hoc casu nunquam emerserunt ejus majores, et ipse in patria paupertate natus educatusque est. Vid. Val. Max. II, 9, 4, et Plutarch. in Sylla.

6. *Animo ingenti*. Excelso et magnarum rerum magnorumque consiliorum capaci. Quanquam existimat Teller (quod Plutarchus Syllam natura iracundum atque acerbum fuisse dicit), *animo ingenti* intelligendum esse *vehementem* ejus *spiritum*. Sed mihi magis arridet prior sensus. — *Otio luxurioso*. Luxuriosus, et sibi liberalius indulgens, quoties negotia locum otio fecerant.

7. *De uxore potuit honestius consuli*. Sylla potuisset honestius consulere (honestius consilium sequi) de uxore, i. e. quod ad uxorem pertinet. Is vero plures habuit uxores (ad quinque nominat Plutarchus), nec, de qua hic agatur, inter doctos constat. Hoc quidam in genere intelligunt, quasi dixerit Sallustius, Syllam *parum sancte matrimonium coluisse*. Et teste quidem Plutarcho, quamvis uxorem domi habuerit, mulieribus tamen mimis et citharistis libidinose usus est. Quem sensum idem confirmare videtur his verbis (in compar. Syllæ et Lysandri) : « Τοὺς περὶ γάμων καὶ σωφροσύνης εἰσηγεῖτο νόμους τοῖς πολίταις, αὐτὸς ἑρῶν καὶ μοιχεύων, ὡς φησι Σαλλούστιος. Atqui non alibi de his, in hoc saltem opere, Sallustius; unde conjicere licet hunc locum, Plutarchi scribentis memoriæ, obversatum esse. Quin, verba ipsa περὶ γάμων, *de nuptiis*, idem fortasse valent, quod *de uxore*. Ceterum qui de una aliqua ex Syllæ uxoribus hæc intelligi volunt, afferunt etiam a Plutarcho, eum non admodum honeste aut sapienter consuluisse, dum Valeriam, in theatro sibi nimis blandientem, senex uxorem duxerit; minus etiam honeste, quod, quum, dicatis Herculi bonorum omnium decimis, epulum daret populo, Metellam uxorem jam prope animam agentem repudiavit, ne inter festa et ludos domus morte

facundus, callidus, et amicitia facilis: ad simulanda negotia[8] altitudo ingenii incredibilis: multarum rerum, ac maxume pecuniæ largitor. Atque felicissumo omnium[9], ante civilem victoriam, numquam super industriam fortuna fuit; multique dubitavere, fortior an felicior esset: nam, postea quæ fecerit, incertum habeo, pudeat magis, an pigeat disserere.

XCVI. Igitur Sulla, ut supra dictum, postquam in Africam atque in castra Marii cum equitatu venit; rudis antea et ignarus belli, sollertissumus omnium in paucis tempestatibus[1] factus est. Ad hoc milites benigne appellare: multis rogantibus, aliis per se ipse, dare beneficia, invi-

funestaretur, jussitque viventem adhuc in aliam domum transferri. Hoc ultimum eo libentius crediderim Sall. respexisse, quo melius opponitur antecedentibus, *ab negotiis numquam voluptas remorata est.*

8. *Ad simulanda negotia.* Ad id fingendum quod non est; ad res fallaci specie induendas. — *Altitudo ingenii.* Abstrusum penitus et tectum ingenium. — *Multarum rerum.... largitor.* Jam ad Catil. LIV, n. 6, notatum est, quam late pateat verbum *largiri.*

9. *Felicissumo omnium.* Notissima res Syllam, occiso Mario filio, ipsum sibi cognomen *felicis* assumpsisse. Hoc illi concedit Sallustius, at citra *civilem victoriam.* Felix enim esse desinit, qui non modo vim affert patriæ, sed etiam ad civium cædes prorumpit. — *Pudeat magis an pigeat.* Horum verborum prius ad *pudorem*, posterius ad *dolorem* pertinet. *Me piget*, est, animus propter dolorem, aut molestiam, refugit. « Adeo Sulla, inquit Vell. II, 25, dissimilis fuit bellator ac victor, ut, dum vincit, mitissimo ac justissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior. » Ideo Vell. II, 27: « L. Cornelius Sulla, vir qui neque ad finem victoriæ satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest. Hic natus familia nobili, sextus a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, quum familiæ ejus claritudo interruisse esset, diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur; deinde, post prætoram, illustratus bello italico, et ante in Gallia, legatione sub Mario, qua eminentissimos hostium duces fuderat, ex successu animum sumpsit, petenque consulatum, pene omnium civium suffragiis factus est. Sed eum honorem undequinquagesimo ætatis suæ anno assequutus est. »

Cap. XCVI. 1. *In paucis tempestatibus.* Brevi tempore. — *Multis rogantibus*, etc. Dabat beneficia multis hominibus, postquam rogaverant; aliis vero per se ipse et non rogatus. Eodem modo infra, CX:

tus accipere; sed ea properantius, quam æs mutuum, reddere, ipse ab nullo repetere, magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent: joca atque seria cum humillumis agere: in operibus[2], in agmine atque ad vigilias multus adesse: neque interim, quod prava ambitio solet, consulis aut cujusquiam boni famam lædere; tantummodo neque consilio, neque manu priorem alium pati; plerosque antevenire: quis rebus brevi Mario militibusque carissumus factus.

XCVII. At Jugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utiles, simul et magnam pecuniam amiserat; ad Bocchum nuncios mittit, quam primum in Numidiam copias adduceret: prælii faciundi tempus adesse. Quem ubi cunctari accepit, dubium belli atque pacis rationes trahere[1]; rursus, uti antea, proxumos ejus donis corrumpit; ipsique Mauro pollicetur Numidiæ partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi, aut, integris suis finibus, bellum compositum foret. Eo præmio illectus Bocchus cum magna multitudine Jugurtham accedit. Ita amborum exercitu conjuncto, Marium jam in hiberna proficiscentem, vix decima parte die reliqua[2], invadunt:

« Multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli. » — *Ea.... reddere.* Gratiam accepti beneficii properantius referebat, quam debita creditori pecunia solvitur. — *Ut illi quam plurimi deberent.* Nota dativum *illi*, ubi vulgarior usus poscebat *sibi*.

2. *In operibus.* In castrorum munitione et ceteris militiæ laboribus. — *Multus aderat.* Strenue et sæpe sæpius aderat. De hac locutione vide supra, LXXXIV.

Cap. XCVII. 1. *Belli atque pacis rationes trahere.* Dubio animo ponderare et putare rationes, tum quæ ad bellum, tum quæ ad pacem hortarentur. *Dubium* junge cum *trahere*, non cum sequentibus genitivis. Sic supra, XCIII: *anxius trahere cum animo suo.* Adde huic locutioni hærere notionem *differendi*, et tempus consulendo *prolatandi.* — *Uti antea proxumos ejus donis corrumpit.* Vide sup. LXXX. — *Ipsique Mauro.* Ipsi Boccho.

2. *Vix decima parte die reliqua.* Vide quid de hoc genitivo *die* dictum sit, LII, n. 1. Scire tamen attinet Gronovium, et cum eo Cortium, DIE ablativi sensu accipere, sic: *Vix, decima parte* (quoad deci-

rati noctem, quæ jam aderat, victis sibi munimento fore, et si vicissent, nullo impedimento, quia locorum scientes erant; contra Romanis utrumque casum in tenebris difficiliorem. Igitur simul consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes[3] aderant : et, priusquam exercitus aut instrui, aut sarcinas colligere[4], denique antequam signum, aut imperium ullum accipere quivit, equites Mauri atque Gætuli, non acie[5], neque ullo more prælii, sed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in nostros concurrunt. Qui omnes trepidi, improviso

mam partem), *die reliqua;* ut Liv. XXIX, 7 : *aliquot horis die superante.* Ego tamen cum Gellio et Servio et Virgilio sentire malim. — *Victis sibi.* Si forte vincerentur. — *Nullo impedimento.* Quum dativus sit *munimento*, consentaneum videtur dativum quoque esse *nullo impedimento.* Nec exempla hujusce inclinationis desunt etiam apud Ciceronem (vid. supra, Catil. II, n. 24), et apud Terentium, And. III, 5, 2 : « Quandoquidem tam iners, tam *nulli* consilii sum. » Si tamen malueris ablativum intelligere, rursum non deerit auctor Cicero, Ep. ad Att. X, 18, ubi legitur, *majore impedimento fuerunt.* Præterea Sallustio placet mutatio casus. — *Utrumque casum.* Sc. victoriæ aut cladis.

3. *Simul consul.... et ipsi hostes....* Eodem tempore *et* Marius adventare hostes cognovit, *et* ipsi hostes aderant; nullo inter nuncium et adventum interjecto spatio. « Simile quid affert Cortius e Demosth. de Cor. « Ἀλλ' ἅμ' ἀκούετε ταῦτα ἀπαγγελλόντων ὑμῖν τούτων, κακαῖνος ἐντὸς εἶη πυλῶν. »

4. *Sarcinas colligere.* Ante pugnam enim sarcinas in unum locum conferebant. Cæsar, B. G. VII, 18 : « Qua re nunciata, Cæsar celeriter *sarcinas conferri*, arma expediri jussit. » Cort. — *Antequam signum..... accipere quivit.* Signum intellige, non de aquilis, aut vexillis, ceterisve insignibus, sed de eo signo, quod tuba dabatur; aut de eo quod dicitur *symbolum*, seu *tessera* (nobis *mot d'ordre ou de ralliement*); vel potius de utroque. Utrumque enim memorat Cæsar, B. G. II, 20, nost. ed. vol. I, p. 86 : « Cæsari omnia uno tempore erant agenda : vexillum proponendum, quod erat insigne, quum ad arma concurri oporteret; *signum tuba dandum;* ab opere revocandi milites....; acies instruenda; milites cohortandi : *signum dandum.* » Quod monuimus, ne quis decipiatur inferius legendo, *sine signis.*

5. *Non acie.* Non turmis in aciem ordinatis. — *In nostros concurrunt.* Vulgo *incurrunt.* Alterum cum Cortio et Bip. prætulimus, ex plerisque codd. tum Cortianis, tum nostris. Et sane vehementius est *concurrunt*, i. e. omnes simul et ex

metu, ac tamen virtutis memores, aut arma capiebant, aut capientes alios ab hostibus defensabant : pars equos ascendere, obviam ire hostibus : pugna latrocinio magis, quam prælio similis fieri : sine signis, sine ordinibus, equites, pedites permixti; cædere alios, alios obtruncare; multos, contra advorsos acerrume pugnantes, ab tergo circumvenire : neque virtus, neque arma satis tegere; quod hostes numero plures et undique circumfusi. Denique Romani veteres novique[6], et ob ea scientes belli, si quos locus, aut casus conjunxerat, orbes facere : atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.

XCVIII. Neque in eo tam aspero negotio territus Marius, aut magis, quam antea, demisso animo fuit : sed cum turma sua[1], quam ex fortissumis magis, quam fami-

omnibus partibus incurrunt. — *Latrocinio.* Latronum congressioni, quæ fit nullo more, neque ordine. — *Sine signis, sine ordinibus.* Modo vidimus exercitum romanum instrui non potuisse. Hoc ergo non solum ad barbaros, sed ad Romanos etiam referendum est. Quippe et ipsi neque sub signis stabant, neque ordines servabant. — *Equites, pedites permixti.* Quum horribilem rerum omnium permixtionem describat, eo adducor ut credam, hoc quoque de utrisque, Romanis et hostibus, dici, ut sup. LI : *arma, tela, equi, viri, hostes, cives permixti.* Sciendum tamen, esse qui, sublata *distinctione*, scribant; *equites, pedites permixti cædere*, etc. ; quibus non assentior. — *Cædere, obtruncare.* Sc. barbari cædunt aut obtruncant Romanos. *Cædere* est acie gladiorum vulnera facere, *cæsim* ferire. *Obtruncare ;* proprie, ita ferire, ut caput recidas. Varios interficiendi modos congerit. — *Contra advorsos.... ab tergo.* Nota oppositionem. Dum Romani contra *adversos* hostes pugnant, eos *ab tergo* circumveniunt hostes alii. Male ergo Bip. recidit *advorsos*, quod est in omnibus nostris MSS., et quo sublato perit sententia.

6. *Veteres novique.* Vetus miles cum novo conjunctus. — *Et ob ea scientes belli.* Quæ veterum novorumque conjunctio etiam tirones belli scientiam addocebat. — *Orbes facere.* In orbes ita conglobantur, ut a tergo tuti undique frontem hostibus obvertant ; quod ad tertiam *testudinis* speciem refertur, quam descripsimus sup. XCIV.

Cap. XCVIII. 1. *Cum turma sua.* Cum equitibus quos circum se habere solebat, et qui duci erant quasi cohors prætoria. — *Quam ex fortissumis.* Hoc dictum in Marii

liarissumis, paraverat, vagari passim; ac modo laborantibus suis succurrere, modo hostes, ubi confertissumi obstiterant, invadere; manu consulere militibus, quoniam imperare, conturbatis omnibus, non poterat. Jamque dies consumptus erat, quum tamen barbari nihil remittere, atque, uti reges præceperant, noctem pro se rati[2], acrius instare. Tum Marius ex copia rerum consilium trahit, atque, uti suis receptui locus esset, colles duos propinquos inter se occupat: quorum in uno, castris parum amplo, fons aquæ magnus erat; alter usui opportunus[3], quia magna parte editus et præceps, pauca munimento egebat.

laudationem, qui utilitatem reipublicæ privatis amicitiis anteponebat. — *Laborantibus.* In pugna *laborare* dicitur ea pars quæ infirmior est, et pene cedit hosti. — *Manu consulere militibus.* « Consulit suis militibus *manu*, i. e. agendo et pugnando, quoniam iis consulere *imperando* non potest, in tanta rerum omnium conturbatione. *Militis* agit officium, quoniam *ducis* non potest. » Nam non audiendus est quicumque vult, *consulit militibus manu*, intelligi, *nutum et indicium manu dat militibus, quum vox non audiatur.*

2. *Noctem pro se rati.* Noctem sibi commodam, Romanis periculosam rati. — *Ex copia rerum.* Ex præsenti rerum statu. Ex copia seu facultate, quam res et tempus dabat. Vide XXXIX, LIV, et XC.

3. *Usui opportunus.* Quo *uti* ad castra locanda commodum esset: opportunum castris faciendis locum præbens, non ut ille prior, qui castris parum amplus erat. Sic totum hoc intelligo: « Alter, qui usui opportunus erat, non multis præterea munimentis egebat, quia erat ex magna parte editus et præceps. » Sunt tamen qui, sublata distinctione inter voces, *præceps* et *pauca*, interpretentur: « Alter usui (i. e. proposito ducis) opportunus erat, quia paucis egebat munimentis, utpote magna parte editus et præceps. » Sic vero nulla esset oppositio inter *castris parum amplo*, et, *usui opportunus.* Quin etiam, sic non diceretur, *satis amplum castris* fuisse alterum hunc collem. — *Pauca munimento egebat.* Hic deest codicum fides, qui plerique, item nostri, *pauca munimenta gerebat*, vel *regebat*, vel *regebant.* Tres apud Cortium, *pauco munimento egebat*, quod sequitur Bipont. Alii apud eumdem, *pauca munimento gerebat;* unde ipse fecit, *pauca munimento quærebat.* Sed vox *egebat* proxime accedit ad *regebat:* ideo dedit Gruterus: *pauca munimento egebat:* Sallustianum prorsus, ni fallor. *Munimento* est, ad muniendum; ut locus muniatur. Nec offensioni sit, *pauca egebat.* Cato, apud Gell. XIII, 23: « Vitio vertunt, quia *multa*

Ceterum apud aquam Sullam cum equitibus noctem agitare jubet : ipse paullatim dispersos milites, neque minus hostibus conturbatis, in unum contrahit; dein cunctos pleno gradu[4] in collem subducit. Ita reges, loci difficultate coacti, prælio deterrentur. Neque tamen suos longius abire sinunt; sed, utroque colle multitudine circumdato, effusi[5] consedere : dein crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari suo more lætari, exsultare, strepere vocibus; ipsi duces feroces, quia non fugerant, pro victoribus agere. Sed ea cuncta Romanis, ex tenebris et editioribus locis facilia visu, magno hortamento erant.

XCIX. Plurimum vero Marius imperitia hostium confirmatus, quam maxumum silentium haberi jubet; ne signa quidem, uti per vigilias solebant[1], canere : deinde ubi lux adventabat, defessis jam hostibus et paullo ante somno captis, de improviso vigiles[2], item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnes signa canere;

geo : at ego illis, quia nequeunt egere. » Ceterum ed. Veneta, 1470: *pauca munimenta quærebat.*

4. *Pleno gradu.* Quid sit *plenus gradus*, intelligitur ex Vegetio 1, 9 : « Militari gradu XX millia passuum horis quinque duntaxat æstivis conficienda sunt; *pleno* autem *gradu, qui citatior est*, totidem horis XXIV millia peragenda sunt. Quidquid addideris, jam *cursus* est, cujus spatium non potest definiri. »

5. *Effusi.* Nullo servato ordine. — *Pro victoribus agere.* Eadem lætitia, iisdemque animis efferri, ac si victores fuissent. — *Ex tenebris.* Videlicet Romani, ne ab hostibus conspicerentur, ignes non accenderant.

Cap. XCIX. 1. *Uti per vigilias solebant.* Finita una vigilia, buccinæ aut tubæ sonitu signum dari solebat, quo alius, qui succederet, excitaretur. Tac. Hist. v, 22 : « Vigiles flagitium suum ducis dedecore excusabant, tanquam jussi silere, ne quietem ejus turbarent : ita intermisso signo et vocibus, se quoque in somnum lapsos. » Item Lucan. VII, 24 :

Ne rumpite somnos,
Castrorum vigiles; nullas tuba verberet aures.

Præterea Liv. VII, 35 : « Ubi *secundæ vigiliæ* buccina datum signum esset. »

2. *Vigiles.* Hoc rescripsit Cortius, pro vulg. *vectigales*, quod omnes codices occupavit. Et optime quidem. Nam paulo ante jussi fuerant *vigiles* nulla signa canere ; nunc jubentur et ipsi cum ceteris canere, quo strepitus augeatur.

milites clamorem tollere atque portis erumpere. Mauri atque Gætuli ignoto et horribili sonitu repente exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere, aut providere quidquam poterant: ita cunctos strepitu, clamore, nullo subveniente, nostris instantibus, tumultu, terrore, formido, quasi vecordia, ceperat[3]. Denique omnes fusi fugatique: arma et signa militaria pleraque capta; pluresque eo prælio, quam omnibus superioribus interemti: nam somno et metu insolito impedita fuga.

C. Dein Marius, uti cœperat, in hiberna[1]; quæ, propter commeatum, in oppidis maritumis agere decreverat. Neque tamen secors victoria, aut insolens factus, sed, pariter ac in conspectu hostium, quadrato agmine[2] in-

3. *Formido, quasi vecordia, ceperat.* Sic Cortius ex tribus suis MSS. Reliqui omnes, item nostri, *formidine.* Sed cum Cortio putamus magis Sallustianum esse, nomen aliquod, eodem casu, comparationi adhærere: *formido, quasi vecordia.* Sic Cat. X: « Contagio, quasi pestilentia, invasit. » Supra, XLI: « Dissensio civilis, quasi permixtio terræ oriri cœpit. » Item LXXII: « Formidine, quasi vecordia, exagitari. » Quod ad sententiam attinet; *vecordia* amentem atque alienatum sensu animum notat. Sic Liv. XXV, 39: « Inde signa canunt et tollitur clamor. Pars semisomnos hostes cædunt; pars ignes casis stramento arido tectis injiciunt; pars portas occupant, ut fugam intercludant. Hostes simul ignis, clamor, cædes, *velut alienatos sensibus*, nec audire nec providere quidquam sinunt. » Quem totum Livii locum legentes adire suademus, cum Sallustio comparandi gratia.

Cap. C. 1. *In hiberna.* Nos cum Cortio subaudimus, *proficiscitur*, quod abest ab illius et nostris codd., et pro quo male legitur in quibusdam, *it;* vel pejus etiam, *iter.* Aliquot similis ellipseos exempla profert ille, non omnia tamen temere accipienda. Hæc certissima: Liv. XLI, 3: « Tum demum nuncius ad tertiam legionem revocandam et Gallorum præsidium. » Supp. *missus est.* Flor. III, 10: « Reversus igitur in Galliam, classe majore auctisque admodum copiis in eumdem rursus oceanum. » Supp. *it,* vel *convertitur.* Nisi forte malis cum Bip. *in hiberna.... quadrato agmine incedere;* interpunctione sublata ante, *neque tamen.* Sed alterum Sallustii ingenio magis congruere videtur; quo dicit primo, Marium *ire in hiberna;* deinde subjicit, *non ire tamen*, nisi magna cautione adhibita, et omnia diligenter providendo.

2. *Quadrato agmine.* Quadratum

cedere. Sulla cum equitatu apud dextumos; in sinistra A. Manlius cum funditoribus et sagittariis; præterea cohortes Ligurum curabat: primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat: perfugæ, minume cari[3] et regionum scientissumi, hostium iter explorabant. Simul consul, quasi nullo imposito, omnia providere, apud omnes adesse; laudare, increpare merentes: ipse armatus intentusque, item milites cogebat. Neque secus, atque iter facere, castra munire[4]; excubitum in portas cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere[5];

agmen instituebatur, ut ex quacumque parte hostilis fieret impetus, inde resisti posset. — *Dextumos.* Superlativus gradus, *dexter, dexterior, dextimus;* ut etiam *sinister, sinisterior, sinistimus; exterus, exterior, extimus* et *extremus; posterus, posterior, postumus et postremus;* et multa alia. *Dextumi* non alius est sensus, quam *dexteri.* Totum hoc sic intellige.: « Sulla cum equitatu apud dexteros *curabat; curabat vero* in sinistra A. Manlius cum funditoribus et sagittariis; præterea *curabat* idem Manlius cohortes Ligurum: ita ut verbum illud semel compereat cum accusativo, bis subaudiatur sine accusativo. Vid. Cat. LIX: « Fæsulanum quemdam in sinistra parte *curare* jubet. » Et sup. LVII: « Legatis imperat, ubi quisque *curaret.* » — *Locaverat.* Sc. Marius.

3. *Minume cari.* Vilior enim omnibus gentibus perfuga, quam civis. Ideo perfugis periculosum negotium mandabatur, utpote minore damno perituris. — *Quasi nullo imposito.* Quasi nullos duces præposuisset, qui sua quisque parte curarent. — *Laudare, increpare merentes.* Laudare aut increpare, ut quisque laudem aut culpam meruerat. — *Item milites cogebat.* Scilicet armatos intentosque esse. Sic Catil. XXVII: « Ipse cum telo esse; item alios jubere. »

4. *Neque secus atque iter facere, castra munire.* Glossa nostri A, supra lineam: « Sicut armatus incedebat, ita armatus castra muniebat. » Cortius, eodem sensu, et illo quidem optimo: « Eadem cura, qua iter faciebat, etiam castra muniebat. » Errat igitur Bip., quum e suo dat, *non secus, atque ii, iter facere;* i. e. *pedibus, ut milites, incedere.* Nullus codex habet *ii;* et plerique Cortiani, et vulgatæ edd., *non secus, atque iter facere,* etc. Inter nostros, B et E, *faceret;* quod eumdem sensum efficit (si, *faceret,* sumas pro *faciebat*), nec, ut vult Bip., absurdum est. Sed præstat, *facere;* ut respondeat alteri infinitivo, *munire.* Nec offendat infinitivus post conjunctionem *atque,* pro *quam.* Jam vidimus XCVIII: *quum tamen barbari nihil remittere.*

5. *Excubitum in portas... mittere.* Mittere cohortes in portas castro-

præterea alios super vallum in munimentis locare : vigilias ipse circumire : non tam diffidentia futuri, quæ imperavisset[6], quam uti militibus exæquatus cum imperatore labos volentibus esset[7]. Et sane Marius illo et aliis temporibus belli pudore magis, quam malo, exercitum coercebat : quod multi per ambitionem fieri aiebant; pars, quod a pueritia consuetam duritiam, et alia, quæ ceteri

rum, ut ibi cæcubarent. Omnes MSS. *in porta*, uno excepto, apud Cortium: qui habet, *in portas*. Et melius quidem; nam castris plures portæ sunt. Qui vero scripserunt *in portis*, nulla auctoritate nituntur.

6. *Non tam diffidentia futuri, quæ imperavisset*. Bipont. *non diffidens ea futura quæ imperavisset;* qui sensus est, sed contra MSS. Cortius, *non diffidentia futuri, quæ imperavisset;* sublato *tam*, cujus ellipseos nonnulla profert exempla. Nos *tam* retinemus, quia est in omnibus nost. codd. Qui delere velit, potest. Restat discrepantia numerorum, *futuri, quæ*. Hanc difficultatem solvere tentat Perizonius, ad Sanctii Minervam, II, 9, n. 4, et III, 8, n. 2, ita explendo : *diffidentia futuri* negotii eorum *quæ imperavisset*. Sed nihil quidem supplere necesse est. Gellius enim I, 7 (ut jam diximus sup. XLVII) abunde confirmat, *futurum*, verbum esse *indefinitum*, *neque* NUMERIS, *neque generibus præserviens;* et exempla profert, in quibus id certe nihil aliud notat, quam *fore* seu ἔσεσθαι. Jam vero si τὸ ἔσεσθαι latine dici potest *futurum*, quomodo τοῦ ἔσεσθαι, nisi *futuri?* Itaque Sallustiana verba græce reddi possint : οὐκ ἀπιστίᾳ τοῦ ἔσεσθαι, ἃ κελεύσειε. Accipiamus ergo *futuri*, pro secundo infinitivi casu, qualia esse gerundia in DI nemo ignorat. Quod si rara hæc locutio videtur, meminerimus nos Sallustium legere. Ceterum e nostris D, *futuri quod*. Quædam e Cortianis, *futurorum quæ*. Arguit hæc varietas anxietatem librariorum, quos offendebat *futuri quæ*.

7. *Uti... labos volentibus esset*. Ut milites exæquatum cum imperatore laborem libenter ferrent. De hac locutione amplius dictum supra, LXXXIV. — *Pudore*. Gallice, *par l'honneur*. Quid est enim, quod nos vocamus HONNEUR, nisi *pudor*, id est timor dedecoris? Quod vero majus militi dedecus, quam id non facere, quod ipse facit imperator? — *Malo*. Pœnis vel supplicio; ut sup. LXXXV, *exercitum supplicio cogere*. Eadem verba, *pudor* et *malum*, eodem sensu legas ap. Ter. Adelph. I, 1, 32 : « Pudore et liberalitate liberos retinere satius esse credo, quam metu. » Ibid. 44 : « Malo coactus qui suum officium facit, dum id rescitum iri credit, tantisper cavet. » — *Per ambitionem*. Ut placeret militibus. De hujus vocabuli sententia vide sup. XLV, n. 1, et LXIV, n. 4. — *Duritiam*. Duritia opponitur mollitiæ. Quid sit disce ex Cicerone, Tusc. II, 14 : « Cretum quidem leges..., itemque

miserias vocant, voluptati habuisset : nisi tamen respublica, pariter ac sævissumo imperio, bene atque decore gesta.

CI. Igitur quarto denique die, haud longe ab oppido Cirta undique simul speculatores[1] citi sese ostendunt : qua re hostis adesse intellegitur. Sed quia diversi redeuntes, alius ab alia parte, atque omnes idem significabant; consul incertus, quonam modo aciem instrueret, nullo ordine commutato, advorsum omnia paratus, ibidem opperitur. Ita Jugurtham spes frustrata, qui copias in quatuor partes distribuerat; ratus, ex omnibus æque aliquos ab tergo hostibus venturos. Interim Sulla, quem primum attigerant, cohortatus suos, turmatim, et quam maxume confertis equis, ipse aliique[2] Mauros invadunt : ceteri in loco manentes ab jaculis eminus emissis corpora tegere, et, si qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites præliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux filius ejus adduxerat, (neque in priore pugna, in itinere morati, adfuerant,) postremam Romanorum aciem invadunt:

Lycurgi, laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando. » — *Nisi tamen.* Id est, sive per ambitionem, sive consuetudinis causa hoc faceret, id utique certum est, publicæ utilitati et gloriæ non minus ab illo consultum fuisse, quam si sævissimum imperium in milites exercuisset. Eodem fere sensu usurpatur *nisi tamen*, sup. XXIV, n. 3.

Cap. CI. 1. *Speculatores.* Scil. a Mario missi exploratum quid ageret, aut quo se ferret hostis. — *Advorsum omnia paratus.* Quippe qui quadrato agmine incederet. — *Æque aliquos.* Hoc *æque* mire torsit interpretes; et ipse Cortius frustra est, dum se verum vidisse credit. At res facilis est : « Si Romani agmine quadrato non incederent, illos certe a tergo invasuri erant aliqui Africani, sive hi, sive illi, *nullo discrimine*, quippe qui e quatuor simul partibus adventarent. Parum enim intererat, *æquum* erat, qui Romanis a tergo venirent, modo aliqui. Inde recte dixit, *æque aliquos.*

2. *Ipse aliique.* Ipse et alii ex equitibus; ipse et pars equitum. — *Ceteri.* Sc. equites. — *In priore pugna.* De qua modo mentio fuit. — *Bocchus cum peditibus... invadunt.* Sic Catil. XLIII : *Lentulus cum ceteris... constituerant.*

tum Marius apud primos agebat, quod ibi Jugurtha cum plurimis. Dein Numida[3], cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit: ibi latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat, nostros frustra pugnare; paullo ante Marium sua manu interfectum: simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna, satis impigre occiso pedite nostro, cruentaverat. Quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei[4] quam fide nuncii terrentur: simulque barbari animos tollere, et in perculsos acrius incedere. Jamque paullum ab fuga aberant, quum Sulla, profligatis, quos advorsum ierat, rediens Mauris ab latere incurrit. Bocchus statim avortitur. At Jugurtha, dum sustentare suos et prope jam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus, dextra, sinistra omnibus occisis, solus inter tela hostium vitabundus erumpit. Atque interim Marius, fugatis equitibus, accurrit auxilio suis, quos pelli jam acceperat. Denique hostes undique fusi. Tum spectaculum horribile campis patentibus: sequi, fugere; occidi, capi; equi, viri

3. *Numida*. Jugurtha. — *Ad pedites convortit*. Ad aciem peditum Romanorum se convertit. Nam si, ut vult Cortius, *pedites* intelligendi essent Mauri, quos Volux adduxerat, non statim subjungeret, *ibi latine*. — *Apud Numantiam*. Vide sup. VII. Nec mediocre ludibrium edidit fortuna, quod, quos nunc inter se committit inexpiabili bello, eos olim apud Numantiam iisdem in castris, in eadem causa, sub eodem duce, P. Africano, conjunxerat. — *Satis impigre*. « Adeo impigre et celeriter, ut Romani scire non possent, gregarii militis esse sanguinem, quo gladius imbutus erat. » Ita quidem hoc intelligunt clar. *Durem Delamalle*, et multi alii. Nonnulli vero malunt (collective sumendo vocem *pedite*): « Quum inter nostros pedites satis impigre stragem necemque tulisset. » Sed ut facile diceres, *cædere peditem*, pro, *cædere turbam peditum*, itane dici potest *occidere?* Nam *occidunt* vulgo hominem, seu homines: *cædunt* multitudinem.

4. *Atrocitate rei*. Vel ipsa tantæ calamitatis cogitatione. — *Quam fide nuncii*. Quam quia fidem adhiberent Jugurthæ talia nuncianti. — *Adeptam*. Passive, ut Catil. VII. — *Circumventus ab equitibus*. Scil. Romanis. — *Omnibus occisis*. Scil. Jugurthinis.

afflicti[5] : ac multi, volneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati; niti modo, ac statim concidere: postremo omnia, qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus; et inter ea humus infecta sanguine.

CII. Postea loci[1] consul, haud dubie jam victor, pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo post diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, duo quam fidissumos ad eum mitteret: velle de se, et de populi romani commodo cum iis disserere. Ille statim L. Sullam et Manlium ire jubet. Qui quamquam acciti ibant; tamen placuit verba apud regem facere; ingenium aut avorsum uti flecterent, aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, cujus facundiæ, non ætati a Manlio concessum, pauca verba hujuscemodi loquutus :

« Rex Bocche, magna lætitia nobis est, quum te talem virum di monuere, uti aliquando pacem, quam bellum, malles; neu te optumum cum pessumo omnium Jugurtha miscendo commaculares; simul nobis demeres acerbam necessitudinem, pariter te errantem, et illum sceleratissumum persequi. Ad hoc populo romano jam a principio

5. *Afflicti.* Ad terram prostrati. — *Qua visus erat.* Qua prospectus patebat. — *Et inter ea humus infecta sanguine.* Hoc non sine consilio ad finem rejecit; aptissima certe talis descriptionis conclusione. Operæ pretium est conferre Tac. Agr. XXXVII : « Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum : sequi, vulnerare, capere, atque eosdem oblatis aliis trucidare. Jam hostium, prout cuique ingenium erat, catervæ armatorum pauciores terga prastare; quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre. Passim arma et corpora, et laceri artus, et cruenta humus. »

CAP. CII. 1. *Postea loci.* Eodem sensu quo sup. LXIII, *ad id locorum.* Ubi notata vide. — *Haud dubie jam victor.* Cujus incerta jam non erat victoria. — *Quamquam acciti ibant.* Quum rex ipse eos advocasset, minus necessarium videbatur illum oratione ad pacem flectere; tamen, etc. — *Avorsum.* Scil. a pace. — *Cujus facundiæ, non ætati.* Videlicet ætate minor erat Sylla.

melius visum[2] amicos, quam servos, quærere: tutiusque rati[3], volentibus, quam coactis imperitare. Tibi vero[4] nulla opportunior nostra amicitia: primum, quod procul absumus, in quo offensæ minumum, gratia par, ac si prope adessemus: dein, quod parentes abunde habemus, amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium satis. Atque hoc utinam a principio tibi placuisset! Profecto ea re ad hoc tempus multo plura bona accepisses, quam mala perpessus es. Sed quoniam humanarum rerum fortuna

2. *Populo romano jam a principio melius visum.* Omnes nostri MSS. *jam a principio inopi melius visum.* Ex *inopi*, Bipont. facit *reipublicæ*. Quidam Cortiani omittunt *inopi;* optime, ut opinor. Quippe nil mirum est amicos *quæri ab inope;* et *servos* vel si maxime quæreret *inops*, difficile profecto haberet. Ipse Cortius: *Populo romano jam inopi visum amicos, quam servos, quærere;* id est, *jam tum, quum inops erat:* magis tolerabili sensu; sed quum aliquid recidendum sit, præstat cum codd. recidere *inopi*, quam *a principio.* Præterea Cortius, suo more, delet *melius;* ut in compluribus locis (verbi gr. Cat. IX, XX, LII, etc.) delevit *magis*, nulla fretus auctoritate, nisi quod hæc ellipsis, apud Græcos frequens, Latinis non omnino insolens erat. Affert enim ex Claudiano, Eutr. II, 204:

Concessoque capù vivisse colonus
Quam dominus rapto.

Sed quod *magis* omitti potuit, ideone constat Sallustium omisisse, quum repugnant MSS.? Commodum sane est Cortio aliquam ex aliquo loco vocem tollere, et deinde ex hoc loco in ceteros argumentum petere, ut inde quoque tollatur! Hæc est perpetua ejus consuetudo.

3. *Tutiusque rati.* Supp. sunt. Hic quoque Cortius, sed ex duobus MSS., delet *que*, quod habent omnes nostri. Si cum illo legas, *tutius rati*, id habere poteris ἀνακόλουθον, qualia plura attulimus, sup. I, n. 7. Quoad sententiam, conf. Liv. VIII, 13: « Id firmissimum longe imperium est, quo obedientes gaudent. »

4. *Tibi vero.* Duas huc usque rationes attulit, cur Romani pacem cum Boccho malint: 1° quia cum Jugurtha simul eum persequi non cogentur; 2° quia romanum est amicos, quam servos, malle. Nunc sua regem utilitate hortatur. — *In quo offensæ minumum.* In quo nullus mutuis offensionibus locus. — *Gratia par.* In eodem honoris et gratiæ loco apud nos eris. — *Parentes.* Populos nobis subditos. — *Amicorum neque nobis*, etc. Hoc addit, ut rex inde colligat Romanos fidos bonosque amicos sibi fore. — *Atque hoc.* Sc. pacem quam bellum malle. — *Quam mala perpessus es.* Cort. et nostri MSS. *perpessus esses.* Sed Cortius monet in quibusdam legi *es;* in aliis, *est;* unde conjicit, *perpessus* nude legendum. Utique *es*, nisi legitur, intelligi debet.

pleraque regit, cui scilicet placuit, te[5] et vim et gratiam nostram experiri : nunc, quando per illam licet, festina, atque, uti cœpisti, perge. Multa atque opportuna habes, quo facilius errata officiis superes[6]. Postremo hoc in pectus tuum demitte, numquam populum romanum beneficiis victum : nam, bello quid valeat, tute scis. »

Ad ea Bocchus placide et benigne, simul pauca pro delicto suo, verba facit : se non hostili animo, sed ob regnum tutandum arma cepisse : nam Numidiæ partem, unde vi Jugurtham expulerit[7], jure belli suam factam; eam

5. *Cui scilicet placuit te*, etc. Cortius et quidam alii : *cui scilicet placuisse et vim et gratiam nostram experiri ;* subaud. pronomine *te*. Hoc interpretatur, solvendo *scilicet* in *scire licet*, ita ut sensus sit : « *Scire licet* fortunæ *placuisse* te et vim et gratiam nostram experiri. » Et certe vox ea interdum sic capitur, ut in hoc Plaut. Rud. II, 3, 64 : « Nunc eam cum navi *scilicet* (scire licet) abivisse pessum in altum. » Divisim etiam protulit Varro de Ling. Lat. VIII, 54 : « Ex quo *licet scire* verborum rationem constare ; » pro eo quod esset : « Ex quo nimirum ratio verborum constat. » Et ejusdem rationis est *videlicet*. Plaut. Stich. IV, 1, 49 : « Videlicet (videre licet) illum fuisse parcum senem, qui dixerit, etc. » Nil ergo grammaticæ repugnat Cortiana lectio. Bip. tamen sequuti sumus, qui conjicit, *placuisse* ortum esse in MSS. ex *placuit te*. Noster C : *cui scilicet placuit et vim et gratiam nostram te experiri*. Item ceteri ; nisi quod, pro *placuit*, habent *complacuit*.

6. *Errata officiis superes*. Hic *superare*, non est plura officia conferre, quam admisit delicta ; sed ita officiis efficere, ut memoria delictorum aboleatur. Eodem fere sensu sup. LXXXV : « Falsam orationem vita moresque mei *superant*. » Ceterum animadverte quibus, jam ab initio, verborum ambagibus tradendum Jugurtham innuat, pretium romanæ amicitiæ. — *Numquam beneficiis victum*. Nunquam tanta in Romanos beneficia collata esse, ut non majora reddiderint. — *Nam bello quid valeat*. Spem obtulit ; nunc intendit metum. — *Tute*. Tu ipse. *Te* particula enclitica est.

7. *Unde vi Jugurtham expulerit*. Hic nostrum codicem C sequimur. Cortius, *vi... expulerat*. Ceteri omittunt *vi*, et variant inter *expulerit* et *expulerat*. Firmiter credo Sallustium scripsisse *vi ;* quosdam autem librarios hoc omisisse propter similitudinem primæ syllabæ insequentis. Nam sic fere scriptum est, *u ugurtham*. Quis autem Jugurtham vi expulit ? Cortius Marium putat. Et Jugurtha quidem Boccho promiserat, sup. XCVII, tertiam Numidiæ partem, si Romani Africa expellerentur. Sed hercle non hoc Bocchum apud Romanos confiteri decet. Vero similius est eum hic

vastari ab Mario pati nequivisse : præterea missis antea Romam legatis, repulsum ab amicitia. Ceterum vetera omittere, ac tum, si per Marium liceret, legatos ad senatum missurum. Dein, copia facta[8], animus barbari ab amicis flexus, quos Jugurtha, cognita legatione Sullæ et Manlii, metuens id, quod parabatur, donis corruperat.

CIII. Marius interea, exercitu in hibernis composito, cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiscitur in loca sola[1], obsessum turrim regiam, quo Jugurtha perfugas omnes præsidium imposuerat. Tum rursus Bocchus[2], seu reputando, quæ sibi duobus præliis venerant, seu admonitus ab amicis, quos incorruptos Jugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorum quinque delegit, quorum et fides cognita, et ingenia validissuma erant. Eos ad Marium, ac dein, si placeat[3], Romam legatos ire jubet; agendarum rerum, et quocumque modo belli com-

fingere, se partem illam Numidiæ armis Jugurthæ eripuisse. Nam potuerant omnino contentiones inter ambos intercedere, insciis Romanis. Ita sensus esset: Numidiæ partem, in qua bellum geritur, Bocchi esse jure belli, quippe qui vi Jugurtham inde expulerit. Nec video quid sibi vellet *jure belli*, ni ad eumdem referretur, ac *vi expulerit*.

8. *Copia facta.* Scilicet legatos ad Marium mittendi.

Cap. CIII. 1. *In loca sola.* Solitaria, deserta. Ea vox sæpe occurrit hoc sensu. Virg. Georg. III, 249:

Heu! male tum Libyæ *solis* erratur in agris.

Cic. de Div. I, 28 : « Quum in locis *solis* mœstus errares. »

2. *Tum rursus Bocchus.* Hic addit Bip. ex antiquis edd. *scilicet*. Haverc. et nostrorum quatuor, *feliciter*. D, *flectitur*. Omnia hæc manasse putat Cortius, ex eo quod vetustum quoddam exemplar in his verbis finiretur, solemni illo verbo, *feliciter*. Addit tres meliores suos codd. paulo inferius finiri. Et nostri quoque duo A et C a verbis, *ex omni copia necessariorum*, transiliunt ad, *pacem vellet*, cap. CXII; mox finis insequitur et in calce libri reponuntur, sed altera manu, quæ omissa fuerant; nisi quod A, in fine, pauca desideranda relinquit. Ergo verisimile est Sallustium scripsisse, *tum rursus Bocchus, seu*, etc.; quod cum Cortio sequuti sumus. Quod ad sententiam attinet, modo dixit Bocchum ab amicis flexum, Syllanos sermones et sua promissa oblitum esse. Nunc dicit rursus mutatum ad pacis consilia redire. — *Venerant.* Evenerant; quod etiam aliqui e nostris et plures edd. Simplex *venire* frequens est in locutione *usu venit*.

3. *Si placeat.* Scilicet Mario. —

ponendi licentiam ipsis permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur : deinde in itinere a Gætulis latronibus circumventi spoliatique, pavidi, sine decore ad Sullam profugiunt; quem consul in expeditionem proficiscens pro prætore reliquerat. Eos ille non pro vanis hostibus, ut meriti erant, sed accurate ac liberaliter habuit. Qua re barbari et famam Romanorum avaritiæ falsam, et Sullam, ob munificentiam in sese, amicum rati. Nam etiam tum[4] largitio multis ignara : munificus nemo putabatur, nisi pariter volens : dona omnia in benignitate habebantur. Igitur quæstori mandata Bocchi patefaciunt; simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi adsit : copias, fidem, magnitudinem regis sui, et alia, quæ aut utilia, aut benevolentiæ credebant, oratione extollunt : dein Sulla omnia pollicito, docti, quo modo apud Marium, item apud senatum verba facerent, circiter dies XL ibidem opperiuntur.

CIV. Marius postquam infecto, quo intenderat, nego-

Sine decore. Eodem sensu, quo de Jugurtha dixit, *contra decus regium, cultu quam maxume miserabili*, sup. XXXIII. — *Ad Sullam profugiunt.* Quidam, *perfugiunt;* nostri, *profugiunt.* Adverte singularem fortunæ casum, quæ voluit Marium abesse, quum venerunt legati; ut ei perficiendi belli decus, quod ipse Metello præripere voluerat, a Sylla præriperetur. — *Pro prætore.* Vide sup. XXXVII, n. 2. *Pro vanis hostibus.* Tanquam hostes quibus nulla fides habenda sit. — *Ut meriti erant.* Quia de Bocchi inconstantia resciverat Sylla; quam novisse poterat vel ex longo tempore, quod suum colloquium inter et missos legatos intercesserat.

4. *Nam etiam tum.* Sui seculi mores carpit obiter. — *Largitio.* Illa scilicet qua ambitiosus homo ceteros corrumpere studet. — *Ignara.* Ignorata; ut passim. Hoc cum Cortio dedimus, variantibus MSS. inter *ignota* et *ignorata.* — *Nisi pariter volens.* Nisi, beneficia dando, animum quoque benevolum haberet. — *Dona omnia in benignitate habebantur.* Dona ex benignitate proficisci putabantur, contra quam nunc dantur pro dantis utilitate. — *Aut utilia aut benevolentiæ.* « Aut utilitatis spem Romanis ostendentia, aut conciliandæ regi suo benevolentiæ idonea. » Hanc amat structuram verborum Sallustius. Vide sup. LXXXVIII : « Quæ postquam *gloriosa* modo, neque *belli patrandi* cognovit. »

tio[1], Cirtam redit; de adventu legatorum certior factus, illosque et Sullam venire jubet, item L. Bellienum prætorem Utica, præterea omnes undique senatorii ordinis: quibuscum mandata Bocchi cognoscit, quis legatis potestas[2] eundi Romam ab consule, interea induciæ postulabantur. Ea Sullæ et plerisque placuere: pauci ferocius decernunt, scilicet ignari humanarum rerum, quæ fluxæ et mobiles semper in advorsa mutantur[3]. Ceterum Mauri, impetratis omnibus rebus, tres Romam profecti cum Cn. Octavio Rufo, qui quæstor stipendium[4] in Africam portaverat: duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus quum cetera, tum maxume benignitatem et studium Sullæ lubens accepit. Romæ legatis ejus, postquam errasse regem, et Jugurthæ scelere lapsum, deprecati sunt, amicitiam et

Cap. CIV. 1. *Infecto, quo intenderat, negotio.* Non perfecto, ad quod perficiendum profectus erat, negotio. Nam *quo*, adverbium loci, recte quoque de *rebus* dicitur; ita ut sit, non modo *ad quem locum*, sed etiam *ad quam rem*. *Intenderat* vero, est, *mentem atque iter direxerat*. — Bip. legit, *ibi confecto*, sine auctoritate. Nostri A, C, D, *confecto*. Ceteri, et optimæ editiones, *infecto*.

2. *Quis legatis potestas.* Quibus mandatis Bocch. petebat ab consule, 1° potestatem suis legatis Romam eundi; 2° inducias, donec rediissent. Bip. sequimur, qui sequutus ipse est Aldinam ed.; nisi quod dedit *quis*, pro *quibus*. Cortius vero ex uno suorum codd.: *cognoscit. Legatis potestas eundi Romam fit ab consule. Interea induciæ postulabantur.* Et sic quoque optime sensus procedit. Hav. *Mandata Bocchi cognoscit: in quibus legatis Romam potestas eundi fit, et ab consule interea induciæ postulabantur.* Nostri codd. aliquot syllabis ab hac lectione differunt, sed in eumdem sensum conveniunt, ut Bocchus sit, a quo *legatis Roman eundi potestas fit*. Quod merito damnat Cortius. Et certe cap. CIII, suos legatos Romam ire JUSSERAT Bocchus, si Mario placeret; sed non eis potestatem fecerat, quæ a Mario solo poterat fieri. Una igitur est optio inter Bipontinam et Cortianam lectionem.

3. *Semper in advorsa mutantur.* Cortius, *mutant*. Nostri B, D, *sæpe*, pro, *semper*. Veteres edd. *sæpius*. Ceterum *advorsa* non hic sunt *infelicia*. Dicit universe eam rerum humanarum mobilitatem esse, ut *semper* conditio quælibet in *adversam*, i. e. contrariam et prorsus oppositam mutari soleat.

4. *Stipendium.* Pecuniam ad stipendium militibus solvendum. — *Errasse regem... deprecati sunt.* Iram

fœdus petentibus hoc modo respondetur : « Senatus et populus romanus beneficii et injuriæ memor esse solet : ceterum Boccho, quoniam pœnitet, delicti gratiam facit : fœdus et amicitia dabuntur, quum meruerit. »

CV. Quis rebus cognitis, Bocchus per literas a Mario petivit, uti Sullam ad se mitteret; cujus arbitratu de communibus negotiis consuleretur. Is missus cum præsidio equitum atque peditum, funditorum Balearium[1] : præterea sagittarii et cohors peligna[2] cum velitaribus armis, itineris properandi caussa ; neque his secus, atque aliis armis, advorsum tela hostium, quod ea levia sunt, muniti. Sed in itinere, quinto denique die, Volux, filius Bocchi, repente in campis patentibus cum mille non amplius equitibus sese ostendit : qui temere et effuse euntes Sullæ aliisque omnibus et numerum ampliorem vero, et hostilem metum efficiebant. Igitur sese quisque expedire[3],

Romanorum deprecati sunt, seu venium regi petiverunt, dicentes *eum errasse*, etc.

Cap. CV. 1. *Funditorum Balearium*. Noster A, *item funditorum*. Haverc. *funditorum Balearicorum* ; et in nota : « rectius in aliis libris, *funditorumque Balearium*. » Certe particula *que*, vel *item*, ni in textum recipiatur, ad sententiam tamen subaudienda est. Plin. III, 5, sit Baleares insulas funda bellicosas fuisse ; Servius autem fundam ibi repertam. Flor. III, 8, de iisdem : « Tribus quisque fundis præliatur. Certos esse quis miretur ictus, quum hæc sola genti arma sint, id unum ab infantia studium ? Cibum puer a matre non accipit, nisi quem, ipsa monstrante, percussit. » Vide etiam Liv. XXVIII, 37.

2. *Cohors peligna*. Peligni erant Italiæ populi, quorum caput Corfinium, et celebre oppidum Sulmo, unde Ovidius oriundus, qui propterea gentem Pelignam per se illustrem fore ipse scripsit. — *Velitaribus armis*. Velitaria arma sunt, quæ gestantur ab velitibus, parma tripedalis, et brevior quam equestris, septem hastæ in manibus, quibus eminus uterentur, et gladius Hispaniensis. Ita perspicue Livius, XXVI, 4, et XXXVIII, 21. Vide Lips. de Militia, III, 1. — *Neque his secus*. Duplex commodum hujuscemodi armorum notat : 1° sic armati citius properabant ; 2° ea arma, non minus quam si graviora fuissent, eos muniebant, quia tela quoque hostium levia sunt. — *Cohors... muniti*. Ut supra, XIV, *pars... aeti* ; LVIII, *magna pars.... volnerati*.

3. *Sese quisque expedire*. Sc. ad pugnam ; quæ loquutio integra comparet apud Liv. XXXVIII, 21 :

arma atque tela tentare, intendere : timor aliquantus; sed spes amplior, quippe victoribus, et advorsum eos, quos sæpe vicerant. Interim equites exploratum præmissi, rem, uti erat, quietam nunciant.

CVI. Volux adveniens quæstorem appellat : se a patre Boccho obviam illis simul, et præsidio missum. Deinde eum et proxumum diem sine metu conjuncti eunt. Post, ubi castra locata, et die vesper erat[1], repente Maurus incerto voltu ad Sullam accurrit : sibi ex speculatoribus[2] cognitum, Jugurtham haud procul abesse : simul, uti noctu clam secum profugeret, rogat atque hortatur. Ille animo feroci negat se toties fusum Numidam pertimescere: virtuti suorum satis credere : etiam si certa pestis adesset, mansurum potius, quam proditis, quos ducebat, turpi fuga incertæ ac forsitan post paullo morbo interituræ vitæ[3] parceret. Ceterum ab eodem monitus, uti noctu proficiscerentur, consilium approbat : ac statim milites cœnatos esse[4], in castris ignes quam creberrimos fieri, dein

« Quos ubi Romani viderunt, expediunt sese ad pugnam. » Se autem *expedire* est, se *liberare* impedimentis illis paucis, quæ portabant in itinere. — *Arma atque tela tentare*. Tractare, et experiri an apta et usui commoda forent. — *Intendere*. Sc. *arcus*, et latiori sensu, quidquid jacitur in hostem. — *Advorsum eos, quos sæpe vicerant*. Supp. *pugnaturis*.

Cap. CVI. 1. *Et die vesper erat*. Vid. sup. LII, n. 1. — *Incerto voltu*. Vulgo huc inserunt, *pavens*, quod ex uno codd. suorum delevit Cortius, ut insulsam antecedentium verborum interpretationem. Nam incertus vultus satis per se *pavorem* indicat. Cicer. pro Cluent. XIX : « Timor ejus, perturbatio, suspensus *incertusque vultus*, crebra coloris mutatio, etc. »

2. *Sibi ex speculatoribus*. Cum Cortio et Bip. hinc recidimus *dicitque*, quod est in omnibus nostris MSS. et vulg. edd. Primo etiam hujus capitis versu intrudunt, *dicitque* se a patre Boccho, etc. Atqui hæc ipsa iteratio, nonne satis indicat neutrum a Sallustio esse?

3. *Post paullo morbo interituræ vitæ*. Ita Tyrtæus *mares animos in martia bella* exacuit :

Πολλάκι δηϊότητα φυγὼν καὶ δοῦπον ἀκόντων
Ἔρχεται· ἐν δ' οἴκῳ μοῖρα κίχει θανάτου.

4. *Cœnatos esse*. Plus dicit hoc quam *cœnare*. *Cœnatos* enim eos, non cœnando occupatos volebat.

prima vigilia silentio egredi jubet. Jamque nocturno itinere fessis omnibus, Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur, quum equites Mauri nunciant, Jugurtham circiter duum millium intervallo ante consedisse. Quod postquam auditum, tum vero ingens metus nostros invadit: credere se proditos a Voluce et insidiis circumventos: ac fuere, qui dicerent, manu vindicandum, neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.

CVII. At Sulla, quamquam eadem æstumabat, tamen ab injuria Maurum prohibet[1]: suos hortatur, uti fortem animum gererent: sæpe antea paucis strenuis advorsum multitudinem[2] bene pugnatum: quanto sibi in prælio minus pepercissent, tanto tutiores fore: nec quemquam

quum signum proficiscendi daret. Vulgo distinguunt: *milites cœnatos esse in castris, ignesque*, etc. E nostris B: *cœnatos esse. In castris ignesque*, etc. Hic propior est vero. Cortium sequimur. — *Prima vigilia.* Jam notavimus sup. LXVIII, n. 3, noctem, ab occasu solis ad ortum, in duodecim horas apud Romanos divisam fuisse. Porro illæ horæ in quatuor vigilias, trium quamque horarum, dividebantur, quarum prima occidente sole incipiebat. — *Ante consedisse.* Sic Haverc., Cortius et alii. Nostri codd. *ante eos.* Certe sensus est, *en avant des Romains.* — *Tum vero.* De vi hujus loquutionis vide Catil. LXI, n. 1, et LVIII, n. 18.

Cap. CVII. 1. *Ab injuria Maurum prohibet.* Defendit Volucem, ne quid illi mali inferatur.

2. *Paucis strenuis advorsum multitudinem.* Sic Phormio apud Thucyd. II, 89: « Πολλὰ δὲ καὶ στρατόπεδα ἤδη ἕπεσιν ὑπ' ἐλασσόνων τῇ ἀπειρίᾳ, ἔστι δὲ ἃ καὶ τῇ ἀτολμίᾳ. Multos enim videre fuit profligatos a paucioribus exercitus ob imperitiam, et nonnullos vero ob ignaviam animi. » — *Bene pugnatum. Bene pugnare* non est strenue et fortiter, sed felici eventu pugnare. Item sup. LIV, *prælium male pugnatum* est prælium infelici eventu commissum. — *Quanto sibi.... minus pepercissent.* Sic Catil. LVIII: « Semper in prælio his maxumum periculum est, qui maxume timent: audacia pro muro habetur. » Hom. Il. ι, 531:

Αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι, ἥ τε πέφανται·
Φευγόντων δ' οὔτ' ἄρ κλέος ὄρνυται, οὔτε τις ἀλκή.

In eamdem sententiam Tyrtæus:

Οἱ μὲν γὰρ τολμῶσι παρ' ἀλλήλοισι μένοντες
Εἴς τ' αὐτοσχεδίην καὶ προμάχους ἰέναι,
Παυρότεροι θνήσκουσι, σάουσι δὲ λαὸν ὀπίσσω·
Τρεσσάντων δ' ἀνδρῶν πᾶσ' ἀπόλωλ' ἀρετή.

decere, qui manus armaverit, ab inermis pedibus[3] auxilium petere, in maxumo metu nudum et cæcum corpus ad hostes vortere. Deinde Volucem, quoniam hostilia faceret, maxumum Jovem obtestatus, ut sceleris atque perfidiæ Bocchi testis adesset, castris abire jubet. Ille lacrumans orare, ne ea crederet : nihil dolo factum ; magis calliditate Jugurthæ[4], cui videlicet speculanti iter suum cognitum esset. Ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet, et spes opesque ejus ex patre suo penderent, illum nihil palam ausurum, quum ipse filius testis adesset : quare optumum factum videri, per media ejus castra palam transire : sese, vel præmissis, vel ibidem relictis Mauris, solum cum Sulla iturum. Ea res, ut in tali negotio[5], probata : ac statim profecti, quia de improviso acciderant, dubio atque hæsitante Jugurtha, incolu-

3. *Ab inermis pedibus. Inermis* pro *inermibus* primus reposuit Ald. Manut. *Inermis* est in tribus nostris A, C, D; et a Nonio, cum toto hoc loco, citatur, ut mutatæ declinationis exemplum. — *In maxumo metu.* Ubi maxime metuendi locus est : in maximo periculo. — *Nudum et cæcum corpus.* Eam corporis partem, quæ clypeo non tegitur (*nudum*), nec habet oculos ad evitandos hostium ictus (*cæcum*). Ea autem pars tergum est. Eadem fere aliis verbis, Catil. LVIII : « Nam in fuga salutem sperare, quum arma quis corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est. » Sed similius etiam Xenoph. Cyrop. III, 3 : « Μωρὸν γὰρ τὸ, κρατεῖν βουλομένους, τὰ ΤΥΦΛΆ τοῦ σώματος καὶ ΆΟΠΛΑ, καὶ ἄχειρα, ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις φεύγοντας. Μωρὸς δὲ καὶ, εἴ τις ζῆν βουλόμενος φεύγειν ἐπιχειροίη· εἰδὼς ὅτι οἱ μὲν νικῶντες σώζονται, οἱ δὲ φεύγοντες ἀποθνήσκουσι μᾶλλον τῶν μενόντων. » Quæ quidem ultima sententia cum antecedentibus, *quanto sibi... minus pepercissent*, mire congruit.

4. *Magis calliditate Jugurthæ. Magis* pro, *sed magis*. Nostri quatuor, *ac magis ;* unus, *at magis*. Sed recte observat Cortius, etiam alibi nudo adverbio *magis* uti Sallustium. Sup. LXXXV : « Neque quisquam parens liberis suis, ut æterni forent, optavit; *magis* ut boni honestique vitam exigerent. » Et ex hoc uno factum est, ut *magis* transiret in gallicum MAIS, sensu non mutato, forma levissime. — *Cui videlicet.* Cortius sua auctoritate delet *videlicet*, quod est in omnibus MSS. — *Haberet.* Scilicet Jugurtha. — *Ex patre suo.* Boccho.

5. *Ut in tali negotio.* Quia tale erat negotium, ut consilium illud, quamvis audacissimum, tutissimum ta-

mes transeunt. Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum.

CVIII. Ibi cum Boccho Numida quidam, Aspar nomine, multum et familiariter agebat; præmissus ab Jugurtha, postquam Sullam accitum audierat, orator, et subdole speculatum[1] Bocchi consilia : præterea Dabar, Massugradæ filius[2], ex gente Masinissæ, ceterum materno genere impar (nam pater ejus ex concubina ortus erat), Mauro ob ingenii multa bona carus acceptusque : quem Bocchus fidum[3] multis antea tempestatibus expertus, illico ad Sullam nunciatum mittit, paratum sese facere,

men esset. — *Acciderant*. Sic Cortius ex pluribus MSS. Bip. male, *accesserant*. Nostri quatuor, et alii Cortiani, *acciderat;* cui verbo *subjectum* intellexere librarii, *ea res*. Sed *accidere* de hominibus quoque dicitur; Sup. LXXXVIII : « Quo improvisus gravior *accideret*. » Et hoc verbum maxime proprium est. Nam adventus eorum, ut casus aliquis, perculit Jugurtham, atque per castra ejus, *ut miraculum* (conf. Tac. Agr. XXVIII), progrediebantur. Aliter qui transire incolumes potuissent? — Ceterum non res indigna philosopho Syllam, abdicata dictatura, per ora hominum secure incedentem miranti, meminisse eumdem, quum tantummodo quæstor esset, sua potius audacia fretum, quam levissima barbari fide, tantum Jugurthæ tot hominum millibus stipato quasi stuporem injecisse, ut ille adversus inermem fere et deprehensum commovere se non ausus fuerit.

Cap. CVIII. 1. *Orator et subdole speculatum*. Orator dicitur legatus cum mandatis missus. Liv. XXX, 16: « Jam nullo auctore belli ultra audito, *oratores* ad pacem petendam mittunt. » Hunc igitur Jugurtha præmiserat ad Bocchum, ut suus *orator* et quasi legatus esset, et insuper Mauri consilia subdole specularetur. Animadverte hanc verborum structuram, *præmissus orator et* [præmissus] *speculatum*.

2. *Massugradæ filius*. Vide stemma Masinissæ familiæ, sup. V, n. 10. — *Ex concubina*. Sc. Masinissæ.

3. *Quem Bocchus fidum*. Cortius *fidum Romanis*. Nostri omnes, *fidum esse Romanis*. De qua re Glareanus : « Illud *Romanis* non habent omnes codices, nec ad regis commodum quidquam attinebat eum Romanis fidum esse, sed potius gratum Romanis ac fidum regi. Badius etiam omisit. » Hactenus ille. Addemus non videre nos, quomodo Dabarem *fidum Romanis multis tempestatibus experiri* potuisset Bocchus, cui nulla adhuc cum Romanis societas aut amicitia fuisset. Præterea fidum aliquem *nobis, non alii, experimur*. Rejecimus ergo cum Bip. absurdum illud *Romanis*.

quæ populus romanus vellet : colloquio diem, locum, tempus ipse deligeret; consulta sese omnia[4] cum illo integra habere : neu Jugurthæ legatum pertimesceret; quo res communis licentius gereretur[5]; nam ab insidiis ejus aliter caveri nequivisse. Sed ego comperior[6], Bocchum magis punica fide, quam ob quæ prædicabat, simul Ro-

4. *Consulta sese omnia*, etc. Sibi integrum esse, quid cum Sylla consuleret; vel, aliis verbis, nulla necessitate aut sponsione se erga Jugurtham obligatum esse, quin cum Sylla libere consuleret.

5. *Quo res communis licentius gereretur*. Sic Cortius. Bip. nulla auctoritate, *cautum esse*, *quo res*, etc. Alii *accitum esse*. Noster E, recentiori manu, *quod eo advocatus esset*. A, B, C, et multi apud Haverc., ut Cortius. D, hoc loco usque ad finem deficit. Unus apud Cortium, *adhibitum esse*. Qui seu hoc, seu *accitum esse*, seu *quod eo advocatus esset*, intruserunt, intelligunt, ut opinor, legatum Jugurthæ advocatum fuisse ab ipso Boccho, ne Jugurtha suspecta haberet Bocchi et Syllæ colloquia, communiaque consilia occultis insidiis præpediret. Nam præsentia sui legati securiorem Numidam faciebat; ideoque liberius inter se agere poterant Bocchus et Sylla. Et hic quidem sensus satis recte procedit. Sed multo melius, si Gronovii conjecturam sequaris : *neu Jugurthæ legatum pertimesceret*, quin *res communis licentius gereretur*. « Sensus est, inquit Gronovius : Ne Sylla putaret obstare sibi Asparem, quominus libere diceret ageretque, quæ in rem utriusque essent; nam illum necessario admittendum fuisse, ut aliæ Jugurthæ insidiæ excluderentur. » Est etiam alia Cortii conjectura : *quo res communis licentius gereretur, aliter caveri nequivisse*; vel, *nam, quo res communis licentius gereretur, aliter ab insidiis ejus caveri nequivisse*. Sed tantæ mutationis licentia omnem modum excedit. Nunc, postquam aliorum opiniones exposuimus, nostram dabimus. Primo nihil in textu mutandum est. Deinde multo simplicius intelligendum : nunciabat Syllæ Bocchus « *ut non Jugurthæ legatum pertimesceret*; securus autem ab illo esset, *eoque res communis licentius gereretur*. Eum legatum *palam* admissum esse, quia aliter ab *occultis* Jugurthæ insidiis caveri non poterat. » Nemo nescit *quo* solvi in *eoque*; et *ne pertimesceret* idem valere quod, *securus esset*. Sic negativa propositione in affirmativam mutata, Sallust. dictio similis est huic Liv. XXVI, 50 : « Juvenis juvenem appello; quo minor sit inter nos hujus sermonis verecundia. » Eodem modo dicere videtur Bocchus Syllæ : « Securus esto ab Aspare; quo major sit nostri sermonis licentia. » — Pro *caveri*, quidam *cavere*; sc. se nequivisse cavere. Forsan bene.

6. *Comperior*. Compertum habeo. In hoc verbo Sallustius promiscue utitur utraque terminatione. Inf. CXIII, *comperimus*. — *Punica fide*. Punicam fidem proverbio celebra-

manos et Numidam spe pacis attinuisse, multumque cum animo suo volvere solitum, Jugurtham Romanis, an illi Sullam traderet : lubidinem advorsum nos, metum pro nobis suasisse.

CIX. Igitur Sulla respondit : pauca se coram Aspare loquuturum; cetera occulte, aut nullo, aut quam paucissumis præsentibus; simul edocet, quæ responderentur[1]. Postquam, sicuti voluerat, congressi; dicit, se missum a consule venisse quæsitum ab eo, pacem, an bellum agitaturus foret. Tum rex, uti præceptum, post diem decimum redire jubet; ac nihil etiam nunc decrevisse, sed illo die responsurum : deinde ambo in sua castra digressi[2]. Sed ubi plerumque noctis processit, Sulla a Boccho occulte arcessitur : ab utroque tantummodo fidi interpretes

tam pro infideli et insidiosa, omnibus notum est. Quod forsan quis jure crediderit non magis ex vero manasse, quam ex inexpiabili Romanorum in Pœnos odio. — *Attinuisse.* Suspensos re infecta tenuisse. — *Cum animo suo volvere solitum.* Hic dignus cum Sallustio conferri Plutarch. in Sylla : Ὁ Σύλλας τὸν μέγιστον ὑπέδυ κίνδυνον, ὅτι βαρβάρῳ καὶ πρὸς τοὺς οἰκειοτάτους ἀπίστῳ πιστεύσας, ὑπὲρ τοῦ παραλαβεῖν ἕτερον, ἑαυτὸν ἐνεχείρισεν. Οὐ μὴν ἀλλὰ ὁ Βόκχος, ἀμφοτέρων κύριος γενόμενος, καὶ καταστήσας ἑαυτὸν εἰς ἀνάγκην τοῦ παρασπονδῆσαι τὸν ἕτερον, καὶ πολλὰ διενεχθεὶς τῇ γνώμῃ, τέλος ἐκύρωσε τὴν πρώτην προθεσίαν, καὶ παρέδωκε τῷ Σύλλᾳ τὸν Ἰουγούρθαν.

Cap. CIX. 1. *Quæ responderentur.* Quæ sibi a Boccho responderentur, coram Jugurthæ legato.

2. *Ambo in sua castra digressi.* Qui sunt *ambo?* quæ *castra?* Ratio communis respondet *Syllam* et *Bocchum; Syllæ* et *Bocchi castra.* Nam verisimile est eos non in ipsis castris, sed, ut fit, in loco inter castra designato colloquium habuisse. Præterea *digressi* de iisdem dicitur, de quibus paulo ante *congressi;* et in toto hoc de non alio quopiam agitur, quam de Boccho et Sylla. Præsens Aspar fuerit, id ex antecedentibus conjicitur; sed, auditor tantum, aderat. Non audiamus ergo Cortium, qui ambos, *Asparem* et *Syllam* intelligit; Asparemque in *sua* apud Jugurtham, Syllam in *sua* apud Marium, castra *digressos*, longissima oratione contendit. Neque magis audiamus Glareanum, qui miratur castra habuisse Syllam in alieno regno, Bocchum in suo. Nam Sylla, quamvis paucos milites haberet, eos videlicet alicubi habere necesse fuit. Ubi autem, si non in castris? Et Bocchus, quum bellum gereret, cur non et ipse castra in proprio regno habuisset?

adhibentur; præterea Dabar internuncius[3], sanctus vir et ex sententia ambobus : ac statim sic rex incipit :

CX. « Numquam ego ratus sum fore, uti rex maxumus in hac terra[1], et omnium, quos novi, privato homini gratiam deberem. Et, hercle, Sulla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli, nullius indigui. Id imminutum[2], quod ceteri dolere solent, ego lætor : fuerit mihi pretium, eguisse aliquando amicitiæ tuæ, qua apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri licet[3]: arma, viros, pecuniam, postremo quidquid animo lubet, sume, utere : et, quoad vives, numquam redditam gratiam putaveris; semper apud me integra erit : denique nihil, me sciente, frustra voles. Nam, ut ego æstumo,

3. *Internuncius*. Sic dicitur, qui inter alios medius est ad aliquid tractandum. Nempe hoc in colloquio, *interpretum* erat, alteri alterius verba interpretari; *internuncii* vero etiam de conditionibus agere. — *Ex sententia ambobus*. Qui Boccho et Syllæ æque acceptus erat. Eadem fere loquutio sup. XLIII : *ex sententia omnibus rebus paratis compositisque*. Conf. Cic. de Orat. II, 64, et Gell. IV, 20. Vulgo legitur, *ex sententia* jurat *ambobus*. Sed Cortius, aliquot MSS. auctoritate, extrusit *jurat*, quod, natum ex *vir et*, effecerat primo *jurat ex sententia ambobus*, deinde translatum fuerat post *sententia*. Addemus nostrum C non habere absurdum illud *jurat*; et D habere tantum supra lineam, et altera manu.

Cap. CX. 1. *In hac terra*. In Africa. — *Et omnium quos novi*. Vulgo addunt *opulentissumus*, quod delet Cortius, nec in ullo neque nostrorum, neque aliorum MSS. comparet. Hæc vox nequaquam necessaria est. Sufficit nempe *maxumus*, et Sallustianum est, ut sæpe notavimus, structuram mutare : *maxumus in hac terra, et* [maxumus] *omnium quos novi*. Hoc ultimum addit, quia parum erat dixisse se maximum Africæ regem. Ea semper fuit, estque etiam nunc in istis regionibus regulorum jactantia. — *Multis orantibus*. Vide sup. XCVI, n. 1.

2. *Id imminutum*. Bip. et noster A, *immutatum*. Ceteri *imminutum*, quod melius est, quia notat aliquid commodi detractum. — *Fuerit mihi pretium*. Operæ pretium fuerit mihi, vel potius, *res pretiosa, res in bonis numeranda fuerit mihi*, etc. Ceterum Cortius delet *pretium*, quod abesse ait a quibusdam MSS., et exponit : « *fuerit mihi*, acciderit mihi, ut eguerim aliquando amicitiæ tuæ. » Sed male. Nam *fuerit pretium*, ejusdem generis est, quam in Tac. Ann. I, 57 : « Germanico *pretium fuit*, convertere agmen. »

3. *Id .... experiri licet*. Nempe nihil carius esse mihi tua amicitia.

regem armis, quam munificentia, vinci, minus flagitiosum. Ceterum de republica vestra, cujus curator huc missus es, paucis accipe. Bellum ego populo romano neque feci, neque factum umquam volui : fines meos advorsum armatos armis tutus sum. Id omitto, quando vobis ita placet : gerite, uti voltis, cum Jugurtha bellum. Ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipsam fuit, non egrediar; neque Jugurtham id intrare sinam : præterea, si quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulsus abibis. »

CXI. Ad ea Sulla pro se breviter et modice, de pace et de communibus rebus, multis disseruit. Denique regi patefacit, quod polliceatur, senatum et populum romanum, quoniam amplius armis valuissent, non in gratiam habituros[1] : faciundum aliquid, quod illorum magis, quam sua, retulisse videretur. Id adeo in promtu esse, quoniam Jugurthæ copiam haberet : quem si Romanis tradidisset, fore, ut illi plurimum deberetur; amicitiam, fœdus, Numidiæ partem, quam nunc peteret, ultro adventuram. Rex primo negitare : affinitatem, cognationem, præterea fœdus intervenisse : ad hoc metuere, ne, fluxa fide usus, popularium animos avorteret, quis et Jugurtha carus, et Romani invisi erant : denique sæpius fatigatus, leniter[2] et

— *Adeo.* Adverb. affirmandi. Vide Catil. XXVII, n. 3. — *Armis quam munificentia vinci.* Duplici sensu dictum est *vinci :* Minus turpe est regi, si vincatur armis, quam si ejus beneficia aliorum beneficiis superentur. Sic supra CII : « Numquam populum romanum beneficiis victum. » — *Tutus sum.* Pro *tutatus*, vel potius *tuitus*, a verbo *tueor.* Vide sup. LXXIV, extr.: « Numidas pedes magis quam arma tuta sunt. » — *Id omitto.* Desino id facere. — *Flumen .... non egrediar.* Non e regionis meæ finibus, transeundo flumen Mulucham, egrediar.

Cap. CXI. 1. *Non in gratiam habituros.* Non pro beneficio habituros, cuj. memores esse debeant. Aliqui, *in gratia.* Variant codd. Dicere potuit *in gratiam habere*, ut dicitur aliquid *in bonam* vel *in malam partem accipi.*

2. *Leniter.... promittit.* Ut supra LXXXIII, *satis placide* verba facit. Aliqui, *lenitur;* male. Noster A et plurimi Cortiani, *leniter;* C et alii nonnulli, *leviter*, evidenti litterarum simillimarum *n* et *u* mutatione. — *Ad simulandam pacem.* Ut Jugurtha pacem etiam secum fieri crederet.

ex voluntate Sullæ omnia se facturum promittit. Ceterum ad simulandam pacem, cujus Numida, defessus bello, avidissumus, quæ utilia visa, constituunt. Ita, composito dolo, digrediuntur.

CXII. At rex postero die Asparem, Jugurthæ legatum, appellat: sibi per Dabarem ex Sulla cognitum, posse conditionibus bellum poni[1]: quamobrem regis sui sententiam exquireret. Ille lætus in castra Jugurthæ venit. Deinde ab illo cuncta edoctus, properato itinere, post diem octavum redit ad Bocchum, et ei nunciat, Jugurtham cupere omnia, quæ imperarentur, facere; sed Mario parum confidere: sæpe antea cum imperatoribus romanis pacem conventam frustra fuisse[2]. Ceterum Bocchus, si ambobus consultum, et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus, quasi de pace, in colloquium veniretur; ibique sibi Sullam traderet. Quum talem virum in potestate haberet, fore, uti jussu senatus atque populi romani fœdus fieret: neque hominem nobilem, non sua ignavia, sed ob rempublicam, in hostium potestate[3], relictum iri.

Cap. CXII. 1. *Posse conditionibus bellum poni. Poni bellum*, pro desinere, ut supra LXXXIII, *deponi. Conditionibus*, i. e. non ex arbitrio victoris, sed ex fœdere inter utramque partem composito.

2. *Pacem conventam frustra fuisse.* Non hoc intellige: *Pax frustra conventa fuit;* sed, *pax conventa frustra fuit;* eodem sensu, quo supra LXXIII, extr., *ea res frustra fuit.* Notanda est rara loquutio, *pax conventa.*

3. *Non sua ignavia, sed ob rempublicam in hostium potestate.* Bip. *non sua captum ignavia;* ita ut structura sit: « hominem nobilem .... non relictum iri in hostium potestate. » Sed neque Cortius, neque Haverc., neque nostri codd. habent *captum;* et sic quoque optime procedit: « Hominem nobilem, *qui erit* in hostium potestate, non sua ignavia, sed ob rempublicam, non *ibi* relictum iri. » Eadem latinitatis ratio supra XCI: *pars civium extra mœnia in hostium potestate* (sc. *quæ erat*, aut potius *ens*, si latine dici posset.) Vide Sanct. Minerv. IV, 4, de ellipsi nominum et participiorum. — Paulo supra Cortius legit *in potestatem haberet;* et hic, noster E *in hostium potestatem.* Archaismum hunc libenter admittam, si certior est, quam hujus loci, scriptura locorum quos in exemplum affert Cortius. Nam citat ex Quintil. VI, 2, « *neque enim sunt motus in nostram potestatem:* » et

CXIII. Hæc Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit. Ceterum dolo, an vere[1], parum comperimus: sed plerumque regiæ voluntates, ut vehementes, sic mobiles, sæpe ipsæ sibi advorsæ. Postea tempore et loco constituto [in colloquium uti de pace veniretur[2]], Bocchus Sullam modo, modo Jugurthæ legatum appellare, benigne habere, idem ambobus polliceri: illi pariter læti, ac spei bonæ pleni. Sed nocte ea, quæ proxuma fuit ante diem colloquio decretum, Maurus adhibitis amicis[3], ac statim, immutata voluntate, remotis, dicitur secum ipse multa agitavisse, voltu corporis pariter atque animo varius: quæ scilicet, tacente ipso, occulta pectoris patefecisse[4]. Tamen postremo Sullam arcessiri jubet, et ex ejus sententia Numidæ insidias tendit. Deinde, ubi dies

tamen in minime contemnendis Quintil. edd. legitur *in nostra potestate*. Ceterum Gell. I, 7, ex ipso Cicerone laudat, pro lege Manilia, XII: « Quum vestros portus in prædonum fuisse *potestatem* sciatis; » abundeque confirmat hoc antiquis non insolens fuisse. Sed, quod sic aliquando loquuti sint, non inde sequitur, ut semper accusativos pro ablativis rescribi oporteat.

Cap. CXIII. 1. *Dolo, an vere*. Sc. *promiserit*. Vulgo, *dolo an vere cunctatus*. Sed, ut recte judicat Cortius, non hic agitur de cunctatione Bocchi, sed de eo quod Syllam Jugurthæ tradendum promittit, jam Syllæ Jugurtham pollicitus.

2. *In colloquium uti de pace veniretur*. Omnino putamus cum Cortio, hæc superioris capitis verba glossam esse, ab aliquo interprete margini adscriptam, deinde ab inepto librario in textum translatam.

3. *Adhibitis amicis*. Ad consilium advocatis. — *Remotis*. Scil. iisdem amicis. Vulg. addunt *ceteris*; quod Cortius ex pluribus MSS. recte delevit. — *Voltu corporis*. Vultus non modo oris colorem, sed omnem corporis habitum, gestumque et motum significat. Ideo male aliqui scripti et editi: *voltu, colore, ac motu corporis*. Nost. C, optime: *voltu corporis pariter atque animo varius*.

4. *Quæ scilicet..... patefecisse*. « Quæ [negotia], quas res, (nempe adhibitos et statim remotos amicos, vultusque immutationem) *scire licet* patefecisse occulta pectoris, etiam ipso tacente. » De hoc usu vocis *scilicet*, vide sup. CII. Possis etiam interpretari, *quas res nimirum patefecisse occulta pectoris, etc.*; obliqua oratione, subaudito ex antecedentibus, *dicitur*. — *Pectoris*. Aliqui, *oris*. Optimi Cortiani et noster E., *pectoris*. — Pro *quæ* Bip. dat ex suo *qua re*. — *Arcessiri*. Quidam, *arcessi*. V. sup. LXII, n. 2. — *Ex ejus sententia*. Sicut ille postulaverat.

advenit, et ei nunciatum est, Jugurtham haud procul abesse; cum paucis amicis et quæstore nostro, quasi obvius honoris caussa, procedit in tumulum facillumum visu insidiantibus. Eodem Numida cum plerisque necessariis suis, inermus, ut dictum, accedit; ac statim, signo dato, undique simul ex insidiis invaditur. Ceteri obtruncati[5]: Jugurtha Sullæ vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus.

CXIV. Per idem tempus advorsum Gallos[1], ab ducibus nostris, Q. Cæpione[2] et M. Manlio male pugnatum: quo

5. *Ceteri obtruncati. Ceteri*, sunt omnes Jugurthæ comites, præter ipsum Jugurtham. Quidam scripti et editi, *ceteris obtruncatis*. — *Deductus*. Aliqui, *deductus est*.

Hic finis belli Jugurthini; hoc initium inexpiabilis inter Marium et Syllam odii. Nam et ipse Sylla totam confecti belli laudem sibi cupide asseruit, semper annulo signatorio usus, quo traditionem hanc insculptam haberet; et ceteri, obtrectantes Mario, dicebant eum aliena se jactare gloria, inchoato per Metellum, confecto per Syllam negotio. (V. Val. Max. VIII, 14; Plin. XXXVII, 1; Plut. in Syll. et Mar.) Inde, sublato uno hoste, pernicialior exstitit discordia ducum. Et vere quidem dici possit ex eo bello maximarum calamitatum quasi germen erupisse. Nempe ducem plebi dederunt adversus nobilitatem Metelli et Marii offensiones; nobilitati adversus plebem Marii et Syllæ æmulatio.

Cap. CXIV. 1. *Advorsum Gallos*. Vel potius, ut docet Liv. Epit. LXVII; Vell. II, 12; Flor. III, 3; et Tacitus de Mor. Ger. XXXVII, adversus Cimbros et Teutones, Germaniæ populos, quibus se junxerant ex Gallia Ambrones et Tigurini, atque etiam Tectosagi (seu Tolosani). *Gallos* uno eodemque nomine dicere potuit, 1° quia omnes illi populi, etiam qui trans Rhenum incolebant, Græcis Celtæ vocabantur, nondum invento Germaniæ nomine, ut testatur Tac. Mor. Germ. II; 2° quia veris Gallis commixti, et in ipsa Gallia, bellum Romanis faciebant. Denique ipse Cicero, de Prov. Cons. XIII: « Ipse ille C. Marius, cujus divina atque eximia virtus magnis pop. rom. luctibus funeribusque subvenit, influentes in Italiam *Gallorum* maximas copias repressit. »

2. *Quinto Cæpione*. Q. Servilius Cæpio consul fuerat A. U. C. 648: famosus auri Tolosani direptione, de qua V. Justin. XXXII, 3; Gell. III, 9. — *M. Manlio*. E Cortianis unus *C. Manlio*; alter *Gn. Mallio*. Certe ex damnatione Manlii Capitolini, cautum erat ne quis deinde Manliorum *Marcus* vocaretur; Liv. VI. Hunc Cicero, pro Plancio, V, *Cn. Manlium* vocat, *non solum ignobilem, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contempta ac sordida*.

metu Italia omnis contremuerat. Illique[3], et inde usque ad nostram memoriam, Romani sic habuere : alia omnia virtuti suæ prona esse; cum Gallis pro salute, non pro gloria certare. Sed postquam bellum in Numidia confectum, et Jugurtham vinctum adduci Romam nunciatum est; Marius consul absens factus[4], et ei decreta provincia Gallia : isque kalendis januariis[5] magna gloria consul triumphavit. Ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitæ.

Hinc eum conjicere licet e nobili Manliorum gente non fuisse. Ceterum Manlius ille consul fuerat, A. 649. De his cladibus vide Vell. II, 12. Item Florus l. c. : « Sed nec primum quidem impetum barbarorum Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt. Omnes fugati, exuti castris. Actum erat, nisi Marius illi seculo contigisset. » — *Quo metu.* Propter quem metum, vel potius, *cujus belli metu.*

3. *Illique.* Romani qui tunc temporis vivebant. — *Cum Gallis pro salute*, etc. Jam dixit, Catil. LIII, *gloria belli Gallos ante Romanos fuisse.* Item Cicero, Provin. Cons. XIV : « Alpibus Italiam munierat ante natura, non sine aliquo divino numine. Nam si ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuisset, nunquam hæc urbs summo imperio domicilium ac sedem præbuisset. » Tanti momenti fuit in rerum humanarum fatis, Galliam inter et Romam Alpes fuisse! — *Certare.* suppl. *se.* De hoc verbo v. sup. XXXV, n. 4, et XLVI, n. 7.

4. *Consul absens factus.* Quod erat contra leges. Sed tunc pro lege necessitas; et valuit exemplum prioris Africani, qui consul ante legitimum tempus fuerat. Vide Plutarchum in Mario.

5. *Kalendis januariis.* Sc. Anni 650, hoc ipso die secundum consulatum ingressus. Cœptum erat bell. Jug. A. 643; v. sup. XXVII, n. 4.

Non ultra narrationem profert Sallustius, quia, capto hoste, actoque triumpho, omnia, quæ ad illud bellum pertinent, completa sunt. Plura pete ex Plut. in Mar. Scilicet Jugurtha per triumphum ductus fuit, statimque in carcerem Tullianum (ubi postea necati sunt Catilinæ socii) detrusus, post sextum diem, fame interiit : digno sane exitio ejus, qui tot propinquos suos occiderat; nefando autem exemplo soceri generum prodentis ad talem necem, populique jus vitæ et necis in captos bello reges sibi adrogantis. (V. Cic. in Verr. v, 30). Natus erat Jugurtha annos fere quatuor et quinquaginta ; regnaverat quindecim. Ceterum Eutropius et quidam alii strangulatum in carcere dicunt. Aliqui Sallustii codd. duos addunt versiculos :

Si cupis ignotum Jugurthæ noscere lethum,
Tarpeiæ rupis pulsus ad ima ruit.

Alius a Cortio citatus :

Nosse cupis vulgo non cognita fata Jugurthæ?
Ut Plutarchus ait, carcere clausus obit

Unus e nostris, A, duodecim versus subjicit, quibus mortuum in carcere Jugurtham narrat. Inde hoc solum decerpemus:

. . . . eadem natos mors abstulit illius ambos;
Culpaque perjuri traxit utrosque patris.

Certe duo Jugurthæ filii vincti cum illo per ora hominum traducti sunt. Unus vero Oxintha, seu Masintha, Venusii in custodia habitus est, ibique adhuc erat anno 664; v. App. Bel. Civ. 1, 42. Jugurtha tertius regum fuit, Romæ per triumphum ductus; ante illum, Perses et Syphax.

Quod ad Numidiæ sortem attinet, pars imperio adjecta est, pars Mauritaniæ confinis Boccho data, pretium impii, sed utilis populo romano, facinoris. Pars tradita Hiempsali secundo, Gulussæ filio, Masinissæ nepoti, quem postea supplex adiit Marius juvenis, quum pater, quondam Numidiæ victor, victus ipse nunc civilibus armis,

Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ,
Et Pœnos pressit cineres.

Hiempsali successit filius Juba, qui fuit in bello civili Cæsaris hostis, et post acceptam apud Thapsum cladem voluntaria morte obiit (v. Catil. LIX, n. 11). Illo exstincto, Numidia omnis in romana ditione fuit; in quod tempus incidit Sallustii prætura (vid. sup. XVII, n. 7). Post, illius filio Jubæ secundo paternum regnum reddidit Augustus; quem Jubam excepit filius Ptolemæus, uxore Cleopatra, M. Antonii et ægyptiæ Cleopatræ filia, natus; quo mortuo in provinciam demum redacta est omnis Numidia.

JUGURTHINUM BELLUM

EX L. ANNÆI FLORI LIBRO III, CAP. I.

Hæc ad orientem; sed non ad meridianam plagam eadem quies. Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum? Atqui non leviter se Numidia concussit: et fuit in Jugurtha quod post Hannibalem timeretur. Quippe rex callidissimus populum romanum, armis inclitum et invictum, opibus aggressus est: et citra spem omnium fortuna cessit, ut rex fraude præcipuus fraude caperetur. Hic avo Masinissa et Micipsa patre per adoptionem, quum interficere fratres statuisset agitatus regni cupiditate, nec illos magis, quam senatum populumque romanum, quorum in fide et clientela regnum erat, metueret; primum scelus mandat insidiis; potitusque Hiempsalis capite, quum se in Adherbalem convertisset, isque Romam profugisset, missa per legatos pecunia traxit in sententiam suam senatum. Et hæc fuit de nobis ejus prima victoria. Missos deinde, qui regnum inter illum Adherbalemque dividerent, similiter aggressus, quum in Scauro ipsos romani imperii mores expugnasset, inchoatum nefas perfecit audacius. Sed diu non latent scelera: corruptæ nefas legationis erupit: placuitque bello persequi parricidam. Primus in Numidiam Calpurnius Bestia consul immittitur: sed rex, peritus fortius adversus Romanos aurum esse quam ferrum, pacem emit. Cujus flagitii reus, quum interveniente publica fide a senatu arcesseretur, pari audacia et venit, et competitorem imperii

Masinissæ Massivam, immisso percussore, confecit. Hæc altera contra regem fuit caussa bellandi; igitur sequens ultio mandatur Albino. Sed hujus quoque (proh dedecus!) ita corrupit exercitum, ut voluntaria nostrorum fuga vinceret Numida, castrisque potiretur. Addito etiam turpi fœdere in pretium salutis, quem prius emerat, dimisit exercitum. Eodem tempore in ultionem non tam imperii romani, quam pudoris, Metellus assurgit: qui callidissime hostem nunc precibus, nunc minis, jam simulata, jam quasi vera fuga eludentem, artibus suis aggressus est. Agrorum atque vicorum populatione non contentus in ipsa Numidiæ capita impetum fecit, et Zamam quidem frustra diu voluit; ceterum Thalam, gravem armis thesauroque regis, diripuit. Tunc urbibus exutum regem, et jam finium suorum regnique fugitivum, per Mauros atque Getuliam, sequebatur. Postremo Marius auctis admodum copiis, quum pro obscuritate generis sui capite censos sacramento adegisset, jam fusum et saucium regem adortus, non facilius tamen vicit, quam si integrum et recentem. Hic et urbem Herculi conditam Capsam, in media Africa sitam, anguibus arenisque vallatam, mira quadam felicitate superavit: et saxeo inditam monti Mulucham urbem, per Ligurem, aditu arduo inaccessoque penetravit. Mox non ipsum modo, sed Bocchum quoque Mauritaniæ regem, jure sanguinis Numidam vindicantem, apud oppidum Cirtam graviter cecidit. Qui ubi, diffisus rebus suis, alienæ cladis accessio fieri timet, pretium fœderis atque amicitiæ regem facit. Sic fraudulentissimus regum fraude soceri sui in insidias deductus est, et Sullæ in manum traditus: tandemque opertum catenis Jugurtham in triumpho populus romanus aspexit; sed ille quoque, quamvis victus, et vinctus, vidit urbem, quam venalem et quandoque perituram, si habuisset emptorem, frustra cecinerat. Tamen ut venalis fuisset, habuit emptorem; et quum ille non evaserit, certum erit eam non esse perituram.

SERIES

RERUM ET TEMPORUM

AD HISTORIAM NUMIDICAM PERTINENTIUM;

SEU FASTI HISTORIÆ NUMIDICÆ[1].

Anni U.C.

.... Narva, seu Nergal, rex Numidarum Massylorum[2].

.... Gala, Narvæ filius, ei succedit.

.... Isalacus seu Æsalces, Galæ frater, ei succedit; (Liv. XXIX; 29).

.... Capusa, major Æsalcis filius, ei succedit; (ibidem).

.... Mezetulus Capusam occidit, et Lacumacen, minorem Æsalcis filium, regem appellat; sed ipse regnat tutoris nomine; (ibidem).

546. M. Claudius Marcellus. T. Quinctius Crispinus; coss.
Masinissa, Galæ filius, regnum accipit.

550. M. Cornelius Cethegus. P. Sempronius Tuditanus; coss.
Masinissa, Numidia expulsus a Syphace, Numidarum Masæsylorum rege, ad Scipionem recens in Africam advectum, cum præsidio equitum venit; (Liv. XXIX, 29 et 33).

551. Cn. Servilius Cæpio. C. Servilius Geminus; coss. (Liv. XXX, 1).

1. Hic quoque, ut in fastis Catilinariæ conjurationis, ducem sequimur doctissimum virum *De Brosses*; ita tamen ut aliquid seu addamus ex veterum auctoritate, seu corrigamus in notis annorum, et consulum nominibus.

2. *Massylorum*. Seu Massyliorum. Virgilius Æn. IV, 132: *Massyliique ruunt equites*; et 483: *Massylæ gentis*.

Anni U.C.

Syphax a Masinissa Lælioque captus; (Liv. xxx, 11). Masinissa, in regnum restitutus, toti deinceps Numidiæ imperavit.

595. C. Cornelius Dolabella. M. Fulvius Nobilior; coss.
Hunc circiter annum nascitur Jugurtha, ex Manastabale, Masinissæ filio.

606. Sp. Postumius Albinus. L. Calpurnius Piso; coss.
Masinissa moritur, postquam LX annos regnavit.
Micipsa, Manastabal et Gulussa, filii Masinissæ, regnum simul obtinent, cujus munia inter eos partitur Scipio Æmilianus; (vide Appianum).

.... Dein Micipsa solus regno potitur, fratribus morbo absumptis.

614. C. Lælius Sapiens. Q. Servilius Cæpio; coss.
Initia belli Numantini.

.... Jugurtha et Marius simul apud Numantiam militant, Scipione duce.

621. P. Mucius Scævola. L. Calpurnius Piso Frugi; coss.
Capta et deleta Numantia.

633. L. Opimius. Q. Fabius Maximus Æmilianus; coss.
Jugurtham, Manastabalis filium, adoptat Micipsa.

636. M. Porcius Cato. Q. Marcius Rex; coss.
Micipsa Cirtæ moritur, postquam XXX annos regnavit. Regno succedunt Adherbal et Hiempsal filii, et Jugurtha filius adoptivus.

637. L. Cæcilius Metellus. Q. Mucius Scævola; coss.
Missus in Africam proconsul Cato ibi moritur.
Hiempsal, Jugurthæ dolis oppressus, interficitur.
Domesticum Adherbalem inter et Jugurtham bellum.
Victus Adherbal in provinciam romanam fugit.

638. C. Licinius Geta. Q. Fabius Maximus Eburnus; coss.
Adherbal Romam contendit. Eo legatos mittit Jugurtha.
Scaurus consul designatur.

Anni U. C.

Adherbali, et Jugurthæ legatis senatus datur.

Decem legati mittuntur in Africam, quorum princeps Opimius, C. Gracchi interfector.

639. M. Æmilius Scaurus. M. Cæcilius Metellus; coss.

Numidiam inter Jugurtham et Adherbalem dividit Opimius. Datur Jugurthæ pars quæ Mauretaniam attingit; Adherbali, pars Carthagini propior.

640. M. Acilius Balbus. C. Porcius Cato; coss.

M. Scaurus princeps senatus fit, mortuo Metello Macedonico.

Inter Adherbalem et Jugurtham bellum renovatur.

641. C. Cæcilius Metellus. Cn. Papirius Carbo; coss.

Prælio victus Adherbal Cirtam profugit. Jugurtha hoc oppidum expugnare aggreditur.

Tres legati mittuntur in Africam.

642. M. Livius Drusus. L. Calpurnius Piso Cæsoninus; coss.

Litteræ Adherbalis ad senatum, quintum jam mensem in oppido Cirta obsessi.

Senatus Scaurum in Africam mittit.

Capta Cirta, interficitur Adherbal, postquam sex annos regnavit.

Tribunus plebis creatur Memmius.

Jugurthæ bellum indicunt Romani.

643. P. Cornelius Scipio Nasica. L. Calpurnius Piso Bestia; coss.

Imperium belli Numidici consuli Calpurnio decernitur.

Scaurus Calpurnii legatus.

Romam legatos mittit Jugurtha, filium et duos familiares; qui jubentur ab senatu Italia decedere.

Exercitu in Africam transvecto, strenue bellum incipit Calpurnius. Mox pretio corruptus pacem Jugurthæ concedit.

Anni U.C.

Mors Scipionis consulis.

Calpurnius Romam, ad comitia habenda, circa mensem quintilem revertitur.

Oratio tribuni Memmii ad Quirites.

L. Cassius prætor, jubente populo, ad Jugurtham mittitur.

Jugurtha cum Cassio Romam venit.

644. P. Minucius Rufus. Sp. Postumius Albinus; coss.

Jugurtha Massivam, Bomilcaris opera, Romæ interficit.

Jugurtha in Africam regreditur.

Consul Albinus, in Numidiam profectus, bellum molliter gerit. Adventante comitiorum die, circa finem autumni, Romam revertitur, Aulo fratre in castris pro prætore relicto.

C. Mamilius Limetanus tribunus plebis creatur.

645. Q. Cæcilius Metellus (postea dictus Numidicus). M. Junius Silanus; coss.

Aulus proprætor milites, mense januario, ex hibernis educit, oppidumque Suthul obsidet.

Idem, relicto Suthule, Jugurthæ dolis circumventus, ad fœdam pacem adigitur; quam mox irritam facit senatus.

Albinus, etiam tum consul (scilicet nondum ingressis magistratum Metello et Silano) in Africam redit; (vid. sup. XXXIX, et notam 1 ad XXXVII). Idem mox, proconsul, consuli Metello exercitum tradit; (vid. sup. XLIV, et quæ ibi notavimus).

Marium et Rutilium legatos adsumit sibi Metellus.

Lex Mamilia (sup. XL), qua damnantur exilio Calpurnius, Albinus et Opimius; (ibid. n. 7).

Oppido Vaccæ præsidium imponitur. Pugna ad flumen Muthul. Zamæ obsidio. Equestris pugna apud Siccam. Relicta Zamæ obsidione Metellus in provincia

Anni U.C.

romana exercitum, hiemandi gratia, collocat.

646. Serv. Sulpicius Galba. Q. Hortensius, cui suffectus est M. Aurelius Scaurus; coss.

Jugurtha, facta deditione, mox de integro bellum sumit.

Senatus Numidiam Metello proconsuli decernit.

Oppidum Vacca, captum a Numidis, a Metello recipitur. Nabdalsa et Bomilcar Jugurthæ exitium machinantur.

Marius, relicto exercitu, Romamque reversus, consul designatur.

Prælio victus Jugurtha, in oppidum Thalam se recipit. Thalam obsidet Metellus.

Idem Leptim præsidium mittit, rogatus ab incolis.

Ex oppido Thala noctu profugit Jugurtha.

Thala capitur.

Jugurtha per magnas solitudines pervenit ad Gætulos, et Bocchum Mauretaniæ regem, socerum suum, in belli societatem trahit.

Reges sociatis viribus ad Cirtam iter constituunt.

Metellus, haud procul ab Cirta, castris munitis, eos opperitur.

647. L. Cassius Longinus, et post eum, M. Æmilius Scaurus II. C. Marius; coss.

Imperium belli Numidici, quod paulo ante senatus Metello prorogaverat, populus ad Marium transfert.

Marius consul milites scribit, et plebem ad capessendam militiam oratione accendit, non sine acerrima nobilium insectatione.

Metellus Romam redit, præter spem etiam plebi acceptus.

Marius Uticam advehitur, et a Rutilio Metelli legato exercitum accipit.

Triumphus et Numidici cognomen Metello decernitur.

Marius Gætulos et Jugurtham strenue persequitur;

oppida et castella munita partim vi, partim metu subigit. Dein Capsam, repentino impetu aggressus, expugnat.

648. C. Atilius Serranus. Q. Servilius Cæpio; coss.
(Hoc anno, tertio januarii die natus est Cicero).
Marius reliquam Numidiam subigit.
Castellum in saxo positum, haud procul a flumine Mulucha, invento per Ligurem tramite, expugnat.
L. Sylla quæstor equitatum ex Italia in Numidiam advehit.
Bocchus et Jugurtha, conjunctis viribus, Marium in hiberna proficiscentem aggrediuntur.
Marius, cæsis fugatisque hostibus, ire in hiberna pergit, quæ in oppidis maritimis agere decreverat.
Rursus funduntur apud Cirtam Bocchus et Jugurtha. Romæ consul designatur P. Rutilius, qui legatus Metelli fuerat.
Marius, a Bocchi legatis rogatus, ad eum mittit Manlium et Syllam, de pace acturos.
Marius, composito in hibernis exercitu, proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam.
Bocchus legatos ad hiberna Romanorum mittit, qui, absente Mario, a Sylla liberaliter excipiuntur[3].

649. P. Rutilius Rufus. Cn. Manlius Maximus; coss.
Marius Cirtam redit, advocatoque consilio mandata Bocchi cognoscit.

3. In toto hoc anno sequimur cl. *De Brosses*. Est tamen operæ pretium scire, præstantissimum Historiæ romanæ auctorem *Carolum Rollin*, libro XXIX, hæc sub Mariani consulatus titulo narrare. Conjicit tamen (T. IX, p. 272, in-12), consules Serranum et Cæpionem magistratum ingressos esse, dum pars saltem earum rerum gereretur. Ceterum Sallustius, cap. CIII et CIV, hanc Bocchi legationem narrando, Marium *consulem* vocat, qui *proconsul* tantum fuisset, si novi consules rempublicam cepissent. Nisi forte hic *consul* ex potestate magis, quam proprio nomine, dictus fuerit.

Anni U.C.

Tres e Bocchi legatis Romam proficiscuntur, cum Octavio Rufo quæstore.

Senatus Boccho delicti gratiam facit; fœdus et amicitiam pollicetur, quum meruerit[4].

Sylla, ad Bocchum profectus, obvium habet Volucem regis filium.

Secreta Bocchi et Syllæ colloquia. Pax convenit. Bocchus Jugurtham tradit Romanis[5].

Profligantur a Cimbris Gallisque Cæpio et Manlius.

Marius consul absens factus, et ei decreta provincia Gallia.

650. C. Marius II. C. Flavius Fimbria; coss.

Kalendis januariis Marius triumphat, ducto ante currum Jugurtha cum duobus liberis.

Moritur in carcere Jugurtha, LIV annos natus, XIV autem regno potitus.

Hiempsal secundus, Gulussæ filius, partem Numidiæ regnandam accipit.

666. L. Cornelius Sylla. Q. Pompeius Rufus; coss.

C. Marius, Caii filius, ad Hiempsalem secundum confugit, dum ipse pater perfugium in Africam quæreret.

708. C. Julius Cæsar III, dictator; M. Æmilius Lepidus, magister equitum.

Juba, qui post Hiempsalem regnaverat, apud Thapsum occiditur.

Numidiæ in provinciam redactæ Sallustius a Cæsare præficitur.

4. Hoc etiam in Marii consulatu narrat *Rollin*; sed hic quoque valet supra dicta conjectura de Serrano et Cæpione.

5. Idem traditionem Jugurthæ ad annum Serrani et Cæpionis refert; sed non dicit, quid per reliquum hunc annum, perque totum Rutilii et Manlii consulatum in Africa Marius gesserit. Atqui nihil certius est, quam illum per tres continuos annos ibi fuisse, nempe 647, 648, 649. Kalendis tantummodo januariis anni 650, iterum consul, Romam triumphans intravit.

C. C. SALLUSTII

HISTORIARUM FRAGMENTA.[1]

LIBER PRIMUS.

Res populi romani M. Lepido, Q. Catulo[2] coss. ac deinde militiæ et domi gestas composui. *Donatus et Pomp. Messalinus.*

1. Fragmenta. Ex grammaticis aliisque scriptoribus qui Sallustium citaverant, P. Manutius, Lud. Carrio maximam partem collegerunt: aucta ab aliis, emendata et illustrata. Sed Conciones et Epistolæ integræ in nostram ætatem servatæ sunt; quod vetusto codici, in quo Catilina et Jugurtha erant perscripti, debemus. Inde Pomponius lætus imprimi curavit et majori quidem fide, quàm opera dicta. Cortius.

Hæc fragmenta unus omnium maxime illustravit *De Brosses*. Is enim abstrusa eruendo, dissipata colligendo, amissa, ex aliis scriptoribus, supplendo, Sallustianam Historiam, quantum fieri poterat, gallico sermone restituit; certe opus composuit cuilibet rerum romanarum studioso legendum.

Ceterum Sallustius res gestas scripserat ab anno U. C. 675, quo Sylla dictaturam abdicavit, usque ad annum 688, quo, lege Manilia, Pompeius imperium belli Mithridatici accepit, coss. M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo. In hoc autem tempus incidunt civiles a Lepido, post mortem Syllæ, concitati motus, bella Sertorii, Spartaci, Piratarum, et victoriæ Lucullí de Mithridate. Sed antequam harum rerum narrationem iniret Sallust., res summatim repetebat a fine belli Jugurthini; ita ut Jugurtha, Historiæ et Catilina, una serie, comprehenderent annos 55, ab anno 636, usque ad 691.

2. *M. Lepido, Q. Catulo.* Hi consules fuerunt anno 676, post Syllæ abdicationem. Eorum consulum, simulque librorum Sallustii meminit Auson. Idyll. IV, 61:

Jam facinus, Catiljna, tuum, Lepidique tumultum,
Ab Lepido et Catulo jam res et tempora Romæ
Orsus, bis senos seriem connecto per annos.
Jam lego civili mistum mavorte duellum.
Movit quod socio Sertorius exul Ibero.

Cato[3] romani generis disertissumus multa paucis absolvit. *Servius et Acron.*

Fannius[4] vere. *Victorinus.*

Nos in tanta doctissumorum hominum copia. *Servius.*

Neque me diversa pars[5] in civilibus armis movit a vero. *Arusian.*

Nobis primæ dissensiones[6] vitio humani ingenii evenere; quod inquies atque indomitum, semper in certamine libertatis, aut gloriæ, aut dominationis agit. *Priscianus.*

Nam a primordio urbis ad bellum Persi[7] Macedonicum. *Idem.*

Res romana plurimum imperio valuit, Ser. Sulpicio et M. Marcello[8] coss., omni Gallia cis Rhenum, atque inter mare nostrum, atque Oceanum, nisi quæ a paludibus invia fuit, perdomita. Optumis autem moribus et maxuma concordia egit populus rom. inter secundum atque postremum bellum Carthaginiense. *Victorin. et Augustin.*

At discordia[9], et avaritia, atque ambitio, et cetera se-

3. *Cato.* Censorius scilicet. Vid. in Bruto, cap. XVII, quid de illius eloquentia dicat Cicero.

4. *Fannius.* C. Fannius, Lælii Sapientis gener, historiarum scriptor, de quo meminit Cicero, ad Att. Ep. XII, 5; item in Bruto, XXVI. — *In tanta.... copia.* Loqui videtur de omnibus iis qui historiam ante se conscripserant.

5. *Diversa pars.* Id est, quod ego diversæ partis essem.

6. *Nobis primæ dissensiones.* Hæc pars fuit proœmii, quo mores, statum civitatis, formamque reipublicæ, ab urbe condita, attingebat. Eodem pertinent, quæ sequuntur. — *Inquies.* Inquietum. — *In certamine.... agit.* Perpetuum certamen habet de libertate, gloria, aut dominatione. » Hic tria tangit, quæ maxime homines discordia exagitant, et in mutuum componunt exitium.

7. *Persi.* Vide quæ de hoc genitivo notavimus, Catil. LI, 9. Ceterum ut Sall. edixit *Perses*, *Persi*, ita Cicero quoque, *Isocrates*, *Isocrati*, Ep. ad Att. II, 1; et multa alia passim ejusdem formæ. Item Plaut. Rud. I, 1, 4 : *Euripides*, *Euripidi*. Et Varro, de L. L. VII, docet in usu esse utramque genitivi formam, *Herculis* et *Herculi*.

8. *Servio Sulpicio et M. Marcello.* Consules fuerunt anno U. C. 703. — *Inter secundum atque*, etc. Intervallum hoc LII annorum fuit, ab anno 553, usque ad 605.

9. *At discordia.* Conf. Jug. XLI,

cundis rebus oriri sueta mala, post Carthaginis excidium maxume aucta sunt. Nam injuriæ validiorum, et ob eas discessio plebis a patribus, aliæque dissensiones domi fuere jam inde a principio; neque amplius quam, regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, æquo et modesto jure agitatum : dein servili imperio patres plebem exercere [10], de vita atque tergo regio more consulere; agro pellere, et, ceteris expertibus, soli in imperio agere. Quibus sævitiis, et maxume fœnoris onere oppressa plebes, quum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata montem sacrum atque Aventinum insedit. Tumque tribunos plebis et alia sibi jura paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum. *Augustin.*

Postquam, remoto metu Punico, simultates exercere vacuum fuit [11], plurimæ turbæ, seditiones, et ad postremum bella civilia orta sunt : dum pauci potentes, quorum in gratia plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis

et scriptores ibi laudatos, præsertim Tacit. Hist. II, 38. — *Neque amplius, quam regibus exactis, dum*, etc. Nec patres æqui et modesti erga plebem fuerunt diutius, quam donec (post expulsos reges) recesserit metus Tarquinii, et bellum cum Etruscis desierit. Nota *amplius* pro *diutius;* et hanc structuram, *amplius quam dum....*, illi vulgatissimæ persimilem, *magis quam ut...* — *Positum est.* Eodem sensu, quo *bellum poni.* Jug. CXII.

10. *Servili imperio patres plebem exercere.* Patricii plebeiis, ut servis, imperaverunt. Nota vim verbi *exercere;* i. e. *agitare, vexare.* — *Ceteris expertibus.* Sc. imperii. Conf. auctorem jam sæpius laudatum *Montesquieu, Grand. et Décad.* VIII: *Après l'expulsion des rois, le gouvernement était devenu aristocratique. Les familles patriciennes obtenaient seules toutes les magistratures, toutes les dignités, et par conséquent tous les honneurs militaires et civils.* Igitur plebs dominos tantum mutaverat, non exuerat servitutem. Exacti reges fuerant, ut imperium penes populum romanum esset: et nomine quidem erat; sed re apud solos patricios. Quæ maximarum semper turbarum causa fuit, ubi res cum verbis pugnant. — *Montem Sacrum atque Aventinum.* Vid. Jug. XXXI, n. 15.

11. *Vacuum fuit.* Otium fuit, hominibus omni externa cura *vacuis.* — *Quorum in gratia plerique concesserant.* Arusianus a Sallustio

nomine, dominationes affectabant; bonique et mali cives appellati, non ob merita in rempublicam, omnibus pariter corruptis; sed uti quisque locupletissumus et injuria validior, quia præsentia defendebat, pro bono ducebatur. Ex quo tempore majorum mores non paullatim, ut antea, sed torrentis modo præcipitati: adeo juventus luxu atque avaritia corrupta est [12], uti merito dicatur genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati. *Gellius et Augustin.*

Igitur venditis [13] proscriptorum bonis, aut dilargitis. *Gellius.*

Id bellum excitabat metus Pompeii [14] victoris, Hiempsalem in regnum restituentis. *Idem.*

Maxumeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi. *Donatus et Arusianus.*

dictum notat *concedere in gratia.* Augustinus, qui fragmentum hoc totum conservavit, *in gratiam concesserunt,* scriptum reliquit. Crispin. *In gratia* autem, vel *in gratiam concedere*, est præpotentis et apud multos gratiosi hominis causæ et factioni se adjungere. — *Sub honesto .... nomine.* Honestum nomen suæ ambitioni prætexentes, utilitatem patrum aut plebis. Vide Catilin. XXXVIII. — *Non ob merita.* Hoc vocabulum, quum de *bonis* pariter ac *malis* dicatur, in utramque partem accipiendum est. Nam *meritum* est, quidquid aliquis *meruit* seu bene, seu male agendo. Vide Catil. XXXVII, et quæ ibi notavimus de duplici sensu vocabulorum *bonus* et *malus.*

12. *Juventus luxu atque avaritia corrupta est. Montesquieu, Gr. et Déc.* x : *Ceux qui avaient d'abord été corrompus par leurs richesses, le furent ensuite par leur pauvreté. Avec des biens au-dessus d'une condition privée, il fut difficile d'être un bon citoyen; avec les desirs et les regrets d'une grande fortune ruinée, on fut prêt à tous les attentats, et, comme dit Salluste, on vit une génération de gens qui ne pouvaient avoir de patrimoine, ni souffrir que d'autres en eussent.* — *Neque alios pati.* Suppl. *habere.*

13. *Igitur venditis, etc. Montesquieu, ch.* XI : *Sylla donna les terres des citoyens aux soldats, et il les rendit avides pour jamais. Car dès ce moment, il n'y eut plus un homme de guerre qui n'attendît une occasion qui pût mettre les biens de ses concitoyens entre ses mains.*

14. *Metus Pompeii.* Metus quem Pompeius faciebat. Scil. Pompeius, Syllanæ victoriæ adjutor, Domitium, Cinnæ generum, in Africa, bello persequebatur; quo victo in-

Quin lenones et vinarii laniique, quorum præterea[15] vulgus in dies usum habet, pretio compositi. *Charisius.*

Genus armis ferox, et servitii insolitum. *Arusian.*

M. ÆMILII LEPIDI Cos.[1] AD P. R. ORATIO CONTRA SULLAM.

« Clementia et probitas vestra[2], Quirites, quibus per ce-

terfectoque, Hiempsalem secundum (de quo diximus in fine Jugurthæ) in regnum Numidiæ restituit, unde ab Hiarba, Domitii socio, ejectus fuerat. Vide *De Br. Hist.* 1, 26.

15. *Quorum... vulgus... usum habet.* Homines quibus vulgus quotidie utitur; quibus quotidiana est cum plebe consuetudo. — *Compositi.* Comparati, redempti. — Hoc intelligi potest de iis quos in urbe Lepidus pretio allicit, per eos ceteram plebem sibi conciliaturus. Ceterum paulo aliter *De Brosses* intelligit de variarum rerum mercatoribus, quorum operam redimit, in usum castrorum quæ mox habiturus erat. Nam bellum adversus Catulum collegam senatumque meditabatur. Et hoc quidem sensu, *vulgus usum habet*, esset, *opus habet magna hominum multitudo.*

1. *M. Æmilii Lepidi consulis.* Is pater fuit Lepidi triumviri, e patricia gente Æmilia, cujus præcipuæ familiæ erant Lepidi, Pauli, Scauri. Lepidus ædilis fuit Mario septimum consule; mox in Syllæ victoris partes transcurrit, ibique inter avidissimos bonorum sectores eminuit. Consul designatus est anno 675, adjuvante Pompeio, repugnante Sylla, adhuc dictatore. Sed ubi primum hic dictaturam abdicavit, Lepidus ad rescindenda pleraque ejus acta, renovandam Marii factionem, concitandosque proscriptorum liberos et amicos statim se convertit; Syllæ potentiam affectans, sed non Syllano ingenio; levis, seditiosus, callidus magis quam prudens, præsertim militiæ imperitus. — *Oratio contra Sullam.* Putat *De Brosses* hanc orationem, quum designatus consul, nondum vero consulatum ingressus esset, Lepidum ad suos in secretum locum convocatos habuisse. Nam ex ipsa oratione constat, habitam esse imperante, aut saltem vivo adhuc Sylla; atqui non verisimile est tot convicia e rostris, in vivum atque etiam, si voluisset, audientem dictatorem conjici potuisse. Titulus, *oratio ad populum romanum*, recentioris manus est. *Quirites* autem appellari potuerunt, honoris causa, etiam in privatam domum congregati homines. Nam factiosi, quantumlibet pauci, se totum esse populum facile sibi persuadent.

Existimat vero Douza, Lepidum orationem vere ad concionem populi fecisse, jam consulem, vivo Sylla et privato, sed dictaturæ, cujus titulum abdicaverat, potentiam per satellites suos retinente. — Ceterum supervacaneum est monere, hanc orationem, ut ceteras, a Sallustio ex persona, re et tempore confictam esse.

2. *Clementia et probitas vestra.*

teras gentes maxumi et clari estis, plurimum timoris mihi faciunt, advorsus tyrannidem L. Sullæ; ne ipsi nefanda quæ æstumatis, ea parum credendo de aliis, circumveniamini (præsertim quum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit; neque se aliter tutum putet, quam si pejor atque intestabilior metu vestro fuerit, quo captivis libertatis curam miseria eximat); aut si provideritis, in tutandis periculis magis, quam in ulciscendo teneamini. Satellites quidem ejus, homines maxumi nominis, non minus optumis majorum exemplis, nequeo satis mirari, dominationis in vos servitium suum mercedem dant[3]; et utrumque per injuriam malunt, quam optumo jure libere agere: præclara Brutorum, atque Æmiliorum et Lutatiorum proles, geniti ad ea, quæ majores virtute peperere, subvertunda!

Sumptum est hoc exordium ex oratione Corinthiorum ad Lacedæmonios, Thucyd. I, 68: « Τὸ πιστὸν ὑμᾶς, ὦ Λακεδαιμόνιοι, τῆς καθ' ὑμᾶς αὐτοὺς πολιτείας καὶ ὁμιλίας ἀπιστοτέρους ἐς τοὺς ἄλλους, ἤν τι λέγωμεν, καθίστησι· καὶ ἀπ' αὐτοῦ σωφροσύνην μὲν ἔχετε, ἀμαθίᾳ δὲ πλείονι πρὸς τὰ ἔξω πράγματα χρῆσθε. » Quod gallice verti possit: « *Lacédémoniens, la franchise que vous portez dans l'administration de votre république et dans toutes vos relations civiles, nous fait craindre que vous n'ajoutiez difficilement foi à ce que nous pourrions vous dire contre les autres peuples. Cette franchise fait honneur à votre caractère; mais elle vous tient dans une funeste ignorance de ce qui se passe au dehors.* » — *Advorsus tyrannidem.* De tyrannide. Hic enim *advorsus* eamdem relationem indicat, quam ἐς in Thucydide: « Ἀπιστοτέρους ἐς ἄλλους.... καθίστησι· incredulos adversus alios, i. e. *de aliis* (gallice, *par rapport aux autres*), vos præstat. » — *De aliis.* In genere loquitur, sed Syllam innuit; ut Corinthii per vocem ἄλλους Athenienses notant. — *Intestabilior metu vestro fuerit.* Metum vestrum exsecrandis sceleribus superaverit. De voce *intestabilis* vide Jug. LXVII, n. 3. — *Captivis.* Vobis, qui captivi et servi sub ejus ditione estis. — *In tutandis periculis.* In repellendis periculis. *Tutari pericula* dixit, ut Græci ἀμύνεσθαι τὸν κίνδυνον, et Cic. Off. III, 18: « Qui non *defendit* injuriam neque propulsat a suis, quum potest, injuste facit; » et Horatius, Carm. I, 17:

. . . . Faunus, et igneam
Defendit aestatem capellis
Usque meis pluviosque ventos.

3. *Dominationis... mercedem dant.* Emunt suo servitio jus in populum dominandi. Vid. Jug. XIV, n. 1. — *Utrumque per injuriam malunt.* Malunt et ipsi injuste servire, et in ceteros injuste dominari. — *Optumo jure.* Hoc opponitur verbis *per injuriam.* — *Libere agere.* Liberi vivere.

Nam quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque et Antiocho defensum est[4] aliud, quam libertas, et suæ cuique sedes; neu cui, nisi legibus, pareremus? Quæ cuncta sævus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet : non tot exercituum clade, neque consulis et aliorum principum, quos fortuna belli consumserat, satiatus; sed tum crudelior, quum plerosque secundæ res in miserationem ex ira vertunt. Quin solus omnium, post memoriam hominum, supplicia in post futuros composuit[5], quis prius injuria, quam vita certa esset; pravissumeque per sceleris immanitatem adhuc tutus furit, dum vos, metu gravioris servitii, a repetunda libertate terremini.

Agendum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia vestra penes illum sint; non prolatandum, neque votis paranda auxilia[6]: nisi forte speratis, per tædium jam aut pudorem tyrannidis, esse eum per scelus occupata periculosius dimissurum. At ille eo processit, uti nihil glorio-

4. *Nam quid a Pyrrho... defensum est.* Quid Romani defenderunt contra vim Pyrrhi, etc. — *Quam.... suæ cuique sedes.* Quam ut suam quisque sedem et domum quietam et inviolatam haberet. — *Neu cui, nisi legibus*, etc. Et quam ut nulli domino, nisi legibus, pareremus. — *Quæ cuncta.* Scil. Libertatem et sedes uniuscujusque. — *Sævus iste Romulus.* Romulum dixit, per antonomasiam, pro rege per vim regnante. — *Tum crudelior, quum*, etc. Crudelior enim fuit Sylla post victoriam, quam in ipso bello. — *Plerosque secundæ res*, etc. Eamdem sententiam feliciter admodum expressit ingeniosissimus juvenis, gallicæ spes maxima tragœdiæ, *Lavigne, Vêpres Siciliennes, Act.* III, sc. 5 : Ah! quand on est heureux, qu'on pardonne aisément.

5. *Supplicia in post futuros composuit.* Sylla proscriptorum liberis nepotibusque jus ademit capessendi magistratus (vid. Cat. XXXVII, n. 16). Idcirco dicit *in post futuros*, id est, in eos qui nondum nati essent.

6. *Neque votis paranda auxilia.* Conf. Catil. LII, n. 38. — *Nisi forte speratis.* Oratoria dicendi forma, quæ perinde valet ac si diceretur, *nam certe vos non speratis.* Ceterum hoc confirmare videtur, contra Douzam, Syllam nondum dictaturam deposuisse, quum hæc oratio habita fuit. — *Per scelus occupata periculosius dimissurum.* Hic tangit maximam causam, quæ Syllam a deponendo imperio deterrere debuisset, nec tamen deterruit : scilicet periculosius esse deponere tyrannidem, quam occupare. Ea-

sum, nisi tutum, et omnia retinendæ dominationis honesta existumet. Itaque illa quies et otium cum libertate, quæ multi probi potius, quam laborem cum honoribus, capessebant, nulla sunt[7]. Hac tempestate serviundum, aut imperitandum; habendus metus, aut faciundus, Quirites. Nam quid ultra? quæve humana superant, aut divina impolluta sunt? Populus romanus, paullo ante gentium moderator, exutus imperio, gloria, jure, agitandi inops, despectusque, ne servilia quidem alimenta reliqua habet.

dem ratione Athenienses hortatur Pericles, ut dominationem in socios populos retineant; Thucyd. II, 63: « Ἧς (ἀρχῆς) οὐδ' ἐκστῆναι ἔτι ὑμῖν ἔστιν.... Ὡς τυραννίδα γὰρ ἤδη ἔχετε αὐτήν· ἣν λαβεῖν μὲν ἄδικον δοκεῖ εἶναι, ἀφεῖναι δὲ, ἐπικίνδυνον. » Huc quoque pertinet, quod philosophus Eucrates Syllam interrogat, (*Montesquieu, Dialogue de Sylla et d'Eucrate*): « *Mais si, pour vous empêcher d'être esclave, il vous a fallu usurper la dictature, comment avez-vous osé la rendre?* » Et ipse Sylla, in eodem dialogo, Lepidum refellere videtur: « *Et c'est tout le sang que j'ai versé qui m'a mis en état de faire la plus grande de toutes mes actions. Si j'avais gouverné les Romains avec douceur, quelle merveille que l'ennui, que le dégoût, qu'un caprice, m'eussent fait quitter le gouvernement? Mais je me suis démis de la dictature, dans le temps qu'il n'y avait pas un seul homme dans l'univers, qui ne crût que la dictature était mon seul asyle. J'ai paru devant les Romains, citoyen au milieu de mes concitoyens, et j'ai osé leur dire: Je suis prêt à rendre compte de tout le sang que j'ai versé pour la république; je répondrai à tous ceux qui viendront me demander leur père, leur fils, ou leur frère. Tous les Romains se sont tus devant moi.* » — *Retinendæ dominationis.* Supp. *causa.* Vid. Catil. VI, n. 18.

7. *Itaque illa quies, et otium cum libertate.... nulla sunt.* Id est: etiamsi quiete et otiosa libertate contenti essetis, quam multi boni laboriosis honoribus prætulerunt, ne illa quidem vobis, Sylla regnante, frui liceret. Eo adducti estis, ut imperare vos aut servire oporteat. — *Nam quid ultra?* Supp. exspectandum est, vel fieri potest. — *Quæve humana superant.* Quid juris, imperii, gloriæ, legum, aliarumque rerum humanarum reliqui habemus? — *Paullo ante gentium moderator.* Vide eadem aliis verbis, Jug. XXXI, n. 21. — *Agitandi inops.* Sic ad hæc verba Carrio: « Omnes vulgati libri: *cogitandi inops.* Hanc autem scripturam mihi suggessit Arusianus Messus, apud quem est: *inops illius rei; ut Sallustius: agitandi inops.* Ita correxeram..., quum conjecturam meam libro Vaticano placere multo posterius sensi. » — *Agitare*, pro *vivere*, seu *victitare*; genus loquendi crebrum Sallustio. — *Ne servilia quidem alimenta.* Ne ea quidem alimenta, quæ servis in singulos men-

Sociorum et Latii magna vis civitate, pro multis et egregiis factis, a vobis data per unum prohibentur[8]: et plebis innoxiæ patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. Leges, judicia, ærarium, provinciæ, reges, penes unum; denique necis civium et vitæ licentia: simul humanas hostias vidistis, et sepulcra infecta sanguine civili. Estne viris reliqui aliud, quam solvere injuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura, vel ferro septis, statuit; neque quisquam extremam necessitatem nihil ausus, nisi muliebri ingenio, exspectat.

Verum ego seditiosus[9], uti Sulla ait, qui præmia turbarum queror; et bellum cupiens, quia jura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens, scriba Cornelius, aliena bene parata prodegerint; nisi approbaveritis omnes proscriptiones innoxiorum ob divitias; cruciatus virorum illustrium;

ses dari solebant, sc. quinos frumenti, seu farris, modios (Senec. Epist. LXXX). Legem autem C. Gracchus tulerat, qua frumentum civibus publice suppeditabatur. Videlicet eas largitiones sustulerat aut minuerat Sylla. Post, quinque modios, servile demensum, civibus dari institutum est, ut apparet ex oratione Licinii Macri, inf. III.

8. *Per unum prohibentur.* Ad minuendam civium multitudinem Sylla civitatem abstulerat latinis sociisque civitatibus, quam per bellum sociale adeptæ fuerant. — *Humanas hostias vidistis.* Marium Gratidianum innuit, qui ad Lutatiæ gentis bustum mactatus fuit. Vid. sup. pag. 117, n. 5. — *Solvere injuriam.* Se liberare ab injuria. — *Vel ferro septis.* Propert. Eleg. III, 17:

Ille licet *ferro* cautus se condat et ære,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.

9. *Verum ego seditiosus*, etc. Totum hoc attendat, quicumque vult decertantium inter se factionum sermonem intelligere. — *Præmia turbarum queror.* Queror de præmiis Syllæ ejusque satellitibus per turbas civiles quæsitis. — *Scilicet, quia non aliter*, etc. Per ironiam dictum. — *Vettius Picens.* Vettius quidam ex agro Piceno. — *Scriba Cornelius.* Cornelius Chrysogonus, Syllæ libertus, de quo tam multa Cicero, pro Rosc. Amer. Ille *scriba* fuerat, id est rationes debitæ et acceptæ pecuniæ in tabulas publicas referebat, quum, jubente Sylla, bona proscriptorum sub hasta venderentur. Eumdem a Cicerone, de Off. II, 8, designari putat *De Brosses*, his verbis: « Alter qui in illa dictatura scriba fuerat, in hac [Cæsaris] fuit quæstor urbanus. » — *Proscriptiones innoxiorum.* Val.

vastam urbem fuga et cædibus; bona civium miserorum, quasi Cimbricam prædam, venum aut dono datam. At objectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum : quod quidem scelerum illius vel maxumum est[10], non me, neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. Atque illa, quæ tum formidine mercatus sum, pretio soluto, jure dominis tamen restituo ; neque pati consilium est, ullam ex civibus prædam esse. Satis illa fuerint, quæ rabie contracta toleravimus[11]: manus conserentes inter se romanos exercitus, et arma ab externis in nosmet versa. Scelerum et contumeliarum omnium finis sit : quorum adeo Sullam non pœnitet, ut et facta in gloria numeret, et, si liceat, avidius fecerit. Neque jam quid existumetis de illo, sed quantum vos audeatis, vereor[12]: ne, alius alium principem exspectantes, ante capiamini, (non opi-

Max. IX, 2 : « Nec contentus in eos sævire qui armis a se dissenserant, etiam quieti animi cives, propter pecuniæ magnitudinem, per nomenclatorem conquisitos, proscriptorum numero adjecit. Adversus mulieres quoque gladios distrinxit, quasi parum cædibus virorum satiatus. » — *Vastam urbem.* Vacuam; viduatam civibus. — *Venum aut dono datam.* Venumdatam, aut gratuito dono datam. *Datam* grammatice ad *prædam* refer; ipsa re, ad *bona.*

10. *Quod quidem scelerum illius vel maxumum est.* Notanda oratoris calliditas, in adversarium rejicientis, quod ipse contra bonum et æquum fecit. — *Non me, neque quemquam omnium.* Ut male facta sua excuset, ea cum multis communicare tentat, tempora illa revocando, quibus nemini bono esse tutum fuit. Sic unumquemque civem, propriorum periculorum, aliquos etiam delictorum recordatione, sibi facit indulgentiores. — *Jure dominis.* Justis dominis; iis qui jure domini sunt.

11. *Quæ rabie contracta toleravimus.* Quæ mala, per rabiem nostram civilemque furorem contracta, passi sumus; scilic. romanos exercitus manus inter se conserentes etc. Eodem sensu utitur verbo *contrahere* Cicero; Ep. ad Quint. fratrem, l. I, 1, initio : « Ea molestissime ferre homines debent, quæ ipsorum culpa *contracta* sunt. » Et sæpe alias. — *Arma... in nosmet versa.* Luc. I, 2:

Populamque potentem
In sua victrici conversum viscera dextra.

— *Facta in gloria numeret.* Ea ab se facta fuisse, pro gloria habeat.

12. *Neque jam.... vereor.* Quasi diceret : scio vos de illo, ut de scelestissimo homine, judicium ferre; sed de vestra audacia solli-

bus ejus, quæ futiles et corruptæ sunt, sed vestra secordia,) quam captum ire licet, et quam audeat, tam videri felicem. Nam præter satellites commaculatos, quis eadem vult? aut quis non omnia mutata, præter victoriam? Sci-

citus sum, ne minor sit, quam necesse est. — *Ne alius alium principem exspectantes.* Ne singuli exspectantes, donec alius incipiat, etc. — *Ante capiamini.... quam captum ire licet, et, quam audeat, tam videri felicem.* Multi hunc locum tentarunt, nullus intellexit. Hunc ego sensum esse mihi persuadeo, persuasurus utinam ceteris: « Vereor ne.... *vos* ante capiamini, quam *ille capiatur; atqui jam licet vobis eum* captum ire, et *tunc eum* videri tam felicem, quam audeat, sive, *quam audax sit;* (lusus in cognomine *felicis;* quasi dicat: Sylla se *felicem* dici vult; licet vobis eum sic *felicem* reddere, ut sua audacia esse promeruit). Gallice verterem: « *Je crains que vous ne soyez victimes, je ne dis pas de sa puissance, ébranlée et chancelante, mais de votre inaction; tandis que vous pourriez le prévenir, et montrer au monde Sylla* HEUREUX *comme le mérite son audace.* » In latina periodo *italicis* typis supplevimus, quæ ad sensum necessaria sunt, ut in Jugurtha, XLVII, n. 2; quem locum vide. Hic profecto verba, *ante capiamini, quam...,* subjunctivum requiruut rei futuræ et adhuc incertæ. *Licet,* autem, optime conjungitur cum seqq. infinitivis, *captum ire Syllam,* et *Syllam videri felicem.* Scimus præterea Sallustianum esse, idem nomen ab uno verbo regi et alterum regere; Jug. XXXV, n. 4. Ironia autem non dubia est in, *tam felicem, quam audeat.* Ceterum has dicendi formas, aut si malis, obscuritates, mutuatus est a Thucyd. Sallustius; cujus rei duo sufficiant exempla. Thuc. II, 60: « Ὁπότε οὖν πόλις μὲν τὰς ἰδίας ξυμφορὰς οἷα τε φέρειν, εἷς δὲ ἕκαστος τὰς ἐκείνης ἀδύνατος, πῶς οὐ χρὴ πάντας ἀμύνειν αὐτῇ, καὶ μὴ ὃ νῦν ὑμεῖς δρᾶτε, ταῖς κατ' οἶκον κακοπραγίαις ἐκπεπληγμένοι, τοῦ κοινοῦ τῆς σωτηρίας ἀφίεσθε, καὶ ἐμὲ τὸν παραινέσαντα πολεμεῖν, καὶ ὑμᾶς αὐτοὺς, οἳ ξυνέγνωτε, δι' αἰτίας ἔχετε; » Quod est, si verbum verbo reddideris: « Quando igitur civitas privatas calamitates tolerare potest, privati vero civitatis non possunt, nonne oportet omnes illi opitulari, et non quod nunc facitis, domesticis infortuniis perculsi reipublicæ salutem deseritis, et me, qui bellum suasi, et vos ipsos qui mihi assensistis, accusatis? » Ubi, si sensum respicias, dicendum erit: « Et non *facere,* quod nunc vos facitis, *qui....* reipublicæ salutem deseritis, etc. » Vel: « Et non, domesticis infortuniis perculsos, reipublicæ salutem *deserere, ut nunc* deseritis; meque... et vos... *accusare, ut nunc* accusatis. » Et sic quidem solvenda esse ἀφίεσθε et δι' αἰτίας ἔχετε, monent ipsa verba ὃ νῦν ὑμεῖς δρᾶτε, *quod nunc vos facitis.*

Alterum exemplum Thuc. I, 71: « Οἴεσθε τὴν ἡσυχίαν οὐ τούτοις τῶν ἀνθρώπων ἐπιπλεῖστον ἀρκεῖν, οἳ ἂν τῇ μὲν παρασκευῇ δίκαια πράσσωσι, τῇ δὲ γνώμῃ, ἣν ἀδικῶνται, δῆλοι ὦσι μὴ ἐπιτρέψοντες· ἀλλ' ἐπὶ τῷ

licet milites? quorum sanguine, Tarrulæ Scyrroque, pessumis servorum, divitiæ partæ sunt. An, quibus prælatus in magistratibus capiundis Fusidius, ancilla turpis [13], honorum omnium dehonestamentum? Itaque maxumam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera et labores nihil, præter tyrannum, quæsitum est. Nisi forte tribuniciam potestatem eversum profecti sunt per arma, conditam a majoribus suis; utique jura et judicia sibimet extorquerent: egregia scilicet mercede, quum relegati in paludes et silvas, contumeliam atque invidiam suam, præmia penes paucos intelligerent.

Quare igitur tanto agmine atque animis incedit [14]? quia

μὴ λυπεῖν τε τοὺς ἄλλους, καὶ αὐτοὶ ἀμυνόμενοι μὴ βλάπτεσθαι, τὸ ἴσον νέμετε. Putatis quietem non illis hominibus diutissime suppetere, qui, re quidem, omnia justa faciant, animo autem, se paratos ostendant injusta non pati; sed et alios molestia non afficere, et vosmet, injuriam repellendo, laborem non capere, eodem loco ponitis. » Quod esset, si ad vulgarem structuram revocaretur: « Putatis quietem stabilem suppetere, non illis hominibus, qui injuriam nec faciunt, nec passuri æquo animo videntur; sed *illis qui* et alios non offendere, et ipsi propriæ defensionis laborem non suscipere, eodem studio *quærunt, ut vos* quæritis: οὐ τούτοις τῶν ἀνθρώπων, οἵ, etc., ἀλλὰ τούτοις, οἱ ἐπὶ τῷ μὴ λυπεῖν..., καὶ αὐτοὶ ἀμυνόμενοι μὴ βλάπτεσθαι τὸ ἴσον νέμουσι, ὥσπερ ὑμεῖς νέμετε. » Sic ambo auctores, in locis non satis adhuc intellectis, mutuam sibi lucem afferunt.

13. *Fusidius, ancilla turpis.* Per summum contemptum, et propter morum fœditatem, de viro dixit *ancillam.* — *Tribuniciam potestatem eversum.* Sylla tribunorum potestatem fere nullam fecerat. Vid. Catil. XXXVIII, n. 1, et Cic. de Leg. III, 9. — *Utique.* Atque uti. Nota junctum uni verbo *supinum* et *subjunctivum*, ut sæpe alibi: *Profecti sunt eversum, atque ut sibimet extorquerent.* — *Jura et judicia.* Judicia ab equitibus romanis ad senatores Sylla transtulerat. — *Relegati in paludes et silvas.* Sic invidiose nominat agros qui stipendia emeritis, mercedis loco, assignabantur. Idem queruntur, initio Tiberiani principatus, Pannonicæ legiones, Tac. Ann. I, 17: « Si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc in diversas terras, ubi per nomen agrorum, uliginesque paludum vel inculta montium accipiant. — *Contumelium.* A dictatore et ejus satellitibus. — *Invidiam.* Apud cives, quos armis, duce Sylla, oppresserant. — *Suam.* Ad se (sc. ad milites) pertinentem, dum præmia belli penes paucos spoliatores essent.

14. *Tanto agmine atque animis*

secundæ res mire sunt vitiis obtentui; quibus labefactatis, quam formidatus antea est, tam contemnetur. Nisi forte specie concordiæ et pacis, quæ sceleri et parricidio suo nomina indidit; neque aliter populo romano esse belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, præda civilis acerbissuma, jus, judiciumque omnium rerum penes se, quod populi romani fuit. Quæ, si vobis pax et concordia intelliguntur, maxuma turbamenta reipublicæ atque exitia probate: annuite legibus impositis: accipite otium cum servitio; et tradite exemplum posteris ad populum romanum suimet sanguinis mercede circumveniundum[15]. Mihi, quamquam per hoc summum imperium satis quæsitum erat nomini majorum, dignitati, atque etiam præsidio; tamen non fuit consilium privatas opes facere; potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quæ si probatis, adeste, Quirites, et bene juvantibus diis M. Æmilium

incedit. « Cur Sylla tanta prosequentium turba stipatus, et tam audaces animos gerens per ora vestra incedit? » Hæc æque dicere potuit, sive dictator adhuc esset Sylla, sive jam dictaturam abdicavisset. Vide sup. n. 1. — *Mire sunt vitiis obtentui.* Mire vitia tegunt; iis quasi velum *obtendunt.* Dem. Olynth. II: Αἱ γὰρ εὐπραξίαι δεινὰ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τοιαῦτα ὀνείδη. Quam sententiam Thucydidi tribuit Senec. Controv. IV, 24. — *Nisi forte specie concordiæ et pacis.* Grammatice repete ex antecedentibus: *tanto agmine... incedit;* re autem interpretare: *injustam potentiam retinet.* Non ergo necesse est, cum Douza, reponere, *spes est.* — *Præda civilis.* Præda ex civibus facta.

15. *Ad populum romanum.... circumveniundum.* « Hoc exemplo futuros tyrannos docete, quomodo populus romanus circumveniri possit proprii sanguinis mercede. » Atqui *circumvenire aliquem merceda* est, pecunia vel pretio quolibet allicere atque sibi devincire. Quo autem pretio Sylla populum romanum sibi devinxit? ipsius populi sanguine in præliis et per proscriptiones fuso. Scilicet populus, exhausto suo sanguine, ipse *mercedem* erogavit, qua servitium publicum emit tyrannus. — Hujus loci difficultas ex eo nascitur, quod, qui hominem circumvenit, ipse mercedem et pretium ei dare solet. Hic autem pretium a populo datur, quo circumvenitur populus. Sed in eo felix est orationis audacia. Scito, lector, in quibusdam legi, *suimet sanguinis cæde;* nullo sensu. — *Summum imperium.* Consulatum. — *Privatas opes facere.* Consulatu ad augendas privatas opes abuti.

consulem, ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem.»

Tunc vero et posci; quum ceteri ejusdem caussa ducem senatus rati, maxumo gaudio bellum irritare. *Nonius*, *irritare*, *provocare*.

Curionem quæsivit[16], uti adolescentior, et populi suffragiis integer, ætati concederet Mamerci. *Priscianus*, Lib. X.

Philippus[17], qui ætate et consilio ceteros anteibat. *Servius*, Lib. II.

16. *Quæsivit*. Rogavit. Monent interpretes hoc a *quæso*, non a *quæro* derivandum esse; nec alio referendum exemplum Phocæ grammatici, qui *quæsere*, apud Tullium et Sallustium legi notavit. Ceterum nemo nescit antiquitus permutari solitas fuisse litteras R et S, ut *Fusius*, *Furius*; *Papisius*, *Papirius*: ita ut sint *quæso* et *quæro*, unum et idem verbum, si originem respexeris. Sed usus discrimen in sententia fecit. — *Suffragiis integer*. Qui nondum suffragia populi obtinuerat. Curio (C. Scribonius) consul fuit biennio post, anno 678. —*Mamerci*. Prænomen Æmiliæ gentis, cujus sensus, *vir fortis*. Nam *Mamercum* vocabant Osci deum *Martem*. Hoc fragmentum ponit *De Brosses* post Orationem Philippi, interpretaturque interregem Appium, de quo mentio est in oratione, n. 21, comitia habentem a Curione rogavisse, ut, in petitione consulatus, ætati concederet Mamerci Æmilii Lepidi Liviani, qui consul fuit anno 677.

17. *Philippus*. L. Marcius Philippus, qui consul fuerat A. U. C. 663; quo consule mortuus est Crassus Orator. Vide Cicer. de Orat. III, 1.

1. *Oratio L. Philippi contra Lepidum*. Hæc non statim post Lepidi orationem habita est. Sed quum hujus inceptis summa vi obstaret alter consul Catulus, senatusque jussisset ambos in suam quemque provinciam mature proficisci (Italia Catulo, Gallia cisalpina Lepido obvenerat), sacramento prius obligatos, ne alter alterum bello provocaret; tamen Lepidus, collectis in Etruria Marianæ factionis reliquiis, et spe multis hominibus injecta ademptum a Sylla civitatis romanæ jus recuperandi, exercitum urbi hostiliter admovit, et prope Milvium pontem consedit. Inde a Catulo et Cn. Pompeio pulsus vires in Etruria reparabat, iterum urbi bellum intentans, simul alterum petens consulatum. Inter hæc L. Philippus languentem et ad mollia pronum senatum hac oratione erigit. In cujus sententiam facto senatus-consulto, Catulus, tunc proconsul, Lepidum in Etruria armis aggressus, non semel fusum fugatumque in Sardiniam recedere coegit, ubi morbo exstinctus est.

Oratio L. Philippi contra Lepidum [1].

« Maxume[2] vellem, P. C., rempublicam quietam esse, aut in periculis a promtissumo quoque defendi; denique prava incepta consultoribus noxæ esse. Sed contra seditionibus omnia turbata sunt, et ab iis, quos prohibere magis decebat; postremo, quæ pessumi et stultissumi decrevere, ea bonis et sapientibus faciunda sunt. Nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, tamen, quia Lepido placent, sumenda sunt : nisi forte cui pacem præstare, et bellum pati[3] consilium est. Pro, dii boni! qui hanc urbem omissa cura adhuc regitis[4]; M. Æmilius, omnium flagi-

2. *Maxume..... aut..... denique.* E Thucyd. I, 32, petita dicendi forma, de qua vide Jug. XIV, n. 3. — *A promtissumo quoque.* Ab iis quos sibi præfecit respublica, et quorum ideo opera maxime *in promptu* est. Vel, ab iis quos, ad honores promovendo, respublica e vulgo exemit, et quasi *prompsit* ad suos usus, ut in tempore paratos defensores haberet. Utcumque interpreteris, hunc esse sensum e rerum serie constat. Nam primo, inquit, vellem rempublicam quietam esse; sed seditionibus turbatur. Secundo, eam a magistratibus et primoribus civitatis defendi; sed moventur seditiones ab iis, quos eas prohibere decebat. Tertio, male facta et male consulta in auctores suos recidere; sed in bonos contra recidunt, qui ea facere coguntur, quæ seditiosis placent. — *Noxæ esse.* Damno esse. Nam *noxa* vocatur et delictum, et delicti pœna.

3. *Pacem præstare et bellum pati.* Nisi quis velit pacem Lepido præstare, et ab illo bellum pati. Idem fere, quanquam fusius explicatum, Dem. Phil. III, non procul ab initio : « Εἰ δέ τις ταύτην εἰρήνην ὑπολαμβάνει, ἐξ ἧς ἐκεῖνος, πάντα τὰ ἄλλα λαβὼν, ἐφ' ἡμᾶς ἥξει, πρῶτον μὲν μαίνεται, ἔπειτα δ' ἐκείνῳ παρ' ὑμῶν, οὐχ ὑμῖν παρ' ἐκείνου τὴν εἰρήνην λέγει. Τοῦτο δ' ἐστὶν, ὃ τῶν ἀναλισκομένων χρημάτων ἁπάντων Φίλιππος ὠνεῖται, αὐτὸς μὲν πολεμεῖν ὑμῖν, ὑφ' ὑμῶν δὲ μὴ πολεμεῖσθαι. »

4. *Omissa cura adhuc regitis.* Cl. viri *Dureau de la M.* et *De Brosses* omissa cura ad senatores referunt, qui reipublicæ curam omittunt. Sed evincit, ni fallor, grammatica, ut *omissa cura* referatur ad verbum *regitis.* Itaque sic intelligo : « Proh! dii boni, qui hanc urbem etiamnum regitis, quamvis ejus omittatis curam; i. e. o! dii, quos, licet omnia nunc in transversum ferri sinatis, rectores tamen adhuc et præsides urbis hujus agnosco. » Et certe dii Romæ *curam omittunt*, qui tam infanda ferri patiantur; urbem tamen *adhuc regunt*, quum urbs stet adhuc, quamvis tam infanda fiant. Nam *cura*

tiosorum postremus, qui pejor, an ignavior sit, deliberari non potest, exercitum opprimundæ libertatis habet, et se e contemto metuendum effecit : vos mussantes, et retractantes[5], verbis et vatum carminibus pacem optatis magis, quam defenditis : neque intelligitis, mollitia decretorum vobis dignitatem, illi metum detrahi. Atque id jure; quoniam ex rapinis consulatum[6], ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob benefacta cepisset, cujus sceleribus tanta præmia tribuistis?

At scilicet ii, qui, ad postremum usque, legatos, pacem,

quotidianam super singulis rebus vigilantiam indicat; *regitis*, ad summum universarum rerum regimen pertinet. Gallice verti possit : « *O! dieux, dont la providence, alors même qu'elle sommeille, gouverne encore cette ville!* » Formula est, qua simul deorum fidem testatur, simul dolet a rebus romanis aversos, simul eorum providentia se confidere profitetur. Ceterum *Dureau de la M.* interpretatur QUI *quomodo*. Crispinus istud *qui* non ad deos, sed ad senatores refert; quem acerbe reprehendit Wasse, sensu tamen nullatenus explanato. Cortius, ad deos, opinor, referens : *adhuc negligentes estis in regenda hac urbe*. Quæ sententia frigida, aut potius nulla, videtur. Ceterum *omisso* accipit, ut *remisso*; quemadmodum Ter. Heaut. v, 2, 9 : « Ubi te vidi animo esse *omisso*. » Utique tota phrasis *exclamatio* est, et jungi debet cum seqq., quasi dicat : « Proh! deorum illorum fidem qui, omissa cura, hanc urbem adhuc regunt; M. Æmilius, etc.—*Postremus*. Infimus, pessimus.

5. *Retractantes*. Cunctantes, tergiversantes, periculum refugientes; græce, ὑποστελλόμενοι. Virg. Æneid. XII, 889 :

Quæ nunc deinde mora est, aut quid nunc, Turne, *retractas?*

— *Verbis et vatum carminibus*, etc. « Vos verbis *tantum* et vatum carminibus pacem *defenditis; imo*, optatis magis quam defenditis; » Vid. Jug. XLVII, n. 2. *Verba* hic sunt, orationes quæ ultro citroque habebantur, de hostilibus Lepidi inceptis; *vatum carmina*, responsa haruspicum, vel libri sibyllini, quibus regnum Romæ tribus CCC portendebatur, unde colligebant neminem Æmiliæ gentis regnaturum. De his vaticiniis vide Catil. XLVII, n. 5 et 6, ubi tres CCC intelliguntur tres Cornelii.

6. *Ex rapinis consulatum*. Lepidus Siciliam provinciam prætor adeo vexaverat, ut Cicero magnum crimen in Verrem conferre se putet, dicendo eum fecisse, quod ne Lepidi quidem exemplo defendere possit. Cic. in Verr. de Re frum. CXI. — *Ob seditionem provinciam... adeptus est*. Sc. quum ex senatusconsulto in Galliam missus est; Vid. sup. 1.

concordiam, et alia hujuscemodi decreverunt, gratiam ab eo peperisse[7]. Immo despecti et indigni republica habiti, prædæ loco æstumantur; quippe metu pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem a principio, quum Etruriam conjurare, proscriptos arcessiri, largitionibus rempublicam lacerari, videbam; maturandum putabam, et Catuli consilia cum paucis sequutus sum. Ceterum illi, qui gentis Æmiliæ benefacta extollebant, et ignoscendo populi romani magnitudinem auxisse[8], nusquam etiam tum Lepidum progressum, aiebant, quum privata arma opprimundæ libertatis cepisset, sibi quisque opes aut patrocinia quærendo, consilium publicum corruperunt. Attamen erat Lepidus latro[9] cum calonibus et paucis sicariis, quorum nemo diurna mercede vitam mutaverit: nunc

7. *Gratiam ab eo peperisse.* Sic omnes in MSS. esse testantur. Nuperæ edd. *peperere*, sensu evidentissimo. Sed non hic magis offendit pro *indicativo infinitivus*, quam in sexcentis Sallustii locis; nec ejus loquutionis naturam mutat adverb. ironiæ, *scilicet*. Nam Cortius, qui *scilicet* in *scire licet*, resolvit, ut intelligatur, *scire licet.... peperisse*, non attendit ad nominativum *ii*, qui mutandus foret in *eos;* quomodo legi volunt Carrio et quidam alii. — *Prædæ loco æstumantur.* Pro præda habentur. — *Quippe... repetentes.* Utpote repetentes. Quia repetunt.

8. *Populi romani magnitudinem auxisse.* Auctam esse; ut Cato apud A. Gell. XVIII, 12: *eo res eorum auxit.* Sic sæpe noster: *vertit, convertit;* subaud. *se.* Ceterum volunt hoc, *auxisse*, pendere a verbo *extollebant*, hoc modo: « benefacta extollebant, et *extollebant* (i. e. prædicabant) magnitudinem auxisse. » Et certe sic sensus optime procedit. Sed nihil obstat quin potius dicas: « benefacta extollebant, et aiebant... magnitudinem auxisse; *aiebant quoque* nusquam Lepidum progressum, etiam tum, quum privata arma opprimendæ libertatis *causa* cepisset. — *Nusquam.... progressum.* Non eo progressum, ut rebellis videretur. — *Privata arma.* Arma quæ privato consilio, non ex senatus-consulto, neque populi jussu sumpserat. — *Sibi quisque*, etc. Cato, in Catilin. LII, n. 30 et 31: « Ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis, eo fit ut impetus fiat in vacuam rempublicam. » — *Consilium publicum corruperunt.* Effecerunt ut reipublicæ male consuleretur. Secunda pars periodi in his verbis incipit: *Sibi quisque opes*, etc.

9. *Attamen erat Lepidus latro.* Eo scilicet tempore, quo primum ar-

est pro consule cum imperio, non emto, sed dato a vobis, cum legatis adhuc jure parentibus. Et ad eum concurrere homines omnium ordinum corruptissumi, flagrantes inopia et cupidinibus, scelerum conscientia exagitati : quibus quies in seditionibus, in pace turbæ sunt : hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello serunt; Saturnini olim, post Sulpicii, dein Marii Damasippique, nunc Lepidi satellites. Præterea Etruria, atque omnes reliquiæ belli arrectæ; Hispaniæ armis sollicitæ [10]; Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur, diem bello circumspicit : quin, præter idoneum ducem, nihil abest ad subvertundum imperium.

Quod ego vos oro atque obsecro, P. C., ut animadvortatis; neu patiamini licentiam scelerum, quasi rabiem [11],

ma movit contra rempublicam. — *Quorum nemo*, etc. Recentiores edd. *nemo non... mutaverit*. Sed veteres omnes, teste Cortio, *nemo.... mutaverit*. Eodem fere sensu. Lectio, *nemo non.... mutaverit* : « Omnes pro unius diei mercede vitam darent. » Lectio, *nemo.... mutaverit* : « Nullus pro unius diei mercede vitam acciperet; nullus diurnæ mercedis jactura vitam redimeret, (adeo viles et egentes sunt). » Et hoc certe magis Sallustianum est : vid. Jug. XXXVIII, n. 10. — *Pro consule*. Proconsul. Vide Jugurtham, XXXVII, n. 2. Hoc vel unum probat hanc orationem habitam fuisse post Lepidi consulatum. — *Non empto, sed dato a vobis*. Consulatum quidem initio emerat Lepidus; sed, jam consuli, dederat senatus exercitus imperium; vid. sup. n. 6. — *Ad eum concurrere*. Conf. Catilin. totum cap. XXXVII. — *Saturnini*, etc. Satis noti Saturninus, Sulpicius, Marius. De Damasippo, Vide Catilinam, LI. n. 49. Omnes hi ex factione plebeia, quam renovabat Lepidus.

10. *Hispaniæ armis sollicitæ*. Sc. per Sertorium. Vid. Flor. III, 22. Alii *sollicitatæ*. — *Mithridates*. Vid. Flor. III, 5 ; et alios passim. — *Vectigalium nostrorum*. Provinciarum orientis, e quibus maxima tributa exigebant Romani. — *Diem bello circumspicit*. Elegantissime ; quasi dicat : « Oculos huc illuc circumfert, si qua se offerat movendi belli occasio. » — *Præter idoneum ducem*. Contumeliose dictum in Lepidi imperitiam.

11. *Quasi rabiem*. Carrio conjecit, *quasi tabem*. Frustra. Aptissime dixit *rabiem*, qui morbus contagione contrahitur. Liv. XXI, 48 : « Scipio eadem eam signum defectionis omnium Gallorum esse ratus, *contactosque* eo scelere, velut injecta *rabie*, ad arma ituros. »

ad integros contactu procedere. Nam, ubi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. An exspectatis, dum, exercitu rursus admoto [12], ferro atque flamma urbem invadat? quod multo propius est ab eo, quo agitat, statu, quam ex pace et concordia ad arma civilia : quæ ille advorsum divina et humana omnia cepit, non pro sua, aut quorum simulat, injuria, sed legum ac libertatis subvertundæ. Angitur enim ac laceratur animi cupidine et noxarum metu, expers consilii, inquies, hæc atque illa tentans; metuit otium, odit bellum, luxu atque licentia carendum videt, atque interim abutitur vestra secordia. Neque mihi satis consilii [13], metum, an ignaviam,

— *Ubi malos præmia sequuntur.* Liv. IV, 2 : « Cujus rei præmium sit in civitate, eam maximis semper auctibus crescere; sic pace bonos, sic bello fieri. Maximum Romæ præmium seditionum esse ; id et singulis universisque semper honori fuisse. » Idem, IV, 35 : « Eo impendi laborem ac periculum, unde emolumentum atque honos speretur. Nihil non aggressuros homines, si magna conatis magna præmia proponantur. »

12. *Exercitu rursus admoto.* Ex hoc ipso loco, et orationis fine, ubi nominatur *proconsul* Catulus, et Appius *interrex*, item ex aliorum auctorum comparatione colligit *De Brosses*, hanc orationem, non ante, sed post pugnam ad pontem Milvium, habitam fuisse, ut diximus sup. n. 1. Igitur hæc verba, *exercitu rursus admoto*, commonefaciunt patres conscriptos, iterum jam urbi exercitum admovere Lepidum. Non tamen reticebo Cortium eadem verba sic interpretari : « Uti nempe Marius admovit urbi, et nobilissimum quemque ferro aut fuga exstinxit. Memoraverat enim milites Saturnini olim et Sulpicii, post Marii Damasippique satellites. Sed admovebat jam tum exercitum urbi. » Præterea putat Douza non amplius quam semel exercitum ad romana mœnia admovisse Lepidum. Quæ monuisse satis sit. — *Quod multo propius est.* Hoc optime Cortius interpretatur : « Quod (ut exercitus urbi admoveatur) minus abest ab eo, in quo nunc Lepidus est statu, quam a pace et concordia absunt civilia arma; hoc est: facilius multo ad hoc consilium labi potest, ut urbem invadat, quum exercitus illi sit in manu, quam facile videbatur a concordia et pace.... ad bella civilia desciscere. Est conclusio a majore ad minus. » *Prope esse* ab *re*, pro *non multum distare*, frequenter usurpatur. Plin. XIV, 4 : « Tam prope ab origine rerum sumus. » Tac. Hist. II, 76 : « A contumelia, quam a laude propius fuerit, post Vitellium eligi. »

13. *Neque mihi satis consilii.* Eo-

an dementiam eam appellem : qui videmini intenta mala, quasi fulmen, optare, se quisque ne attingat; sed prohibere, ne conari quidem. Et, quæso, considerate quam conversa rerum natura sit. Antea malum publicum occulte, auxilia palam, instruebantur; et eo boni malos facile anteibant : nunc pax, concordia disturbantur palam; defenduntur occulte; quibus illa placent, in armis sunt, vos in metu.

Quid exspectatis? nisi forte pudet, aut piget recte facere. An Lepidi mandata[14] animos movent? qui placere ait, sua cuique reddi; et aliena tenet: belli jura rescindi; quum ipse armis cogat: civitatem confirmari, quibus ademtam negat:

dem fere sensu quo supra : *deliberari non potest.* — *Intenta mala.* Mala quæ in vos intenduntur; quæ vobis imminent ab Lepido et consciis. — *Quasi fulmen.* Ut quisque optat, ne se fulmen attingat. Sumptum ex Demosth. Phil. III : Ἀλλ' ὅμως ταῦθ' ὁρῶντες οἱ Ἕλληνες ἀνέχονται, καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ οἱ τὴν χάλαζαν, ἥμιγε δοκοῦσι θεωρεῖν· εὐχόμενοι μὲν μὴ καθ' ἑαυτοὺς ἕκαστοι γενέσθαι, κωλύειν δὲ οὐδεὶς ἐπιχειρῶν. — *Quam conversa sit rerum natura.* Hic quoque si non tota sententia, at certe forma ex Dem. est, eadem orat. Ἐγὼ δὲ, ἁπάντων.... πολλὴν εἰληφότων ἐπίδοσιν, καὶ οὐδὲν ὁμοίων ὄντων τῶν νῦν τοῖς πρότερον etc.

14. *An Lepidi mandata.* Ad hoc Cortius : « Forte legatos miserat Lepidus, quibus *mandata* dederat ad senatum populumque romanum de suo consilio, quod hic exponitur. » Et in hac quoque sententia est *De Brosses.* — *Sua cuique reddi.* Vid. sup. Lepidi orationem, qua reddenda esse contendit bona ex proscriptionibus vendita, quum ipse multa hujuscemodi bona possideat. — *Belli jura rescindi.* Leges aboleri, quas bello victor Sylla imposuerat. — *Civitatem confirmari, quibus ademtam negat.* Sic esse in omnibus libris testatur Carrio, Cortiusque confirmat. Unde hoc elicias : « Civitatis jus Etruscis, a Sylla ademptum, confirmari et restitui vult; et tamen negat jus illud unquam eis ademptum fuisse (videlicet quia adimi non poterat). Ergo secum ipse non consentit. » Et sic quidem interpretatur *De Brosses ;* quem damnat *Dureau de la M.* Sed hic ipse profert sine auctoritate, *adeptam necat.* Confidenter reponit Crispinus, *qui adeptam negat;* sed de sententia, nihil. Hanc tamen ex ejus lectione eruas, fortasse non contemnendam : « Civitatem aliis ereptam restitui vult, aliis concessam recusat. » Scilicet confirmari volebat et restitui populis Etruriæ civitatem a Sylla ereptam: eamdem vero negabat, i. e. confirmari nolebat quibusdam aliis a Sylla in civitatem adscitis. Et prius

concordiæ gratia plebei tribuniciam potestatem restitui; ex qua omnes discordiæ accensæ. Pessume omnium atque impudentissume, tibine egestas civium, et luctus curæ sunt, cui nihil est domi, nisi armis partum, aut per injuriam? Alterum consulatum petis; quasi primum reddideris[15]: bello concordiam quæris; quo parta disturbatur; nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum. Ut te neque hominum, neque deorum, pudet, quos per fidem, aut perjurio violasti! Qui, quando talis es, maneas in sententia et retineas arma, te hortor: neu prolatandis seditionibus inquies ipse, nos in sollicitudine attineas. Neque te provinciæ, neque leges, neque dii penates civem pa-

quidem, ex historia, verum est; posterius, verisimile. Quibus expositis, rem sub judice relinquo; ratus tamen potiorem esse lectionem, quæ codd. et Venetis primis nitatur.

15. *Quasi primum reddideris.* Mos erat ut, exacto anno, consules magistratum pro concione deponerent, jurarentque se nihil contra leges fecisse, (Plin. Paneg. LXIV et LXV; Cic. in Pis. III; id. Ep. V, 2). Hoc erat *reddere consulatum*: hoc vero non fecerat Lepidus. Adhuc enim in Etruria erat cum exercitu, quem (supra n. 9) a senatu *datum* dixit, sed vere *extortum* existimat Philippus. — *Nostri proditor.* Proditor senatus; infidus plebi. — *Te neque hominum, neque deorum pudet.* Exclamatio indignantis, cujus sensus: nulla te reverentia, sive hominum, sive deorum, tenet. — *Quos per fidem aut perjurio violasti.* Ad homines refer, *per fidem;* ad deos, *perjurio.* De qua distinctione vide Liv. IX, 9: « Neque ego inficias eo, tam sponsiones quam fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos, *juxta divinas religiones, fides humana* colitur. » Ubi *religio* dicitur de fœdere per *jusjurandum* facto; *fides*, de sponsione sine jurejurando contracta. Lepidus autem *fidem* suam senatui obstrinxerat, et *jurejurando* confirmaverat, se contra rempublicam arma non laturum. Homines igitur *per* datam illam *fidem*, deos autem *perjurio* deceperat et violaverat. Haverc. *perfidia*, sine librorum auctoritate. Casus mutatio vere Sallustiana, *per fidem aut perjurio.* Præterea optima latinitas, *per fidem violari.* Cæsar, B. G. I, 46, nost. ed. vol. I, p. 58: « Committendum non putabat, ut... dici posset eos ab se *per fidem* in colloquio circumventos. » Livius, XXXVIII, 25: « Multo major pars (Gallorum), *per fidem* violati colloquii pœnas, morte luerunt. » Etiam magis ad rem Senec. de Prov. III, cruentam Syllæ victoriam memorans: « Multa millia civium romanorum uno loco *post fidem*, imo *per ipsam fidem* trucidata. »

tiuntur[16]: perge, qua cœpisti, ut quam maturrume merita invenias. Vos autem, P.C., quousque cunctando rempublicam intutam patiemini, et verbis arma tentabitis? Delectus adversum vos habiti; pecuniæ publice et privatim extortæ; præsidia deducta atque imposita; ex lubidine leges imperantur; quum interim vos legatos et decreta paratis[17]. Et quanto, mehercule, avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit; quum intelliget, se metu magis, quam æquo et bono sustentatum. Nam qui turbas et cædem civium odisse ait[18], et ob id, armato Lepido, vos inermos retinet; quæ victis toleranda sunt, ea, quum facere possitis, patiamini potius censet: ita illi a vobis pacem, vobis ab illo bellum suadet.

16. *Neque te.... civem patiuntur.* Quasi dicat : Non jam civis esse potes ; esto igitur hostis; palam bellum gere, ut quamprimum mercedem scelerum accipias. — *Qua cœpisti.* Monent Cortius et Carrio in MSS. esse, *qua cœptas;* ex verbo *cœptare*, quo Ter., Tac. et Cic. usi sunt. — *Intutam.* Indefensam. — — *Verbis arma tentabitis.* Adversus Lepidi arma verbis tantum pugnabitis. — *Deducta.* In medio relinquit Cortius an hoc sit : *deducta sunt alia præsidia ex urbibus, alia imposita;* an potius : *deducta in urbes et imposita præsidia.* Prius maluerunt *De Brosses* et *Dureau.* Certe in Epist. Pompeii, quæ nona decima est lib. VIII Cicer. ad Attic., legitur : « Consules præsidia omnia deducturi sunt; » ubi *deducturi* nihil aliud valet, quam *educturi.* Et sic passim apud Ciceronem. Attamen, ut latine dicitur, *deducere vigilias*, *deducere colonium*, pro *perducere;* non absurdum sane fuerit dici quoque, *deducere præsidia.* Judicet peritior : hic parum ad rem.

17. *Legatos et decreta paratis.* Dem. Phil. I, paulo post hunc titulum: ΠΟΡΟΥ ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ. « Ἐπειδὰν δ' ἐπιχειροτονῆτε τὰς γνώμας, ἃ ἂν ὑμῖν ἀρέσκῃ χειροτονήσαντες ποιήσατε· ἵνα μὴ μόνον τοῖς ψηφίσμασι καὶ ταῖς ἐπιστολαῖς πολεμῆτε Φιλίππῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἔργοις. »

18. *Nam qui turbas et cædem civium odisse ait.* Quicumque ait *se* odisse, etc. — *Inermos.* Sic MSS. pro *inermes.* — *Censet.* « Quicumque, turbarum et cædis odio, vos inermes retinet, dum armatus est Lepidus; ille censet ut vos mala patiamini quæ victis toleranda sunt, quum tamen ea in hostem conferre possitis. » In toto hoc loco Thucydideam dicendi rationem æmulatur Sall. Sed sententiam ipsam ex Demosth. mutuatus est, Olynth. I, circa finem : « Εἶτ' οὐκ αἰσχύνεσθε, εἰ μηδ' ἃ πάθοιτ' ἄν, εἰ δύναιτ' ἐκεῖνος, ταῦτα ποιῆσαι, καιρὸν ἔχοντες, οὐ τολμήσετε! Et non erubescitis quod, quæ vos pateremini, si posset ille,

Hæc si placent; si tanta torpedo animos oppressit, ut obliti scelerum Cinnæ, cujus in urbem reditu decus ordinis hujus interiit[19], nihilominus vos atque conjuges et liberos Lepido permissuri sitis; quid opus decretis? quid auxilio Catuli? Quin is et alii boni rempublicam frustra curant. Agite, uti lubet; parate vobis Cethegi, atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare cupiunt, et rursus advorsum deos penates manus armare. Sin libertas et vera magis placent[20]; decernite digna nomine, et augete ingenium viris fortibus. Adest novus

ne ea quidem facere, quum possitis, audeatis! » — *Illi a vobis pacem*, etc. *Illi*, i. e. Lepido. Mirus quorumdam error, qui hoc pro nominativo acceperunt, scripseruntque *suadent*, pro *suadet*. Fac e Sallustio esse *suadent*; nihilominus erit dativus *illi*, nominativusque verbi *suadent* subaudietur. Cum Cortio et Haverc. dedimus *suadet*. Ceterum meras tenebras, in re clarissima, vidit vir cetero quin intelligens Douza; quod monemus, ne quis decipiatur, ejus notam in editione *Variorum*, aut alia qualibet, legendo.

19. *Decus ordinis hujus interiit.* Decus senatus, quem afflixit Cinna cum Mario in urbem rediens, unde a collega suo Octavio consule pulsus fuerat; anno U. C. 667. In vulg. edd. legitur: *decus atque ordines omnes interierunt;* quam lectionem ineptam vocat Cortius, et inde tractam dicit, quod in Venetis primis est, *decus* ordines *hujus interiit*. Ceterum Manutius et plures alii testantur in antiquis libris id legi, quod dedimus. — *Cethegi.* C. Cethegus, qui postea cum Catilina conjuravit; vid. Catil. XVII, n. 11. Alter erat P. Cethegus, de quo Valer. Max. IX, 2, 1. Ambo turbulenti et seditiosi erant, ambo Marianam factionem sequuti, deinde ad Syllam transgressi, antequam Caius ad Lepidum rediret; si modo rem vere exposuit *De Brosses, Histoire de la rép. rom. liv.* I, *c.* 40 et 52, quos locos conferri oportet.

20. *Sin .... vera magis placent. Vera*, i. e. æqua, justa. De hoc sensu vide Jug. XIV, n. 22. Sic scribit Cortius, ex edd. Venetis, et plurimis libris apud Haverc. quoque laudatis. Vulgo tamen legitur: *sin libertas et bella magis placent;* quod sic interpretari potueris: « Si libertatem per bellum servare malitis, quam vos atque conjuges et liberos Lepido permittere, decernite digna nomine vestro, et animos augete viris fortibus. » Et cum hoc quidem optime congruunt seqq. *adest novus exercitus*, etc. Nos *bella* reposuissemus, ni *vera* tot auctoritatibus niteretur. Adde quod idem sensus est. Nam quid tum erat *verum*, i. e. æquum, justum, et reipublicæ conveniens, nisi *bellum* gerere adversus hostilia ausum? — *Augete ingenium.* Alibi quoque

exercitus, ad hoc, coloniæ veterum militum, nobilitas omnis, duces optumi; fortuna meliores sequitur : jam illa, quæ collecta sunt secordia nostra, dilabentur. Quare ita censeo : quoniam Lepidus exercitum privato consilio paratum, cum pessumis et hostibus reipublicæ, contra hujus ordinis auctoritatem ad urbem ducit; ut Appius Claudius interrex[21] cum Q. Catulo proconsule, et ceteris, quibus imperium est, urbi præsidio sint, operamque dent, ne quid respublica detrimenti capiat. »

Uti Lepidus et Catulus, decretis exercitibus, maturrume proficiscerentur[1]. *Charisius*, Lib. III.

M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso[2], segnior neque minus gravis, sed multiplex cura patres exercebat. *Servius. Marius Victorinus in Ciceronem.*

Obviam ire, et commori hostibus. *Arusian. Messus.*

Lepidus pœnitens consilii. *Charis.* Lib. III.

Sic vero quasi formidine attonitus, neque animo, neque auribus aut lingua competere[3]. *Nonius : Competere, rei cujusque meminisse, aut constanter valere.*

ingenium, pro *animo* posuit Sallustius. Jug. LXIII : « Ita inter artes bonas integrum *ingenium* brevi adolevit. » It. LXXXII : Alii bonum *ingenium* accensum esse. » Frustra igitur huc intrudere volunt, *imperium*. — *Novus exercitus*. Recens conscriptus. — *Coloniæ veterum militum*. Veteres milites ex coloniis Syllanis. — *Jam illa, quæ collecta sunt secordia nostra*. Vires quas sibi per senatus socordiam Lep. paravit, brevi dilabentur.

21. *Appius Claudius interrex*. De *interrege* vide Liv. I, 17, et III, 55. Hæc oratio habita est anno 677, circa januarii finem, quo tempore, nondum creatis illius anni consulibus, Appius Claudius interrex erat. Vid. sup. n. 12; item *De Brosses, Histoire*, etc. I, 51; qui annum numerat 676. Sed de hac differentia vid. sup. p. 123.

1. *Uti Lepidus et Catulus.... proficiscerentur*. Ex his, quæ dicta sunt ad superiorem orationem, n. 1, patet hoc fragmentum ante orationem poni debuisse.

2. *M. Lepido.... Italia pulso*. Qui finis fuit hujus belli. Vide Flor. III, 23. — *Segnior.... cura*. Quia non jam ipsi urbi imminebat periculum, quamvis grave et multiplex esset. Hoc præcipue referri videtur ad Mithridaticum Sertorianumque bellum.

3. *Neque animo, neque auribus aut lingua competere. Competere* est *congruere, convenire ;* et quasi *ire*

Prudens omnium[4], quæ senatus censuerat. *Arusian.*

Magnis operibus profectus, oppidum cepit per L. Catilinam legatum. *Festus.*

Domitium proconsulem ex citeriori Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, arcessivit[5]. *Prisc.* Lib. X: *Arcessivit, inquit, et lacessivit.*

Sanctus aliter, et ingenio validus. *Charis.* Lib. I: *Aliter pro alias.*

Gens raro egressa fines suos. *Serv. ad.* Lib. XI *Æneid. Arusian. Messus.*

Nisi cum ira belli desenuisset. *Prisc.* Lib. X.

Maturaverunt exercitum Dyrrachium cogere[6]. *Arusian. Messus.*

Illo profectus, vicos castellaque incendere, et fuga cultorum deserta igni vastare; neque elato, aut securo esse animo, metu gentis ad furta belli peridoneæ[7]. *Non. Serv. ad* Lib. XI *Æneid.*

cum aliquo; ex *eundi* notione, quæ propria et prima est verbi *petere.* Non *competunt* lingua, aures, aut animus, quum hæc omnia non jam ad id agendum, quod cuique agendum est, apta nobisque præsto sunt. Livius, lib. XXII, cap. 5: « Ut vix ad arma capienda aptandaque pugnæ *competeret* animus. » Tac. Ann. III, 46: « Oppidani neque oculis, neque auribus satis competebant. » Idem fere aliis verbis expressit Liv. V, 42: « Non mentibus solum *consipere*, sed ne auribus quidem atque oculis satis *constare* poterant. » Vide Sanct. Min. IV, 4, ad verbum *iter.* Quod ad rem attinet, agi videtur de Lepido, qui, quum in Sardinia litteras accepisset uxoris suæ flagitia prodentes, ab ipsa ad adulteros scriptas, amens dolore eam repudiavit. Mox animi ægritudine et morbo corporis victus interiit. Et forsan ad hoc quoque refertur, *pœnitens consilii*, sc. quo uxorem repudiaverat. Vide *De Brosses*, *hist.* II, 13.

4. *Prudens omnium.* Omnia sciens. Tac. Vit. Agr. XIX: « Ceterum animorum provinciæ prudens. » Hoc *de Br.* ad Lepidum refert, antequam exercitum urbi admoveret.

5. *Domitium.... arcessivit.* Scilic. Metellus, in Hispania adversus Sertorium bellum gerens. *De Br.* II, 18.

6. *Maturaverunt exercitum Dyrrachium cogere.* Sc. legati Curionis, proconsulis in Macedonia, cujus quæstor erat L. Catilina, de quo mentio paulo ante facta est. *De Br. Hist.* II, 68, et III, 81.

7. *Gentis ad furta belli peridoneæ*

Liberis ejus avunculus erat. *Donatus ad Phormionem Terentii.*

Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros. *Arus. Messus.*

Insanum aliter[8] sua sententia, atque aliarum mulierum. *Charis.* Lib. I : *Aliter pro alias.*

Recens scripsi. *Donat. Phorm.* A. V, Sc. VIII. *Charis.* II.

Solis viis. *Donat. Phorm.* A. V, Sc. VIII.

Jussu Metelli; cornicines occanuerunt[9]. *Prisc.*, Lib. X. *Servius*, II. *Georg. Virg. Diomed.* Lib. I. c. 4.

Nexuit catenæ modo. *Prisc.* Lib. X.

Doctus militiam. *Arus. Messus.*

Neque se recipere aut instruere prælio quivere. *Prisc.* Lib. X.

Equi sine rectore exterriti aut saucii consternantur. *Idem*, Lib. IV.

Occupatusque collis[10] editissumus apud Hilerdam et cum multa opera circumdata. *Priscian.* Lib. V.

At inde nulla munitionis aut requie mora[11], processit ad oppidum. *Prisc.* Lib. XVIII : *Requie pro requies.*

neæ. Furta belli vocat quæ furtim aut per insidias in bello geruntur. Silius, XVII, 90 :

Adgreditur, furtum armorum tutantibus umbris.

Hic de Pompeio agitur adversus Sertorium bellante. *De Br.* II, 48.

8. *Insanum aliter*. Uxor Lepidi epistolis, quæ in viri manus fortuito inciderunt (sup. 3), ad mœchos suos scribebat, Lepidum alioquin insanum et sibi et aliis mulieribus videri. Huc quoque pertinere videtur superius fragmentum.

9. *Occanuerunt*. Pro *occinuerunt*. Sic Tac. Ann. II, 81 : « Tum Sentius *occanere* cornua..... jussit; » pro *occinere*. Et notaverunt docti composita verba in MSS. reperiri, in quibus *vocalis* non mutatur. Ex hoc numero est *intellego*, tam sæpe Sallustio usurpatum, pro *intelligo*.

10. *Occupatusque collis*. Ab Hirtuleio, Sertorii legato. *De Br. Hist.* II, 18.

11. *Nulla munitionis aut requie mora*. Iter non moratus ad munienda castra, aut dandam militi requiem. — *Requie*. In genitivo. — *Processit*. Metellus. — *Ad oppidum*. Lacobrigam, unde Sertorius multa præsidia petebat. *De Br.* II, 19. — *Ardebat omnis Hispania citerior*. Bello Sertorii.

Agreste. *Charis.* Lib. I.

Ardebat omnis Hispania citerior. *M. Fabius Victor. de invent. Cic.* Lib. I.

* et pondere validam urbem[12] multos dies restantem pugnando vicit. *Nonius.*

Itaque Sertorius[13], levi præsidio relicto in Mauritania, nactus obscuram noctem, æstu secundo furtivaque celeritate vitare prælium in transgressu conatus est. *Gellius*, Lib. X, c. 26. *Non. Marcel.*

Transgressos omnes recepit mons Ballera, præceptus a Lusitanis. *Idem, ibid.*

Earum aliæ paullulum progressæ, nimio simul et incerto onere, quum pavor corpora agitaverat, deprimebantur. *Id.*

Locum editiorem, quam victoribus decebat, capit[14]. *Serv.* VIII *Æneidos. Arusian. Messus.*

Et mox Fufidius adveniens cum legionibus postquam tantas asperitates, haud facilem pugnantibus vadum,

12. *Pondere validam urbem.* Non vacat doctorum, de his verbis, *pondere validam*, conjecturas referre, quum nulla probabili argumento nitatur. *De Br.* hoc de Sertorio accipit, oppidum Laurona, prope Sucronem fluvium, expugnante. Hist. II, 45. Idem (44) duo fragmenta, quæ paulo supra sunt, *neque se recipere*, etc., et *equi sine rectore*, etc., de equitatu Cn. Pompeii intelligit, quem, huic ipsi urbi auxilium ferre destinantem, in insidias adduxit Sertorius, et non mediocri clade afflixit. — *Restantem.* Resistentem.

13. *Itaque Sertorius.* Quum Sertorius ab Annio, Syllæ dictatoris legato, Hispania pulsus in insulas fortunatas se recipere destinasset, ubi viveret liber et ignotus, hoc ejus sociis non placuit. Igitur eos duxit in Mauritaniam, incolis contra regem rebellantibus auxilium laturos. Inde a Lusitanis revocatus est, adversus quos bellum parabat Annius. Huc quoque pertinet sequens fragm. Vide Plutarchum in Sertorio. — *Vitare prælium.* Cum classe Cottæ, qui eum opperiebatur in transgressu Africæ in Hispaniam. *De Br.* II, 7.

14. *Locum editiorem.... capit.* Sc. Catulus, quum Lepidum in maritima Etruriæ urbe Cosa obsessum teneret. *De Br.* I, 55. — *Victoribus decebat.* Vulgaris usus postulat *victores.* Sed præter Terentium et Plautum, etiam Gellius, IX, 15, *decet* cum dativo conjungit: « Præfatur arrogantius et elatius quam *ætati* ejus decebat. »

Liberis ejus avunculus erat. *Donatus ad Phor*
Terentii.

Nihil ob tantam mercedem sibi abnuit
Messus.

Insanum aliter[8] sua sententia, atque alia
Charis. Lib. I : *Aliter pro alias.*

Recens scripsi. *Donat. Phorm.* A. V, Sc

Solis viis. *Donat. Phorm.* A. V, Sc.

Jussu Metelli, cornicines occanuerun
Servius, II. *Georg. Virg. Diomed.* I

Nexuit catenæ modo. *Prisc.* Lib.

Doctus militiam. *Arus. Messus*

Neque se recipere aut instruere
Lib. X.

Equi sine rectore exterriti
Idem, Lib. IV.

Occupatusque collis[10] edit
cum multa opera circumdata .tibus, et nullo, ut in

At inde nulla munitionis ii discrimine, per calo-
ad oppidum. *Prisc.* Lib. X

neæ. Furta belli vocat quæ furt
aut per insidias in bello gerun
Silius, XVII, 90 :
Adgreditur, furtum armorum tutantibus
Hic de Pompeio agitur ad
Sertorium bellante. *De Br.*

8. *Insanum aliter.* Uxor
epistolis, quæ in viri manu
inciderunt (sup. 3), ad
suos scribebat, Lepidu
insanum et sibi et aliis
videri. Huc quoque
detur superius fragm

9. *Occanuerunt.* P
Sic Tac. Ann. II, 8
tius *occanere* cor
pro *occinere.* Et

Ad Corycum. Urbem Ciliciæ. —
Pastusque nemore. Haverc. ad hæc :
« Rescribe : *urbem inclutam speca*
atque nemore. Nota sunt quæ Strabo,
Pomponius Mela et *Solinus de*
utroque illo naturæ miraculo scri-
pserunt. » Eodem modo interpre-
tatur *De Br.* II, 35. — *Ad Olym-*
pum atque Phaselida. Huc a Servilio
victi piratæ confugerunt.

18. *Apud Lethe oppidum.* Oppi-
dum in Lusitania, prope *flurium*
ejusdem nominis. Quo nomine ita
perterriti sunt Pompeii milites, ut
flumen transire nullo modo cogi
potuerint, rati se ex ea regione,
non magis quam ab *inferis*, redi-
turos. *De Br.* III, 80.

insuper adstantium

XV.

gravi cujus-
ice. *Serv. ad* IV
Sallustius in Ju-
gare vos singulos.
, *Sallust. in I :* Idem

supplicium[22] sanguine

s
39.
orio.
, etc.
n super-
: per ca-
ediam alti-
ibus eorum,
stabant, in

cie pars. Acie pro
LII, n. 1. — *Du-*
, non procul abfuit,
Interpretatur *De Br.*
npeii, adversus Serto-
a, ante oppidi Lauronis
onem : vid. sup. n. 12.
idem fecere Octavius et Q.
Hoc dici putat *De Br. Hist.*
, de iisdem de quibus Cicero
t. LXII : « M. Octavium, Cnæi
dium, qui tantum auctoritate di-
cendoque valuit, ut legem Sem-
proniam frumentariam, populi fre-

quentis suffragiis, abrogaverit..... Eodem Q. Cæpionem referrem, nisi, nimis equestri ordini deditus, a senatu dissedisset. » Et quidem Octavius plebeius plebis commoda minuebat, frumentarias largitiones minuendo (nam non omnino tollebat, ut patet ex Cic. Offic. II, 21); Cæpio patricius senatus auctoritati adversabatur, obstando Livianis Drusi legibus, quibus in judiciorum partem vocabantur senatores. Conjicit *De Br.* horum exemplo excusari a suis fautoribus Lepidum, qui leges Cornelias, nobilitati faventes, quamvis consul, rescindere vellet. De Cæpione et Druso, vide Vitam Philippi quam scripsit *De Brosses, Mémoire de l'Académie des Belles-lettres, tom. XXVII.* — *Ambiti.* Rogati.

22. *Supplicium.* Pro *supplicum.* Hoc ad cædes in urbe factas post Marii reditum pertinere existimat *De Br.* 1, 14.

cuncta hosti quam suis opportuniora videt [15]. *Nonius.*

Quum Sertorius neque irrumperet, tam levi copia, navibus fugam maturabat [16]. *Serv. Fuld. Messus.*

Itineris eorum Metellus per literas gnarus. *Arusian.*

Itaque Servilius ægrotum Tarenti collegam [17] prior transgressus, iter vortit ad Corycum urbem inclutam: pastusque nemore, in quo crocum gignitur. *Prisc. Non.*

Ad Olympum atque Phaselida. *Prisc.*

Apud Corycum. *Idem.*

Apud Lethe oppidum [18], cui nomen oblivionis condiderant. *Idem Serv. ad* I *Æneid.*

Repulsus a Lethe oppido. *Idem Prisc.*

Apud Mutinam. *Idem.*

Apud Præneste locatus. *Idem.*

Medio diei. *Messus.*

Quietam a bellis civitatem. *Idem.*

Militiæ peritus. *Idem.*

Sertorius portis turbam morantibus, et nullo, ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine, per calo-

15. *Et mox Fufidius.... videt.* In pugna quam ille, quum flumen Bætis transire vellet, adversus Sertorium sustinuit, et in qua victor fuit Sertorius. *De Br.* II, 8. Nota *facilem vadum*, masculino genere.

16. *Fugam maturabat.* Sertorius, quum ab Annio premeretur, Carthaginem novam, inde in naves confugit; Vid. sup. n. 13. Ita hoc intelligit *De Br.*, qui fragmentum illud multo ante superiora collocat, II, 4.

17. *Ægrotum.... collegam.* Lipsius putat Sallustium scripsisse, *ægroto collega.* Servilius et Appius naves Tarenti conscenderunt, bellum adversus Thracas, piratasque gesturi. *De Br.* I, 57, et II, 33. — *Ad Corycum.* Urbem Ciliciæ. — *Pastusque nemore.* Haverc. ad hæc: « Rescribe: *urbem inclutam specu atque nemore.* Nota sunt quæ Strabo, Pomponius Mela et Solinus de utroque illo naturæ miraculo scripserunt. » Eodem modo interpretatur *De Br.* II, 35. — *Ad Olympum atque Phaselida.* Huc a Servilio victi piratæ confugerunt.

18. *Apud Lethe oppidum.* Oppidum in Lusitania, prope fluvium ejusdem nominis. Quo nomine ita perterriti sunt Pompeii milites, ut flumen transire nullo modo cogi potuerint, rati se ex ea regione, non magis quam ab inferis, redituros. *De Br.* III, 80.

num corpora, ad medium quasi deinsuper adstantium manibus in murum attollitur [19]. *Non. Serv.*

Neque detrusus aliquotiens terretur. *Prisc.* Lib. XV.

Dubitavit acie pars [20]. *Idem.*

Quos inter maxume. *Charis.*

Rumore primo. *Charis.*

Idem fecere Octavius et Q. Cæpio [21] sine gravi cujusquam exspectatione, neque sane ambiti publice. *Serv. ad* IV *Æneid. : Ambire significat et rogare. Sallustius in Jugurtha : Quos ego audio ambire, fatigare vos singulos. Dicebatur et ambio illum, pro rogo, Sallust. in I :* Idem fecere, etc.

Quum aræ et alia dis sacrata supplicium [22] sanguine fœdarentur. *Idem.*

19. *Sertorius... attollitur.* Sc. in oppidum Calagurim, quo, victus a Metello, confugit. *De Br.* II, 59. Vide quoque Plutarch. in Sertorio. — *Ad medium quasi deinsuper*, etc. Lego : *ad medium quasi, dein super-adstantium manibus.* Id est : per calonum corpora, ad mediam altitudinem, deinde manibus eorum, qui super mœnibus stabant, in murum attollitur.

20. *Dubitavit acie pars. Acie* pro *aciei.* Vid. Jug. LII, n. 1. — *Dubitavit.* Nutavit, non procul abfuit, quin fugeret. Interpretatur *De Br.* de acie Pompeii, adversus Sertorium educta, ante oppidi Lauronis expugnationem : vid. sup. n. 12.

21. *Idem fecere Octavius et Q. Cæpio.* Hoc dici putat *De Br. Hist.* I, 50, de iisdem de quibus Cicero Brut. LXII : « M. Octavium, Cnæi filium, qui tantum auctoritate dicendoque valuit, ut legem Sempronium frumentariam, populi frequentis suffragiis, abrogaverit..... Eodem Q. Cæpionem referrem, nisi, nimis equestri ordini deditus, a senatu dissedisset. » Et quidem Octavius plebeius plebis commoda minuebat, frumentarias largitiones minuendo (nam non omnino tollebat, ut patet ex Cic. Offic. II, 21); Cæpio patricius senatus auctoritati adversabatur, obstando Livianis Drusi legibus, quibus in judiciorum partem vocabantur senatores. Conjicit *De Br.* horum exemplo excusari a suis fautoribus Lepidum, qui leges Cornelias, nobilitati faventes, quamvis consul, rescindere vellet. De Cæpione et Druso, vide Vitam Philippi quam scripsit *De Brosses, Mémoire de l'Académie des Belles-lettres, tom. XXVII.* — *Ambiti.* Rogati.

22. *Supplicium.* Pro *supplicum.* Hoc ad cædes in urbe factas post Marii reditum pertinere existimat *De Br.* I, 14.

Postremo ipsos colonos per miserias et incerta humani generis orare[23]. *Idem ad illud* X *Æneid.*

.... per eversæ genitor fumantia Trojæ
Excidia obtestor.....

Ea paucis, quibus peritia et verum ingenium[24] est, abnuentibus. *Idem.*

Perpenna[25] tam paucis profectus, vera est æstumanda. *Idem ad* XII *Æneid.* v. 694.

LIB. II.

Sardinia in Africo mari facie vestigii humani, in orientem, quam in occidentem latior prominet. *Gellius* L. XIII, c. 18. *Nonius: Faciem totius corporis formam,* πρόσωπον, *id est, os, posuit antiquitas prudens; ut ab aspectu species, et a fingendo figura, ita a factura corporis facies. Sallust.* Lib. II: Sardinia, etc. *Isidorus.*

Inde Ichnusa[1] appellata. *Solinus.*

Dubium an insula sit[2], quod euri atque austri superjactis fluctibus circumlavit. *Nonius, lavit pro lavat.*

Nam Sullam consulem, de reditu ejus legem ferentem,

23. *Postremo ipsos colonos... orare.* Idem hoc de Lepido intelligit, incolarum Sardiniæ misericordiam implorante, qui, ab ejus militibus vexati, eum armis persequebantur. *Hist.* II, 13.

24. *Verum ingenium.* Bonum et rectum. Vid. Orat. Phil. n. 20.

25. *Perpenna.* Is qui postea Sertorium occidit. Legatus Lepidi bellum in Sicilia tentabat, quum Lepidus mortuus est. Tunc e Sicilia cum paucis profectus Sardiniam petiit; collectasque ibi suarum partium reliquias ad Sertorium duxit in Hispaniam. *De Br.* II, 14. Quod ad grammaticam attinet, omnino corruptum est hoc fragmentum. Æque dicitur *Perpenna* et *Perperna.* Hoc magis antiquum.

LIB. II.

1. *Ichnusa.* Ab ἴχνος, vestigium. — *Appellata.* Sc. Sardinia.

2. *Dubium an insula sit.* Promontorium prope Cosam in Etruria, isthmo perangusto continenti junctum, quo victus a Catulo recessit Lepidus. *De Br.* I, 55. — *Circumlavit.* Colerus conjicit: *circumlavitur.* Nota etiam *superjactis*, pro *superjectis.*

ex composito trib. pl. C. Herennius prohibuerat[3]. *Notat Gellius* Lib. X, c. 20, *Sallustium proprietatis in verbis retinentissimum consuetudini concessisse, et privilegium, quod de Cn. Pompeii reditu ferebatur, legem appellasse.*

Nam procul, et diversis ex regionibus. *Charisius: Asper*, procul, *inquit, est e loco.*

Obviam fuere. *Charisius, ibid. Asper ait: vetuste* obviam fuere, *adverbio quam nomine uti maluit.*

Urbe patriaque extorres. *Messus.*

Genus militum suetum a pueritia latrociniis. *Idem.*

Inter læva mœnium[4], et dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo præterfluit. *Prisc.* Lib. V *et* VI : *Turiam dixit, qui accusativus generis masculini est, non neutri.*

In fiducia[5], quam argumentis, purgatiores dimittuntur. *Donatus, Phorm.* Act. I, Sc. III, *et Hecyr.* Act. IV, Sc. IV. *Nonius : Fiducia est audacia. Servius.*

Antequam regressus Sertorius instrueret pugnæ suos. *Arusianus.*

Ipse animi atrox. *Idem.*

Copiis integra. *Idem.*

3. *C. Herennius prohibuerat.* Quum, anno 674, Sylla, dictator simul et consul, legem ferret de revocando ex Africa Cn. Pompeio Magno, ubi reliquias adversarum partium persequebatur, legem ferri prohibuit tribunus plebis Herennius. Sic intelligit *De Br.* I, 27. — *Quod de Cn. Pompeii reditu.* Cortius et Bip.: *Quod de Cn. Pompeii* Magni patris *reditu.* Sed voces *Magni patris* non in Gellio leguntur.

4. *Inter læva mœnium.* Ita ut mœnia ad lævam sint; flumen autem, ad dexteram. Sic Cat. LIX, n. 3 : « Inter sinistros montes et, ab dextera, rupes aspera. » In eo loco castra habebant C. Herennius et Perpenna, Sertorii legati; quos aggressus Pompeius prælio vicit. Sertoriani ad decem et amplius millia interierunt. Inde oppidum Valentiam cepit Pompeius. *De Br.* II, 52.

5. *In fiducia.* Haverc. *Ita fiducia.* Donat. ad Ter. Andr. III, 5, 7, *Impudentiam* interpretatur. Verba Terentii : « *Qua fiducia* id facere audeam? » Nota, *fiducia quam argumentis purgatiores*, pro, *magis fiducia, quam argumentis purgati.* — *Antequam regressus.* Vide infr. n. 30.

Eodem anno in Macedonia C. Curio, principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit modis, dictas pecunias coegit. *Nonius, dicere, est promittere*[6].

Post, ubi in fiducia nimius. *Arusianus.*

Sed ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope litora regebat, Corsa nomine, Ligus mulier[7]. *Prisc.* Lib. VI.

Nam quædam Corsa nomine Ligus mulier, quum taurum ex grege, quem prope litora regebat, transnatare solitum, atque per intervalla, corpore aucto, remeare videret, cupiens scire incognita sibi pabula, taurum a ceteris degredientem usque ad insulam navigio prosequuta est. Cujus regressu insulæ fertilitatem cognoscentes Ligures, ratibus eo profecti, eamque nomine mulieris auctoris et ducis appellaverunt. *Isidor.* Lib. XIV, c. 6.

Ne illa tauro parata sint. *Donat.* Act. IV, Sc. II *Andr.*

Dædalum ex Sicilia profectum[8], quum Minois fugeret iram, atque opes. *Prisc.* Lib. VI. *Servius.*

6. *Nonius, dicere, est promittere.* Errat Nonius. *Dictæ pecuniæ* sunt *constitutæ, præscriptæ.* Phædr. IV, 5, 46 : « Et dictam matri conferent pecuniam. » Item, *dies, locus, tempus dicta*, eodem sensu usurpantur. Hanc Curionis expeditionem narrat *De Br.* III, 81. Facta est anno 681. Tunc primum romani exercitus ad Danubium usque processerunt. De eodem hoc bello meminit Flor. III, 4.

7. *Sed ipsi ferunt.... Ligus mulier.* Hoc sine dubio, e sequenti fragmento desumptum est, ubi narratur quomodo inventa sit insula Corsica, quæ Græcis Κύρνος dicebatur. — *Transnatare solitum.* Non opus est monere totum hoc meram fabulam esse; neque enim potuisse aut taurum natando, aut unam mulierem cymbulam per ignota maria regendo, tantum æquoris emetiri. — *Corpore aucto.* Pinguiorem factum. Verisimile est hanc de Corsica mentionem factam esse, ob fugam Lepidi, de qua supra, lib. I. — *Ne illa tauro parata sint.* Suspicor hic esse intelligendum, spatium, quo Liguria ab insula distat, prohibuisse, ne illa per tauri euntis redeuntisque occasionem parata et facta sint. Et sic quidem hoc interpretatur *De Br.* *ne* pro *nedum* accipiendo, quod libenter probaverim.

8. *Dædalum ex Sicilia profectum.* Nota omnibus fabula Dædali ex insula Creta evolantis. Hinc eum Virg. Æn. VI, 17, in urbem Italiæ maritimam Cumas adducit. Sed, si alii famæ creditur, de qua memi-

Quem ex Mauritania rex Leptasta[9] proditionis insimulatum cum custodibus miserat. *Prisc.* Lib. I.

Quos advorsum multi ex Bithynia volentes occurrere, falsum filium arguituri[10]. *Prisc.* Lib. X.

Ut actione desisteret. *Messus.*

Vespera. *Charisius*, Lib. II.

Argentum mutuum arcessivit. *Prisc.* Lib. X.

Eam deditionem[11] senatus, per nuncios Orestis cognitam, approbat. *Prisc.* Lib. VI.

Nisi qua flumen Lurda[12] Tauro monte defluens. *Id. ibid.*

Frugum pabulique lætus ager. *Arusianus. Servius*, Lib. I *Æneidos.*

Neque virgines[13] nuptum a parentibus mittebantur, sed ipsæ belli promtissumos delegebant. *Messus.*

nit etiam Servius ad locum citatum, prius Siciliam, atque inde Sardiniam petierat. Jam vero quis nescit, *alas* Dædali, si Dædalus unquam fuit, nihil aliud esse quam vela navis ab illo inventa? Quis nescit etiam *Dædalum* græcum nomen esse, δαίδαλος, quo *artifex* significatur? Ideo quidam plures Dædalos, ut plures Hercules numerant. De Dædalo, vide Silium, XII, 89, et Ovid. Metam. VIII; et de ejus in Sardiniam appulsu, *De Br.* II, 10.

9. *Rex Leptasta. De Br.* II, 6, hunc *Ascalisiphtham* vocat. Idem hoc fragmentum refert ad expeditionem Sertorii in Mauritania, de qua jam dictum est l. I, n. 13 (*Itaque Sertorius*, etc.). Sc. Rex Leptasta, seu Ascalisiphtha unum e regni sui principibus, tanquam proditorem, ad castra Syllanorum cum custodibus miserat, quem prælio victor Sertorius in bona sua restituit.

10. *Falsum filium arguituri.* Mithridates juveni cuidam regnum Bithyniæ vindicabat, suæ sororis et Nicomedis filium esse simulans. De hac re senatus in Asiam misit legatos, quibus obviam multi ex Bithynia ultro venere, ut falsum esse filium arguerent. *De Br.* III, 14; et inf. lib. IV, n. 9.

11. *Eam deditionem.* Deditionem Mædorum, qui populus in Thracia erat, diversus ab Medis asiaticis (Liv. XXVI, 25). Hos vicit Appius proconsul, de quo sup. lib. I, n. 21, Orat. Phil. Appio in illa ipsa regione exstincto successit Orestes, qui classem ducebat. *De Br.* I, 58.

12. *Flumen Lurda. De Br.* II, 39, Isaurum, quod oppidum tenebant piratæ, a Servilio obsessum narrans, solam hanc aquam habere intelligit.

13. *Neque virgines*, etc. Hic Sallustius Hispanorum mores describit. Non virgines ex parentum voluntate nubebant, sed fortissimum quemque ipsæ deligebant. *De Br.* II, 47, Nota, *promtissumos belli*, græco mo-

Modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem[14]. *Donat. Phorm.* Act. I, Sc. II.

Noctu diuque stationes et vigilias tentare. *Charis.* Lib. II.

At Lucullum[15] regis cura machinata fames brevi fatigabat. Multique commeatus interierant insidiis latronum. *Prisc.* Lib. VII, *et Nonius.*

Namque primum Jasonem[16], novo itinere maris, Æetæ hospitis domum violasse. *Prisc.* Lib. VIII.

Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii, mutato nomine Gadir[17], habent. *Prisc.* Lib. V.

Neque subsidiis, uti soluerat, compositis. *Prisc.* Lib. X: soluerat *autem est* solitus fuerat.

Neque inermes ex prælio viros quemquam agnoturum[18]. *Idem, ibidem.*

re; ut paulo ante, *pabuli lætus ager.*

14. *Modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem.* Hoc ad Pompeium refert *De Br.* v, 51. Vid. ejus effigiem a Velleio delineatam, II, 29, et non errasse interpretem judicabis.

15. *At Lucullum.* Quum adversus regem Mithridatem bellaret, A. U. C. 682. *De Br.* III, 83. — *Machinata.* Passive sumptum.

16. *Namque primum Jasonem.* Quum bellum Mithridaticum narraret Sallustius, satis et aliunde, et ex Festo Avieno constat Ponticas regiones fuse et luculenter descripsisse. Ideo hic Jasonem memorat, qui primus ignotas, trans Pontum Euxinum, terras Græcis aperuit. Multa de hac descriptione *De Br.* III, 87 et seqq. — *Violasse.* Rapto aureo vellere, abducta Medea, Æetæ filia.

17. *Tartessum.... mutato nomine Gadir.* Quo pulsus ab Annio Sertorius navibus appulit, antequam in Africam transiret; (vid. sup. lib. I, n. 13 et 16). *De Br.* II, 4. De hac urbe Festus Avienus:

Gadir prima fretum solida supereminet arce,
Attollitque caput geminis inserta columnis.
Hic Cotinussa prius fuerat sub nomine prisco,
Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni.
Barbara quinetiam Gades bene lingua frequentat;
Pœnus quippe locum Gadir vocat undique clausum.

Et Plin. IV, 22: « Timæus Cotinussam apud eos vocatam ait; nostri Tartessum appellant, Pœni *Gadir;* ita punica lingua *sepem* significante. » Ceterum multa disputat *De Br.* I, 34, an vere una et eadem sit urbs Tartessus et Gadir, seu Gades; qua de re dissentiunt doctissimi apud antiquos viri. Certe urbs de qua hic agitur, illa ipsa est, quam hodie vocamus *Cadix;* antiquissima urbium, quæ nunc in toto terrarum orbe exstent, quum Ninives, Babylonis, Tyri, Memphis et Thebarum nihil nisi ruinæ supersint, Gadium autem origo ad tempora Josue referatur.

18. *Agnoturum.* Vetus, pro *ag-*

Ea continentia vir gravis[19], et nulla arte cuiquam inferior. *Arusian. Non. in Gravis.*

Omnes, qui circum sunt, præminent altitudine millium passuum duorum. *Arusianus.*

* Et Pœni ferunt adversus A. N. C. M. *Donatus.*

Quia corpore et lingua percitum[20], et inquietem, nomine histrionis vix sani, Barbuleium appellabant. *Prisc.* Lib. VI.

Audaciter. *Idem*, XV.

Ibi Fimbriana seditione[21], qui regi per obsequelam orationis, et maxume odium Sullæ, graves carique erant. *Nonius : Obsequium, neutr. genere; obsequela, fem.*

Mœnibus deturbat. *Non. Deturbare.*

E muris canes sportis demittebant[22]. *Idem.*

niturum. De quo Diomedes, lib. I.

19. *Ea continentia vir gravis.* De Sertorio hoc dictum putat *De Br.* II, 16. — *Omnes... præminent. De Br.* III, 104, legit *præminet*, et intelligit Caucasum montibus, qui circum sunt, altiorem esse, ad duo millia passuum. Notat tamen eam esse, re ipsa, totam Caucasi altitudinem.

20. *Percitum.* Valde commotum; eodem sensu quo dicitur, *ira percitus.* Ex *per* et *cieo.* — *Barbuleium.* Nomen histrionis apud Val. Max. IX, 14. Hoc *De Br.* II, 27, ad Curionem refert, pro rostris concionantem, ne Sicinius adempta, Corneliis legibus, tribunitiæ potestatis jura per populum restitueret. De hoc Curione vide Cic. Brut. LX, et infra lib. III, n. 57.

21. *Fimbriana seditione.* Quum Sylla victor apud Orchomenum Mithridati Græciam eriperet, hostis publicus Romæ judicatus fuit. Igitur missus est consul Valerius Flaccus, qui, adempto Syllæ exercitus imperio, bellum adversus regem gereret. Sed Sylla imperium retinuit; Valerius suas copias in Asiam duxit cum legato Fimbria. Hic vero, militibus ad seditionem concitatis, ducem propera fuga Bysantio elapsum, dein Nicomediæ deprehensum interfecit. Mox Cyzicum, sociam urbem, infandis cædibus exterruit rapinisque vastavit. Denique Trojam ferro incendioque penitus excidit, iterum post undecim fere sæcula in ignes considentem. Quæ scelera ulturus Sylla quum aciem adversus Fimbriam pararet, ad eum transfugerunt Fimbrianæ legiones (Plut. in Sylla). Nonnulli ad Mithridatem concessere, inter quos L. Magius et L. Fannius, qui regi, ut legatos ad Sertorium de societate in Hispaniam mitteret, persuaserunt. Ad eam legationem hoc fragmentum refert *De Br.* III, 15, 20 et seqq. — *Graves.* Magnæ auctoritatis.

22. *E muris canes sportis dimittebant.* Carrio ait viros doctos, *cives*

Ad hoc rumoribus, advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando, corrumpebant [23]. *Idem.*

At Metellus [24] in ulteriorem Hispaniam post annum regressus, magna gloria concurrentium undique, virile et muliebre secus, per vias ac tecta omnium visebatur; quum quæstor C. Urbinus aliique, cognita voluntate, eum ad cœnam invitaverant; ultra Romanorum, et mortalium etiam morem curabant : exornatis ædibus per aulæa et insignia, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis; simul croco sparsa humus, et alia in modum templi celeberrumi. Præterea quum, sedenti, transenna demissum Victoriæ simulacrum, cum machinato strepitu tonitruum, coronam capiti imponebat : tum venienti, thure, quasi deo,

pro *canes* legendum, conjicere. Ceterum, quum Mithridates Cyzicum obsideret, tria millia Cyzicenorum, quos captivos habebat, ratibus advectos, in littore, inter urbis mœnia obsidentiumque stationes, fame aut vulneribus perituros exposuit, ratus hac miseratione cives ad deditionem adductum iri. Sed hi e muris aliquid vitæ sustentandæ suis demittebant. *De Br.* III, 35. Forsan legendum, *panes*.

23. *Ad hoc... corrumpebant.* Nempe socii Sertorii, tanti ducis fortunæ invidentes. His rumoribus accendebantur animi, donec eum per scelus necaret Perpenna. *De Br.* III, 76.

24. *At Metellus.* Is qui adversus Sertorium bellum gerebat, cognomine Pius, Numidici filius. — *Magna gloria concurrentium undique.* Glorioso hominum undique effusorum concursu. — *Virile et muliebre secus.* Quarto casu, subaudita præpositione. *Secus*, nomen generis *neutrius*, sine casuum mutatione, dictum pro *sexu*. Item Liv. XXVI, 47 : « Liberorum capitum virile *secus* ad decem millia capta. » Et Auson. Idyll. II, 8 :

Vesta, Ceres et Juno, *secus* muliebre, sorores.

— *Per..tecta.* Illum e tectis conspiciebant. — *Cognita voluntate.* Gnari, quid illi placeret. Nempe, qui juvenis fuerat frugi, et voluptatum modicus, jam senex in luxum proruperat. — *Curabant.* Absolute positum, ut sæpe. Potes intelligere, *convivium.* — *Ad ostentationem histrionum.* Ut ludi histrionales exhiberentur. — *Sedenti.* Sc. Metello. — *Transenna.* Vulgo est *fenestra*, aut etiam, quidquid fenestræ objicitur, ut cancelli, vitrum pellucidum, alia hujuscemodi. Sed hic, sine dubio, *transenna* est id, per quod transit machina Victoriam e laqueari demittens. Nisi malis cum Servio, ad Virg. Æn. V, 488, *transennam* interpretari *extentum funem.* — *Machinato.* Passive; machinatio-

supplicabatur. Toga picta plerumque amiculo erat ei accumbenti : epulæ quæsitissumæ; neque per omnem modo provinciam, sed trans maria, ex Mauritania volucrum et ferarum incognita antea plura genera : quibus rebus aliquantam partem gloriæ demserat, maxume apud veteres et sanctos viros, superba illa, gravia, indigna romano imperio existumantes. *Macrob. Saturnal.* Lib. II, c. 9. *Nonius. Sosipater*, Lib. I.

Ruuntque pars magna suismet, aut proxumorum telis; ceteri vice pecorum obtruncabantur [25]. *Nonius.*

Occurrere duci [26], et prælium accendere, adeo uti Metello in sagum, Hirtuleio in brachium tela venirent. *Idem.*

Avidisque ita, promtisque ducibus, uti Metellus ictu tragulæ sauciaretur. *Idem.*

Sed Metellus in vulnere. *Donat.* Act. V, Sc. II *Andr.*

Primo incidit forte per noctem in renunculo piscantis [27]. *Nonius.*

nis ope facto. — *Toga picta.* Cui variæ figuræ intextæ aut acu pictæ inessent. Triumphantium hic habitus erat. Plin. VIII, 48. — *Indigna romano imperio.* Indigna viro Romanis imperante. Conf. Val. Max. IX, I, 5.

25. *Obtruncabantur.* Hoc *De Br.* V, 22, ad pugnam refert, qua Lucullus immensum Tigranis exercitum apud Tigranocertam cecidit; qua clade fere exstincta fuit gens Armeniorum.

26. *Occurrere duci.* Hic narrabatur pugna Metelli adversus Hirtuleium Sertorii legatum, apud Italicam commissa; quæ urbs a Scipione condita, non procul ab Hispali (*Séville*), Trajanum Adrianumque imperatores, et poetam Silium Italicum tulit. *De Br.* II, 50. — *Ictu tragulæ.* Tragula, teli genus, dictum a trahendo (Varro, de Ling. Lat. IV); eo forte quod hamatum fuerit. Usus et hac voce Suidas : « Τραγόλας, ὅπλον ᾧ χρησάμενος ὁ Κόττας οὕτω δίαιον ἀφῆκε πληγήν, ὥστε τὸν ὁληθέντα διά τε τοῦ θώρακος καὶ διὰ τῶν πλευρῶν διαπεῖραι, καὶ τῇ γῇ προσηλῶσαι. » Metellus ab ipso Sertorio hoc vulnus accepit, in pugna apud Saguntum; *De Br.* II, 58.

27. *In renunculo piscantis.* Renunculum Gellius, X, 25, interpretatur navigium piscatorium. Alii scribunt, *lemunculum*, seu *lembunculum*, seu *lemnunculum*; græce λεμβάδιον. Sic fere Cortius. Nos tamen in Gellio nihil, nisi *lenunculum*, vidimus. — Incidit in hanc piscatoriam cymbam Mithridates e Nicomedia fugiens, quum hæc urbs a Cotta et

Ad hoc pauca piraticæ[28] adjungit actuaria navigia. *Idem in Piraticæ naviculæ.*

Omnia sacrata corpora[29] in ratem imposuisse. *Arus.*

Suos equites hortatus vado transmittit[30]. *Idem.*

Ictu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur. *Donatus, Adelph.* Act. III, Sc. II.

Circumventi, dextra, unde ferrum erat[31], saxa aut quid tale capiti affligebant. *Arusianus.*

Sed Metellus in ulteriore provincia. *Donat. ad Phorm.* Act. I, Sc. IV.

Immane quantum animi exarsere[32]. *Non. Nomen positum pro adverbio.*

Triario obsideretur. *De Br.* III, 54.

28. *Piraticæ.* Piratica est ipsa piratæ professio, inquit Henric. Steph. Thes. L. L. Hic forte intelligi debet *piraticæ classis.* — *Actuariæ naves*, Nonio sunt *celeres*, quod cito *agi* possunt; Budæo autem, naves quæ remis aguntur, non velis tantum. *De Br.* interpretatur naves mercatorias, sive onerarias; II, 4, et IV, 26.

29. *Omnia sacrata corpora.* Zenobius, Mithridatis legatus, Chios exutos armis, postquam duo millia talentorum ab iis extorsisset, aliquid justo ponderi deesse causatus, in naves imposuerat, deportabatque in Euxinum. — *Sacrata.* Fortasse, morti devota. *De Br.* III, 50.

30. *Vado transmittit.* Hic memoratur pugna Sertorii adversus Fufidium, in transitu fluvii Bætis. Huc quoque pertinet sup. n. 5, *antequam regressus;* et sequens, *ictu eorum*, etc. — *In flumine ruebant.* Donat. Ter. Adelph. III, 2, 21, *ruere* interpretatur, *toto corpore uti* (forte, *niti*) ad impellendum. Sed non hic valet, opinor, hæc interpretatio. Scil. Romani, *in flumine* pugnantes, necabantur casu Sertorianorum, qui in flumen ruebant. Dixit vero, *in flumine ruebant*, non *in flumen;* quia jam *in flumine erant* cadentes, quum casus eorum Romanos prosternebat. Factum narrat *De Br.* II, 8.

31. *Dextra, unde ferrum erat.* Scil. unde ferrum detractum erat. Hic agitur de legione, quæ, in Macedonia, recusaverat Curionem proconsulem sequi adversus barbaros. Huic legioni Curio arma signaque detraxit, ejus abolevit nomen, militesque per alias legiones distribuit. Hoc loco pingitur eorum dolor et desperatio. — *Circumventi.* A legionibus quæ in fide permanserant. *De Br.* II, 68.

32. *Immane quantum animi exarsere.* Possis supplere: *immane est, quantum*, etc. Ita Horat. Carm. I, 27:

Vino et lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat.

Item Cic. Orat. XXVI, «Sales.. in dicendo mirum quantum valent.» Et Græci sæpissime, θαυμαστὸν ὅσον.

At illi quibus res incognita erat[33], ivere cuncti ad portas incognita tendere. *Serv. F. Ursini.*

Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxit[34]. *Serv. Fuldanus.*

LIB. III.

Exaudirique sonus bacchanaliorum[1]. *Macr.* Lib. I, c. 4. *Saturn. Non.*

Diversa, uti solet rebus perditis, capessunt[2]: namque alii fiducia *gnaritatis* locorum in occultam fugam sparsi; alii globis eruptionem tentavere. *Prisc.* Lib. X. *Nonius.*

Unus constitit in agro Lucano, gnarus loci, nomine Publipor[3]. *Idem*, Lib. VI. *Probus*, *Catholicis.*

Male jam assuetum ad omnis vis[4] controversiarum. *Prisc.* Lib. VI.

33. *At illi quibus res incognita erat.* Locus manifesto corruptus. Suspicor, si quidem in re incertissima suspicari vacat: *At illi, quibus regio incognita erat, ruere cuncti ad portas; alii in cognita tendere.* Hoc autem refero ad fugam Sertorii, qui victus a Metello apud Saguntum, magnisque itineribus Calagurim petens, cum alia exercitus parte oppidum intravit; aliam, cui nota erat regio, dissolvi jussit, rursus loco dicto coituram. Vide lib. I, n. 19, et *De Br.* II, 59.

34. *Murum ... duxit.* Sc. collapsa erat Cyziceni muri pars, obsidente urbem Mithridate, diu multumque arietibus quassata. Eam noctu raptimque reficit Lysistrates. *De Br.* III, 42.

LIB. III.

1. *Exaudirique sonus bacchanaliorum.* Hic narrabat Sall., quomodo noctu, per fraudem, Heracleam intraverit Mithridates, dum, propter bacchanalia, civitas omnis ludis et voluptatibus dedita lasciviret. *De Brosses*, III, 55.

2. *Diversa... capessunt.* Hoc ad eamdem fugam refert *De Br.*, quam diximus supra, l. II, n. 33. An bene? nescio. Ut ut sit, nota vocabulum *gnaritas*, ab adjectivo *gnarus*, quod est a græco γνώριμος; unde etiam, detracto *g*, *narrare*, id est *gnarum* (seu notum) facere.

3. *Publipor.* Is, interfecto in pugna Spartaco, reliquias servorum fugitivorum collegit, bellumque redintegrasset, nisi in exercitum Pompeii, ab Hispania redeuntem, incidisset. A Pompeio victus omninoque deletus est. *De Br.* IV, 70. *Publipor* est, *Publii puer*, vel *servus.*

4. *Ad omnis vis.* Rarum hoc in

Conjuratione claudit. *Idem*, Lib. X.

Quasi[5] par in oppido festinatio, et ingens terror erat, ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur : nam mœnia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis advorso æstu maris. *Nonius in Mador.*

Equis et armis decoribus cultus. *Prisc.* Lib. VI.

Dedecores[6] inultique terga ab hostibus cædebantur. *Idem.*

Contra ille calvi[7] ratus quærebat, num somnio thesaurus portenderetur. *Idem*, Lib. VIII. *Non. in Calvitur.*

Parte consumta, reliqua cadaverum ad diuturnitatem usus sallerent[8]. *Prisc.* Lib. X.

plurali affert Prisc. etiam ex Lucretio, II :

Sed quam multarum rerum eis possidet in se
Atque potestatem.

5. *Quasi.* Fere. — *Ex latere.* Muri lateritii, recens exstructi. — *Advorso æstu maris.* Ingens procella classem Mithridatis, Cyzicum obsidentis, dissipaverat. Sed non multo minor erat in urbe pavor, quum influens per cloacas unda madefactos muros subrueret. *De Br.* III, 42.

6. *Dedecores.* Disputant docti an sit *decores*, an *dedecores*. Certe si iidem designantur, qui proximo verbo, *inulti*, dedecores, id est *indecori* sunt.

7. *Calvi*, rarissimum verbum, ex *calvere*, id est *decipere*, *frustrari*. Plaut. Casin. II, 2, 4 :

Ubi domi sola sum, sopor manus calvitur.

Pacuv. in Medo : « Sentio, pater, te vocis *calvi* similitudine. » In primo exemplo *deponens* est; in altero, *passivum*. Ex *calvo*, calumnia. Ceterum, Antigonus rex Syriæ sibi per somnum visus est aurum in campo serere, ex quo natam segetem Mithridates, Ponti satrapes, in suam provinciam auferebat. Incertus rex an thesaurus sibi, an defectio Mithridatis portenderetur, suspecto juveni insidias meditatus est; qui a Demetrio, regis filio, monitus fugit ex aula, et se suosque a Syriorum dominatione exemit. Is, cognomine *Ctistes*, regnum condidit, quod postea tanta illustravit gloria Mithridates Eupator, infensissimus Romanorum hostis. *De Br.* III, 2.

8. *Sallerent.* Sale condirent. Æque dicitur *sallire* et *sallere*. Ad nefandas istas dapes fame compulsi sunt Calaguritani ab Afranio Pompeii legato obsessi. Val. Max. VII, 6, 3: « Horum (Numantinorum) trucem pertinaciam in consimili facinore Calaguritanorum exsecrabilis impietas supergressa est : qui, quo perseverantius interempti Sertorii cineribus, obsidionem Cn. Pompeii frustrantes, fidem præstarent, quia nullum jam aliud in urbe eorum supererat animal, uxores suas natosque ad usum nefariæ dapis verterunt. Quoque diutius armata ju-

Epistola Cn. Pompeii ad senatum[9].

« Si advorsus vos patriamque et deos penates tot labores et pericula suscepissem, quotiens[10] a prima adolescentia ductu meo scelestissumi hostes fusi, et vobis salus quæsita est; nihil amplius in absentem me statuissetis, quam adhuc agitis, patres conscripti; quem contra ætatem pro-

ventus viscera sua visceribus suis aleret, infelices cadaverum reliquias sallire non dubitavit. » Vid. etiam *De Br.* IV, 62. Eamdem rem innuit Florus, III, 22, his verbis : « Et infame nihil non experta Calaguris. » Item Juv. Sat. XV, 93 :

Vascones, ut fama est, alimentis talibus usi
Produxere animas : sed res diversa, sed illic
Fortunæ invidia est, bellorumque ultima, casus
Extremi, longæ dira obsidionis egestas.

9. *Epistola Cn. Pompeii ad senatum.* Quum, A. U. C. 679, C. Cotta et L. Octavio consulibus, cœli intemperies et maria prædonum latrociniis interclusa magnam annonæ penuriam Romæ fecissent, *pecunia quæ ad Hispaniense bellum Metello facta erat* (ut dicetur in Fragm. incert. libr. n. 33), ad paranda urbi cibaria conversa est. Nec Pompeio magis, alterum in Hispania exercitum ductanti, subventum fuisse satis per se apparet. Præterea, duob. annis proximis, fruges, in ea quam ille tenebat regione, angustius provenerant. Igitur, anno sequente, magna fames exercitum quoque urgebat; neque minor erat pecuniæ, quam ciborum inopia. Quæ postquam utraque a senatu crebris litteris et legatis frustra efflagitasset, tandem hanc epistolam scribit, irarum plenus et non obscure minitans se cum exercitu in Italiam reversurum. Qui metus populum exterruit, ne redeuntem Pompeium Sertorius insuper hostis sequeretur, imo etiam anteveniret. Simul consul Lucullus metuebat ne sibi præriperetur a Pompeio belli Mithridatici imperium, quod Pompeius, ut præclarum magis, secreto concupiscebat. Itaque commeatum et pecuniam misit senatus. Hoc factum est biennio ante finem belli Sertoriani. Vid. *De Br.* III, 29 et 30 : *Dureau Delamalle*, Vol. I; *Rollin* et *Crevier*, *Hist. Rom.* l. 34.

10. *Quotiens.* Pro *quoties.* Hoc adverbium non intellige *toutes les fois que*; sed *autant de fois que*, et refer ad antecedens *tot.* Sensus : Si contra vos fecissem, quæcumque pro vobis feci; non vos aliter mecum ageretis, quam nunc agitis. — *A prima adolescentia.* Tres et viginti duntaxat annos natus Pompeius se ipse creavit imperatorem, conscriptumque privatis opibus in Piceno exercitum ad Syllam duxit, novus belli adversus Marium Carbonemque socius. Plut. in Pomp. — *Scelestissumi hostes.* Marius juvenis et Carbo. — *Adhuc.* Ad hoc tempus. — *Contra ætatem.* Duodetriginta annos natus, ad Sertorianum bellum missus est, cum proconsulari im-

jectum ad bellum sævissumum, cum exercitu optume merito, quantum est in vobis, fame, miserruma omnium morte, confecistis. Hac in spe populus romanus liberos suos ad bellum misit? hæc sunt præmia pro volneribus, et totiens ob remp. fuso sanguine? Fessus scribundo mittundoque legatos, omnes opes et spes privatas meas consumsi; quum interim a vobis per triennium vix annuus sumtus[11] datus est. Per deos immortales, utrum censetis me vicem ærarii præstare, an exercitum sine frumento et stipendio habere posse? Equidem fateor, me ad hoc bellum majore studio, quam consilio, profectum: quippe qui nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi, hostesque in cervicibus jam Italiæ agentes[12] ab Alpibus in Hispaniam summovi; per eas iter aliud, atque Hannibal, nobis opportunius patefeci; recepi Galliam, Pyrenæum, Laletaniam, Indigetes; et

perio, quamvis nullum adhuc magistratum gessisset. Hic errat *De Br.* (11, 23), tres et viginti tantum dicendo. — *Projectum.* Nota maximam vim hujus verbi. Sic. Virg. Æn. XI, 360:

Quid miseros toties in aperta periculа cives
Projicis?

11. *Annuus sumtus.* Pecunia aut frumentum, quæ in unum annum sufficiant.

12. *Hostesque in cervicibus jam Italiæ agentes.* Barbaros videlicet, forsan a Sertorio concitatos, qui iter Pompeii impedire nitebantur. — *Iter aliud atque Hannibal.* Pompeius, teste Appiano, Bell. Civ. I, Alpes transivit inter fluviorum Rhodani atque Eridani fontes, per jugum, quod hodie dicitur *le St. Gothard.* Sed per Eridanum, non Padus, ut vult Appianus, sed Ticinus intelligi debet, quia non prope Rhodanum Padus oritur. Error Appiani inde nascitur, quod nomen Eridani multis amnibus commune fuit. Imo et noster Rhodanus, a Philostrato et Athenæo Eridanus quoque vocatur. Nec mirum, quum Rhenus, Rhodanus, Eridanus, Ga-Rumna, unius atque ejusdem originis sint cum græco ῥέειν, *fluere;* nec aliter differant ΡΗεδανός et ΗΡιδανός, quam quia H, ante vel post P, positum est. Attende autem H, quod nunc est in græcis litteris E longum, prius fuisse aspirationem, quæ dicitur *spiritus asper.* Vid. *De Br.* II, 24. — *Indigetes.* Id nomen Hispanicis nationibus fuit, prope Ilergetes, teste Plinio, III, 3; unde patet sine causa hoc ab nonnullis mutari, et rescribi Ilergetes. Ceterum si nomen latinum est *Indigetes,* non aliud sonat, quam *aborigines,* de quibus vide Cat. VI.

primum impetum Sertorii victoris, novis militibus et multo paucioribus sustinui : hiememque in castris inter sævissumos hostes, non per oppida, neque ex ambitione mea[13], egi. Quid dein prælia, aut expeditiones hibernas, oppida excisa, aut recepta enumerem ? quando res plus valent, quam verba. Castra hostium apud Sucronem capta, et prælium apud flumen Durium[14], et dux hostium C. Herennius cum urbe Valentia et exercitu deleti, satis clara vobis sunt : pro quis, o grati patres, egestatem et famem redditis. Itaque meo et hostium exercitui par conditio est : namque stipendium neutri datur ; victor uterque[15] in Italiam venire potest. Quod ego vos moneo, quæsoque ut animadvortatis; neu cogatis necessitatibus privatim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, quæ non ab hostibus tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus; præter maritumas civitates, quæ ultro no-

13. *Neque ex ambitione mea.* Neque ita ut, per ambitionem, milites indulgentius haberem. *Ambitionem* vero intellige, militaris gratiæ captationem, ut in Jug. XLV, n. 1.

14. *Apud flumen Durium.* Idem intelligit *De Br.*, quod, lib. II, n. 4, *Turiam* vocavit Sallustius, hodie *le Guadalaviar*, quod Valentiam parvo intervallo præterfluit. Hoc monuimus, ne quis illud accipiat pro multo majore amne, quem Durium vocat Plin. IV, 21, nunc *le Duero*, Lusitaniam interfluentem. Ceterum, ut monet *De Br.*, syllaba *Thur*, vel *Dur* in celticis vocabulis *aquam fluentem* designabat; unde non mirum est idem fere nomen multis amnibus fuisse. Hæc origo in multis etiamnum gallicis locorum nominibus facile agnoscitur.

15. *Victor uterque.* Pompeii nempe exercitus, qui, prælii victor, fame tamen pelletur ex Hispania; Sertorii exercitus, qui, licet prælii victus, Italiam, nemine prohibente, invadet, sicque pro victore erit. — *Neu cogatis necessitatibus.* Hæc verba sic junge; non, *consulere necessitatibus.* Vulgare est, *cogere necessitate;* ubi *necessitas* in genere sumitur, LA NÉCESSITÉ. Hic autem *necessitates* sunt, LES BESOINS. — *Ad internecionem vastavimus.* Magis obvium est *cædere exercitum ad internecionem*, quam *vastare regionem aliquam ad internecionem.* Hoc intelligi potest: *Ita vastare, ut quæcumque fert aut alit tellus, intereant.* — *Ultro.* Insuper. Non modo nihil nobis suppeditant maritimæ civitates, sed *insuper* nobis oneri et sumptui sunt. Emporium, Tarraconem et Saguntum innuit, quæ civitates in reipublicæ partibus erant. Animadverte hunc sensum adverbii *ultro*,

bis sumtui onerique. Gallia, superiore anno, Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit : et nunc malis fructibus[16] ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum etiam fidem consumsi. Reliqui vos estis : qui nisi subvenitis, invito et prædicente me, exercitus hinc, et cum eo omne bellum Hispaniæ in Italiam transgredientur.»

Namque his præter solita vitiosis magistratibus[17], quum per omnem provinciam infecunditate biennii proxumi grave pretium fructibus esset. *Non. Grave, multum.*

Hi saltibus occupatis, Termestinorum[18] agros invasere: frumentique ex inopia gravi satias facta. *Idem, Satias pro satietas.*

Neque jam sustineri poterat immensum aucto mari, et vento gliscenti. *Idem, Gliscit est congelascit, colligitur, ignescit, crescit*[19].

Ac tum maxume[20], uti solet extremis in rebus, sibi

quod fit ab *ultra* (ut *citro* a *citra*), et *progressionem* aliquam, seu *motum ulterius ferentem* significat. Nec alia causa est, cur *ultro* tam commode significet, *sponte sua*. Sed ob eamdem originem, non minus facile illud interpreteris, *insuper*.

16. *Malis fructibus*. Quum angustus frugum proventus fuerit. — *Vix agitat*. Vix se ipsa sustentat. Sic l. I, Orat. Lep. n. 7 : *agitandi inops*. — *Fidem consumsi*. Gallice: *j'ai épuisé mon crédit*.

17. *Vitiosis magistratibus*. Haverc. proponit, *vitiosis magis æstatibus;* optime, ut opinor. Hoc refer ad frugum inopiam, de qua supra n. 9. Ceterum, *vitiosi* magistratus sunt, magistratus *vitio creati*. Sed non apparet, quid hoc ad rem.

18. *Termestinorum*. Hoc ex Lipsio reposuimus, pro vulgato, *tum externorum*. *Termestini* erant citerioris Hispaniæ populi. Eos quoque intellexit *De Br.* III, 30. Scilicet Pompeius, donec senatus ei subveniret, in illam regionem exercitum duxit, ibique frumentum abunde invenit. — *Satias*. Hoc nominativo usi quoque sunt, Livius, XXVII, 49 : « Adeoque etiam victores sanguinis cædisque ceperat satias; » et Silius, IV, 110 :

Nec finis satiasve, novi sed sanguinis ardor.

19. *Vento gliscenti*. Ex omnibus Nonii interpretationibus ultima tantum vera est. *crescit*. — *Immensum aucto mari*. Quum mare valde intumuisset. Hoc *De Br.* II, 4, ad fugam Sertorii ab Annio pulsi refert, vide sup. l. II, n. 28 et 17.

20. *Ac tum maxume*. De Cyzicenis agitur ; quum Mithridates, machinis et turribus admotis, urbem, mari simul et terra, expugnare conaretur. *De Br.* III, 41.

quisque carissumum domi recordari, cunctique omnium ordinum extrema munia sequi. *Idem, Munia, officia.*

Et forte in navigando cohors una[21], grandi faselo vecta a ceteris deerravit, marique placido a duabus prædonum myoparonibus circumventa. *Idem, in voce Faselus, et Myoparo.*

Eum, atque Metrophanem[22] senatus magna industria perquirebat, quum per tot scaphas, quas ad ostia cum paucis fidis percunctatum miserant. *Idem, et Charisius*, Lib. I.

Duos quam maxumos utres levi tabulæ subjecit[23]: qua super, omni corpore, quietus, invicem tractu pedis quasi gubernator. exsisteret : ea inter molem atque insulam, mari vitabundus classem hostium, ad oppidum pervenit. *Idem.*

Nam qui enare conati fuerant[24], icti sæpe ferramentis navium, aut vulnerati a suis, aut adflicti alveos, unda-

21. *Cohors una.* Quæ cum prætore Bellieno in Siciliam navigabat. Captum Bellienum prædones in mare dejecerunt. *De Br.* II, 31. — *Myoparonibus.* Genus navigii.

22. *Eum atque Metrophanem.* Luc. Magium et Metrophanem, quos Mithridates ad Sertorium legatos miserat. Scilicet eos intercipere cupiebat senatus. Vide sup. l. II, n. 21. — *Quum per tot scaphas.* Facile apparet hic aliquid deesse, ad quod illud referatur. — *Ad ostia.* Ad fluminum in mare exitus; quo sensu *ostia* semper, plurali numero, dicuntur, teste Charisio, I.

23. *Duos .. utres .. tabulæ subjecit.* Sermo est de milite aliquo, ex Fimbrianis legionibus, quem Lucullus Cyzicum misit, obsessis nunciaturum se cum exercitu advenire. — *Invicem tractu pedis.* Alterno pedum motu. Legere malim, *in vicem.* Sed nihil fere interest. — *Inter molem atque insulam.* Eam scilicet insulam in qua erat Cyzicus. Flor. III, 5 : «Fiduciam oppidanis resistendi nuncius fecit, docens adventare Lucullum; qui, horribile dictu, per medias hostium naves, utre suspensus, et pedibus iter adgubernans, videntibus procul, quasi marina pistrix evaserat.»

24. *Nam qui enare conati fuerant.* Scilicet in ea tempestate, quæ Mithridatis, Cyzicum obsidentis, naves turresque navibus impositas disturbavit. Vid. sup. n. 5. — *Adflicti alveos.* Carrio addit *ad.* Forte subaudivit Sallustius; ut, *adsidere mœnia.* Undarum vi adfligebantur ad navium alveos.

rum vi, mulcato fœde corpore, postremo tamen periere. *Idem, et Arusian. Messus.*

Nam tertia tunc erat, et sublima[25] nebula cœlum obscurabat. *Non.*

Illum nautis forum. *Idem.*

Oratio Macri Licinii[26] tribuni plebis ad plebem.

« Si, Quirites, parum existumaretis[27], quod inter jus a majoribus relictum vobis, et hoc a Sulla paratum servitium interesset; multis mihi disserendum fuisset, docendumque, quas ob injurias, et quotiens a patribus armata plebes secessisset; utique vindices paravisset omnis juris sui, tribunos plebis. Nunc hortari modo reliquum est,

25. *Sublima.* Pro *sublimis.* — *Illum nautis forum.* Nonius dicit *forum* hic masculini generis esse. Malim credere Sallustium dixisse *illum* pro *illud.*

26. *Oratio Macri Licinii.* Meminisse attinet omne fere jus tribuniciæ potestatis a L. Sylla sublatum fuisse. Illud primus restituere tentavit consul Lepidus; dein, A. U.C. 678, Sicinius tribunus plebis, cui obstitit consul C. Scribonius Curio. Anno sequente C. Aurelius Cotta, consul, jus ceteros magistratus adipiscendi reddidit tribunis. Cetera recuperare conatus est, A. 680, tribunus Quinctius; sed is quoque frustra fuit. Denique A. 681, L. Cassio Varo, et M. Terentio Lucullo consulibus, rem denuo aggreditur C. Licinius Macer; quæ tamen, usque ad reditum Pompeii adhuc in Hispania bellantis, dilata est. Nemo nescit Pompeium consulem cum M. Licinio Crasso, A. 684, jura tamdiu tamque acriter vindicata tandem populo restituisse.

Qui hic loquitur, *C. Licinius Macer*, ejusdem gentis, sed non earundem partium erat, quam *M. Licinius Crassus*, postea cum Cæsare et Pompeio triumvir. C. Macrum inter oratores nominat Cic. Br. LXVII. Ejus, non vulgarem sane, mortem narrat Val. Max. IX, 12, 7. Macer filium habuit Licinium Calvum, oratorem Ciceroni in diverso genere prope parem, de quo Cic. Brut. LXXXII.

27. *Si... parum existumaretis.* Si non satis intelligeretis. — *Utique.* Docendumque fuisset, uti plebes sibi paravisset tribunos. — *Ire primum via.* Reliquum est, ut ego primus viam ingrediar, qua libertatem vindicari posse arbitror. Cortius intelligit *primum*, ante omnia.

et ire primum via, qua capessundam arbitror libertatem. Neque me præterit, quantas opes nobilitatis solus, impotens[28], inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam; quantoque tutius factio noxiorum agat, quam soli innocentes. Sed præter spem bonam ex vobis, quæ metum vicit, statui certaminis advorsa pro libertate potiora esse forti viro, quam omnino non certavisse. Quamquam omnes alii, creati pro jure vestro, vim cunctam et imperia sua, gratia, aut spe, aut præmiis, in vos convortere; meliusque habent mercede delinquere, quam gratis recte facere. Itaque omnes concessere jam in paucorum dominationem[29], qui per militare nomen, ærarium, exercitus, regna, provincias occupavere, et arcem habent ex spoliis vestris: quum interim, more pecorum, vos, multitudo, singulis habendos fruendosque præbetis, exuti

28. *Impotens.* Sine potentia; debilis. Nota obiter rarum hunc sensum vocabuli *impotens.* — *Inani specie magistratus.* Quoniam nihil tribunis, nisi nomen inane a Sylla relictum fuerat. — *Factio noxiorum.* Noxii, id est, nobiles, qui in factionem coalescentes plus possunt, quam populus, cujus vis soluta atque diversa est (Jug. XLI, n. 7). — *Soli innocentes.* Innocentes, qui *soli*, id est, nullius factionis sunt. — *Sed præter spem bonam*, etc. Id est, sed præterquam spes bona, quam de vobis concepi, metum meum superavit; persuasum insuper habeo, potius esse viro forti etiam infeliciter pro libertate certavisse, quam omnino non certavisse. — *Omnes alii.* Ceteri magistratus qui potestatem plebi tuendæ acceptam, ad eam opprimendam convertunt. Hoc de solis tribunis intelligit gallicus interpres *Beauzée;* sed non attendit *vim* omnem tribunis eripuisse Syllam: *imperium* autem nunquam habuerant; nec *spes* quidem illis tunc supererat, præcluso ad alios honores aditu. — *Gratia, aut spe, aut præmiis.* Supple, *corrupti, depravati.*

29. *Omnes concessere jam in paucorum dominationem.* Eodem sensu, quo Catil. XX: « Respublica in paucorum jus atque ditionem concessit. » — *Per militare nomen.* Sub specie belli adversus hostes reipublicæ gerendi. — *Arcem habent ex spoliis vestris.* Vos spoliavisse, illis pro munimento est. Eadem fere pluribus verbis, Jug. XXXI, n. 13: « Pars eorum occidisse tribunos plebis, alii quæstiones injustas, plerique cædem in vos fecisse; pro munimento habent. Ita quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est. » — *Multitudo.* Dictum per oppositionem sequenti, *singulis.* — *Habendos.* Possidendos. Populum

omnibus quæ majores reliquere : nisi quia vobismet ipsi per suffragia, uti præsides olim, nunc dominos destinatis. Itaque concessere illuc omnes[30]: et mox, si vestra receperitis, ad vos plerique; raris enim animus ad ea, quæ placent, defendenda; cetera validiorum sunt. An dubium habetis[31], ne officere quid vobis uno animo pergentibus

romanum admonet, quanto in contemptu vivat, quem, ut vile pecus, habeant possideantque pauci nobiles.—*Nisi quia.* Nisi quod. « Omnia, inquit, amisistis, præter jus suffragiorum, quibus dominos vobis, non præsides, ut olim, imponitis. » Excipit ironice, quod eos maxime mordeat, et pudore afficiat; pudendum enim jus, quo populus ipsemet sibi, libertatis nomine, servitutem injungit! In toto hoc, a verbis, *itaque omnes concessere*, manifesta Demosthenis imitatio est, Olynth. III, circa finem : νῦν δὲ τοὐναντίον, κύριοι μὲν τῶν ἀγαθῶν οἱ πολιτευόμενοι, καὶ διὰ τούτων ἅπαντα πράττεται. Ὑμεῖς δὲ, ὁ δῆμος, ἐκνενευρισμένοι, καὶ περιῃρημένοι χρήματα καὶ συμμάχους, ἐν ὑπηρέτου καὶ προσθήκης μέρει γεγένησθε.

30. *Concessere illuc omnes.* Omnes factioni paucorum ipsi se adjunxere. — *Ad vos plerique.* Sc. Concedent. Haverc. addit, *redibunt*, sine veterum librorum auctoritate. — *Raris.* Paucis. Hæc dicit ille : « Si populus sua jura vindicaverit, omnes a nobilibus ad illum se convertent. Pauci enim homines ita valent animo, ut partes, quas semel amplexi sunt, diu defendant. Major pars se statim potentioribus adjungit. » Quod hic de republica, idem de philosophia dicit unus e nostris, *Guenard, Disc. sur l'esprit philosophique :* « *Il est aisé de compter les hommes fameux qui n'ont pensé d'après personne, et qui ont fait penser d'après eux le genre humain. Seuls et la tête levée, on les voit marcher sur les hauteurs; tout le reste des philosophes suit comme un troupeau.* » Hic per *cetera*, intellige, *tout le reste des hommes.* Carrio affirmat libros omnes habere, *ceteri*; eodem sensu. Cortium et allatas ab eo auctoritates sequuti sumus. Ceterum ne ignores, lector, omnia hæc aliter capere eumdem Cortium. Scilicet parenthesi includit : (*raris enim animus ad ea, quæ placent, defendenda*); ita ut, *cetera validiorum sunt*, jungatur cum verbis, *ad vos plerique.* « Mox, inquit, si vestra receperitis, ad vos plerique concedent; cetera validiorum sunt. Hoc est, *cetera*, ærarium, regna, provinciæ, *validiorum* (vestra, quando ita plus valetis) *sunt.* » Deinde hoc comparat, cum sententia Catil. XX, n. 23 : « Tantummodo incepto opus est; cetera res expediet. » Non absurdum sane; sed quod, cum optimis interpretibus prætulimus, verissimum quoque est, et certe minus vulgaris sententiæ.

31. *An dubium habetis.* An timetis, ne quid vobis obstare possit, quum omnes uno animo adversus paucorum factionem pergetis; quum ii vos, quamvis languidos et socordes, pertimuerint? Pertimue-

possit, quos languidos socordesque pertimuere? Nisi forte C. Cotta, ex factione media consul, aliter quam metu, jura quædam tribunis plebis restituit. Et quamquam L. Sicinius primus de potestate tribunicia loqui ausus, mussantibus vobis, circumventus erat; tamen prius illi invidiam metuere, quam vos injuriæ pertæsum est. Quod ego nequeo satis mirari, Quirites: nam spem frustra fuisse intellexistis. Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis: ortus est longe sævior Catulus[32]. Tumultus intercessit Bruto et Æmilio Mamerco

runt autem; nam non aliam ob causam, quam ob metum, C. Cotta jura quædam tribunis restituit. De hac restitutione vide sup. n. 26; et Ascon. in Cic. pro Cornelio. — *Ex factione media consul.* Ex ipsa inimicorum vestrorum factione depromptus ad consulatum. Sic fere interpretatur *Dureau de la M.*; et jure, ut opinor. Nam, quum istius factionis esset C. Cotta, certe nihil, nisi metu coactus, plebi concedere potuit. Ceterum *De Br. factionem mediam* intelligit eorum, qui inter populi universi consensum et paucorum nobilium dominationem medium iter, in rebus administrandis, tenere constituerunt; hancque factionem vocat, *un tiers parti.* Quæ si unquam Romæ fuit, non *mediam* aut *tertiam* diu, sed mox *nullam* fuisse credere licet. Qualis est enim factio, quæ neque *multitudine*, neque *paucis* nititur, sicque ex neminis voluntate rempublicam gerit? — *Mussantibus vobis.* Non reclamantibus, sed occulto tantum murmure sortem ejus querentibus. — *Circumventus erat.* Sicinius, dum omni ope niteretur, ut tribuniciæ potestatis jura vindicaret, necatus in suo lecto inventus est. Eum Curionis consulis insidiis interceptum fuisse vulgo suspicati sunt. — *Invidiam.* Odium iramque vestram. « Illi prius, odii vestri metu, aliquid de tyrannide sua remiserunt, quam vos, injuriarum tædio, illis obviam ivistis. » — *Spem frustra fuisse.* Frustra vos speravisse, nobiles aliquem demum injuriæ finem facturos.

32. *Catulus.* Is qui consul collegæ sui Lepidi conatus repressit; Q. Catuli, Cimbrorum victoris et Mariana invidia oppressi, filius, vir in corrupto sæculo probitatis integerrimæ, nec in rebus civilibus minor, quam Pompeius in bellicis, teste Cic. de Off. 1, 22. Hunc, quem Sylla ipso sæviorem vocat Macer, egregie absolvit honorificentissimum populi romani judicium. Quum enim legem Gabiniam, qua Pompeio adversus piratas bellaturo imperium totius fere orbis committebatur, dissuadens Catulus « in concione dixisset (inquit Vell. II, 31), esse quidem præclarum virum Cn. Pompeium, sed nimium jam liberæ reipublicæ, neque omnia in uno reponenda, adjecissetque: si

consulibus[33]; dein C. Curio ad exitium usque insontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quinctium, vidistis. Quantæ denique nunc mihi turbæ concitantur! Quæ profecto incassum agerentur, si, prius quam vos serviundi finem, illi dominationis facturi erant : præsertim quum his civilibus armis[34] dicta alia, sed certatum utrimque de dominatione in vobis sit. Itaque cetera ex licentia, aut odio, aut avaritia in tempus arsere : permansit una res modo, quæ utrimque quæsita est, et erepta in posterum, vis tribunicia, telum a majoribus libertati paratum. Quod ego vos moneo quæsoque,

quid huic acciderit, quem in ejus locum substituetis? succlamavit universa concio : te, Q. Catule. » Hic igitur tribunus invidiose magis, quam ex vero, loquitur.

33. *Bruto, et Æmilio Mamerco, consulibus.* Nempe anno 677, quo maxime deflagravit bellum Lepidanum. — *C. Curio.* Consul cum Cn. Octavio, anno 678. — *Insontis tribuni.* Sicinii. — *Lucium Quinctium.* Hunc Cic. Brut. LXII, vocat aptissimum turbulentis concionibus oratorem. De eodem, concitatisque ab eo turbis civilibus meminit idem Cic., pro Cluent. XXXIV, XXXIX, XL, et passim. — *Si..facturi erant.* Pro *essent;* ut sæpe alibi : rarius tamen quum, ut hic, alterum verbum *subjunctivi modi* est. *Quæ incassum agerentur*, referendum est ad omnia antecedentia. « Inutile fuisset illis, inquit, omnia hæc agere, id est, adversus Lepidum, dein Siciuium, postea Quinctium, postremo me ipsum, tam atrociter insurgere, si finem suæ dominationi ultro facturi fuissent. Ergo vos esse oportet, qui finem vestræ servituti faciatis. »

34. *His civilibus armis. Armis* dixit criminose, pro *contentionibus.* Nam res, sub Lepido tantum, ad arma civilia deducta fuerat. — *Dicta alia.* Tot certaminibus nunc hanc, nunc illam, speciem prætenderunt; Sed una semper fuit causa : ut vos serviretis, illi imperarent. — *Certatum utrimque.* Hoc fuit inter defensores vestros et nobiles certamen, an factio nobilium in vos dominaretur. — *Cetera.* Sc. certamina. — *Ex licentia.* Propter licentiam, qua nobiles potentia sua abutebantur. — *Odio.* Propter odium, quod sibi sceleribus suis conflaverant. — *Avaritiam.* Ad eorum comprimendam avaritiam. — *In tempus arsere.* Orta his causis certamina, postquam aliquandiu arserunt, transiere tamen. Unum illud sine fine permansit, quo quæsita est utrinque una res, id est, in medio positum fuit unum victoriæ præmium, tribunicia potestas, quam vos servare, illi eripere volebant. Eripuerunt autem in posterum; ita ut nullum jam vobis, ad tuendam libertatem, telum supersit. — *Ad ignaviam.* Pro igna-

ut animadvortatis : neu nomina rerum ad ignaviam mutantes, otium pro servitio appelletis. Quo jam ipso frui, si vera et honesta flagitium superaverit[35], non est conditio : fuisset, si omnino quiessetis. Nunc animum advortite : et nisi viceritis, quoniam omnis injuria gravitate tutior est, artius habebunt.

Quid censes igitur? aliquis vestrum subjecerit. Primum omnium omittendum morem hunc quem agitis, impigræ linguæ[36], animi ignavi, non ultra concionis locum memores libertatis : dein (ne vos ad virilia illa vocem, quo tribunos plebei, modo patricium magistratum, libera ab auctoribus patriciis suffragia majores vestri paravere)

via vestra (*au gré de votre lâcheté*).

35. *Si vera et honesta flagitium superaverit.* Si turpis et scelesta nobilium ambitio justam et honestam populi causam superaverit. — *Non est conditio.* Quum certamen inceptum sit, nulla jam conditio est, qua ipso servitutis otio frui possitis. Aliqua fortasse fuisset, si omnino quiescentes otium obsequio redemissetis; sed id jam non integrum est. Nisi viceritis, gravioribus vos vinculis prement, munimentum sibi ex vestris malis quærentes. Quælibet enim injuria eo tutior est, quo gravior desævit. Confer cum hoc loco Orat. Lepidi, n. 7.

36. *Impigræ linguæ.* Non junge, *morem impigræ linguæ;* sed intellige: *homines impigræ linguæ* etc. — *Non ultra concionis locum memores libertatis.* Hoc e Demosth. sumptum videtur IV Philip. initio : Οὐδέν ἐστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν πάντων δυσκολώτερον εἰς τὸ παρὸν, ἢ ὅτι ταῖς γνώμαις ὑμεῖς ἀφεστήκατε τῶν πραγμάτων, καὶ τοσοῦτον χρόνον σπουδάζετε, ὅσον ἂν καθῆσθε ἀκούοντες ἤν προσαγγελθῇ τι νεώτερον· εἶτ' ἀπελθὼν ἕκαστος ὑμῶν, οὐ μόνον οὐδὲν φροντίζει αὐτῶν, ἀλλ' οὐδὲ μέμνηται. — *Dein.* Supple, *censeo*, et junge cum *uti.... possitis.* — *Ad virilia illa.* Sc. *consilia*, aut tale quid. Secessiones plebis in montem Sacrum et Aventinum innuit. — *Quo.* Collective sumptum, cum relatione ad *virilia illa;* ut Catil. LVI, *servitia repudiabat*, *cujus* etc. *Modo* semel expressit, eodem sensu, quo si dixisset : *Modo tribunos plebei*, *modo patricium* etc. — *Patricium magistratum.* Consulatum, quem sui ordinis proprium existimantes patricii, cum plebeiis communicare non, nisi vi coacti, sustinuerunt; vide Flor. I, 26; et Liv. VI, 42. — *Libera ab auctoribus patriciis suffragia.* Legem Mæniam innuit, de qua meminit Cic. Brut. XIV, et Freinsh. Suppl. Livii, XI, 27 : « Legem quoque de suffragiis circum hæc tempora (A. 467) latam esse crediderim, qua patres in comitiorum incertum eventum auctores fieri cogebantur; (*le sénat était tenu*

quum vis omnis, Quirites, in vobis sit, uti, quæ jussa nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non agere certe possitis. Jovem aut alium quem deum consultorem exspectatis[37]? Magna illa consulum imperia et patrum decreta vos exsequendo rata efficitis, Quirites; ultroque licentiam in vos auctum atque adjutum properatis. Neque ego vos ultum injurias hortor[38]; magis uti requiem cupiatis: neque discordias, ut illi criminantur, sed earum

de ratifier d'avance les élections qui seraient faites dans les comices.) Hactenus enim eo jure utebantur, uti magistratum gerere non posset, cui populi suffragiis datus esset, nisi patres auctores fuissent facti. » Jam anno 415 latæ fuerant a Publilio dictatore aliæ leges, de quibus Liv. VIII, 12: « Tres leges secundissimas plebei, adversas nobilitati tulit: unam, ut plebiscita omnes quirites tenerent; alteram ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent etc. » Denique multo ante, A. scil. 282, tribuni Volero et Lætorius magna contentione pervicerant, ut sine auspiciis, sine ulla, aut prævia, aut sequenti patrum auctoritate, plebeii magistratus, per comitia tributa crearentur; Liv. II, 56. Nunc apparet, quid sint libera ab auctoribus patriciis suffragia. — *Quum vis omnis in vobis sit.* Hæc est ratio cur censeat, ut populus romanus jus sibi vindicet aut faciendi, aut non faciendi pro se ipso, quæ nunc, imperio paucorum obsequens, pro aliis facit. — *Toleratis.* De belli laboribus præsertim loquitur, quos non sibi, sed nobilibus plebs tolerat. — In toto hoc textum a Cortio restitutum sequuti sumus. In aliis enim maxime mendosus est.

37. *Jovem..... exspectatis?* « An exspectátis, donec Jupiter aut aliquis deorum rebus vestris consulat? Id exspectare supervacaneum est: a vobis auxilium vos quæratis, oportet. Vos enim ipsi consulum imperia et patrum decreta, obsequio vestro, rata efficitis: parere desinite; illi desinent imperare. » Signum interrogationis apposuimus verbo *exspectatis*, quod nobis, quidquid in contrarium disputet Cortius, motus orationis requirere visus est. Neque vero credimus, cum Cl. V. *Dureau Delamalle*, his verbis populo exprobrari, quod non, nisi captis auspiciis et quasi Jove ipso auctore, comitia centuriata haberi possint. Oratoria vere formula est, non prorsus absimilis huic Liv. VI, 18: « Bene facitis, quod abominamini; dii prohibebunt hæc; sed nunquam propter me de cœlo descendent. Vobis dent mentem oportet, ut prohibeatis. » — *Magna.* Magnifica; superba.

38. *Neque ego vos ultum injurias hortor. Ultum hortor*, est quasi, *hortor ad ulciscendum.* Toti huic Sallustiano loco persimilia habet *Stephanus de La Boétie*, in oratione

finem volens, jure gentium, res repeto: et, si pertinaciter retinebunt; non arma, neque secessionem, tantummodo ne amplius sanguinem vestrum præbeatis, censeo. Gerant, habeantque suo modo imperia; quærant triumphos: Mithridatem, Sertorium et reliquias exsulum persequantur cum imaginibus suis: absit periculum et labos, quibus

cui titulus *De la servitude volontaire, ou, le contr'un*: « *Pour ce coup je ne voudrois sinon entendre, s'il est possible, et comme il se peut faire, que tant d'hommes, tant de bourgs, tant de villes, tant de nations, endurent quelquefois d'un tyran seul, qui n'a puissance que celle qu'on lui donne; qui n'a pouvoir de leur nuire, si non de tant qu'ils ont vouloir de l'endurer; qui ne sauroit leur faire mal aulcun, sinon lorsqu'ils aiment mieulx le souffrir que luy contredire..... Encore ce seul tyran, il n'est pas besoing de le combattre, il n'est pas besoing de s'en défendre; il est de soy mesme desfaict, mais que* (pourvu que) *le pays ne consente à la servitude. Il ne fault pas luy rien oster, mais ne luy donner rien. Il n'est pas besoing que le pays se mette en peine de faire rien pour soy; mais qu'il ne se mette pas en peine de faire rien contre soy. Ce sont donc les peuples mesmes qui se laissent, ou plustost se font, gourmander, puisqu'en cessant de servir ils en seraient quittes. C'est le peuple qui s'asservit; qui se coupe la gorge; qui, ayant le choix d'estre subject ou d'estre libre, quitte sa franchise et prend le joug, qui consent à son mal, ou plustost le pourchasse. S'il lui en coustoit quelque chose de recouvrer sa liberté, je ne l'en presserois point..... Quoy? si pour avoir la liberté il ne lui fault que la desirer; s'il n'a besoing que d'un simple vouloir, se trouvera-t-il une nation au monde qui l'estime trop chère, la pouvant gaigner d'un seul souhait; et qui plaigne sa volonté à recouvrer le bien, lequel on debvroit racheter au prix de son sang?* » Non alio egent commentario seditiosi concionatoris verba. — *Res repeto.* Romanis mos erat, antequam bellum indicerent, per feciales, jure gentium, *res repetere*, id est exposcere, ut gens hostilis res injuste raptas restitueret. Hoc est quod nos vocamus, *demander satisfaction.* Res autem, quas hic tribunus repetit, sunt tribunicia potestas, jura populi, ærarium, provinciæ, imperia, quæ pauci per vim occupaverunt. — *Ne... sanguinem vestrum præbeatis.* Sc. ad quærendos nobilibus triumphos. Auctor jam citatus, de tyranno loquens: « *Comment a-t-il tant de mains pour vous frapper, s'il ne les prend de vous? Les pieds dont il foule vos cités, d'où les a-t-il, s'ils ne sont des vostres?.... Vous nourrissez vos enfants, afin qu'il les mène en ses guerres, qu'il les mène à la boucherie, qu'il les fasse les ministres de ses convoitises, les exécuteurs de ses vengeances, etc. etc.* » — *Reliquias exsulum.* Qui Sertorii signa sequebantur. — *Persequantur cum imaginibus suis.* Fumosas illas, quibus superbiunt, imagines in aciem, pro militibus, educant. — *Absit.* S. a vobis.

nulla pars fructus est. Nisi forte repentina ista frumentaria lege[39] munia vestra pensantur : qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstumavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris. Namque ut illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires; sic neque absolvit cura familiari tam parva res; et ignavissumi quique tenuissuma spe frustrantur. Quæ tamen quamvis ampla[40], quoniam servitii pretium ostentaretur, cujus torpedinis erat decipi, et vestrarum rerum ultro, injuria, gratiam debere? Nam-

39. *Nisi . . . frumentaria lege.* Dixit in oratione sua Lepidus : *Populus romanus ne servilia quidem alimenta reliqua habet.* Unde conjicere est, Syllam frumentarias largitiones, quas minuerat M. Octavius (Vid. lib. I, n. 21, in fine), omnino sustulisse. Sed, jam anno 679, consul C. Cotta frumentum populo distribuerat, ob penuriam de qua diximus supra n. 9, et quæ locum dedit illius orationi infra perscriptæ. Tandem lata fuisse videtur nova lex a Cassio et Terentio consulibus, qua singulis mensibus quini modii unicuique pauperum civium distribuebantur. De ratione modii vide Jug. XLIV, n. 6. — *Munia vestra pensantur.* Nam profecto frumentaria illa lex, repente lata, atque adeo necessitate rerum extorta, labores vestros non digne rependit. — *Libertatem omnium æstumavere.* Sic. Tac. Ann. I, 17 : « Denis in diem assibus corpus et animam æstimari. » Nobiles, inquit, servitutem vestram quinis frumenti modiis emerunt. Tam vili pretio vos illis libertatem vendidistis! — *Non amplius possunt.* Non plus valent, quam alimenta, quæ hominibus carcere inclusis præbentur. — *Namque ut illis.* Sc. alimentis carceris. — *Exiguitate.* Propter exiguitatem. — *Sic neque absolvit.* Sic quini modii et civi curam non eximunt, quin amplius alendis liberis suis quærat; et ignavissimos quosque, tenuissima spe deceptos, in falsa securitate retinent. — *Frustrantur.* Passive : decipiuntur. Cave enim interpreteris, *spe illa tenuissima dejiciuntur.* Intellige vero, *per spem subsidii illius, licet tenuissimi, falluntur.* Totum hoc ex Demosthen. Olynth. III, circa finem : ...Καὶ τῶν τοιούτων λημμάτων ἀπαλλαγείητε, ἃ τοῖς ἀσθενοῦσι παρὰ τῶν ἰατρῶν σιτίσις διδόμενα ἔοικε· καὶ γὰρ οὔτε ἰσχὺν ἐκεῖνα ἐντίθησιν, οὔτ' ἀπεθνήσκειν ἐᾷ. Καὶ ταῦτα, ἃ νέμεσθε νῦν ὑμεῖς, οὔτε τοσαῦτά ἐστιν ὥστε ὠφέλειαν ἔχειν τινὰ διαρκῆ, οὔτ' ἀπογνόντας ἄλλο τι πράττειν ἐᾷ, ἀλλ' ἔστι ταῦτα τὴν ἑκάστου ῥαθυμίαν ὑμῶν ἐπαυξάνοντα.

40. *Quamvis ampla.* Etiamsi ea frumenti largitio ampla et magnifica esset. — *Cujus torpedinis erat.* Quanta socordia esset, pro frumento, quod vestrum est, ultro illis gratiam, nullo jure debitam, habere! — *Ultro.* Non modo ab illis, quod vestrum est, accipere; sed eis *insuper* gratiam debere. — *In-*

que alio modo, neque valent in universos, neque conabuntur : cavendus dolus est. Itaque simul comparant delenimenta, et differunt vos in adventum Cn. Pompeii; quem ipsum, ubi pertimuere sublatum in cervices suas, mox demto metu lacerant. Neque eos pudet vindices, uti se ferunt, libertatis, tot viros sine uno aut remittere injuriam non audere, aut jus non posse defendere. Mihi quidem satis spectatum est, Pompeium[41], tantæ gloriæ adolescentem, malle principem volentibus vobis esse, quam illis dominationis socium; auctoremque in primis fore tri-

juria. Sine ullo jure. Demosth. ibid. paulo supra : Καὶ τὸ πάντων ἀνανδρότατον, τῶν ὑμετέρων αὐτῶν χάριν προσοφείλετε. — *Namque alio modo*. Nam non aliter, quam quia vos illis gratia obligatos creditis, contra universum populum aliquid aut possunt, aut conabuntur. Non vis eorum, sed dolus cavendus est. — *Delenimenta*. Legem illam frumentariam, qua vos deliniant, et mansuetos habeant. Demosthen. ibid. Ἐπάγουσιν ἐπὶ ταῦτα, καὶ τιθασσεύουσι χειροήθεις αὐτοῖς ποιοῦντες. — *Quem ipsum, ubi pertimuere... lacerant*. Hoc ad præterita, non ad præsentia, referri debet. Non verisimile est enim Pompeium a nobilibus eo ipso tempore lacerari, quo ejus opem adversus plebeios exspectabant. Tribunus vero nobiles arguit, animos erga Pompeium pro temporibus mutare. Pertimuerunt illum, quoties exercitui imperantem et magna subnixum potentia viderunt; lacerarunt, ubi ad privatam conditionem rediit. Idem certe facient, quum Romam redux deposuerit imperium; eique obstrepent, si forte tribuniciam potestatem restituere voluerit. Ceterum, quis est pudor, tot viros nobiles, qui se vindices libertatis ferunt, non audere sine uno Pompeio, aut injuriæ, qua plebem afficiunt, finem facere; aut jura sua, quoniam jura esse contendunt, defendere? Hæc ultima dicit, ut nobiles in contemptum adducat, quasi homines nullius animi, et injustam potentiam, sola plebis ignavia, retinentes.

41. *Mihi quidem satis spectatum est Pompeium*, etc. *Montesquieu, Grand. et Déc.*, XI : « *Je crois bien* (*disait Macer au peuple*) *que Pompée, que les nobles attendent, aimera mieux assurer votre liberté que leur domination ; mais il y a eu un temps où chacun de vous devait avoir la protection de plusieurs, et non pas tous la protection d'un seul, et où il était inoui qu'un mortel pût donner ou ôter de pareilles choses.* » — *Principem volentibus vobis esse*. Primum esse inter vos, cum summa vestra voluntate, et ducem vestrum ad recuperandam libertatem. Jam, *auctor tribuniciæ potestatis*, est ejus patronus et restitutor. Is quidem fuit Pompeius, magno suo in posterum damno. Telum enim paravit Cæsari, quo adversus se uteretur.

buniciæ potestatis. Verum, Quirites, antea singuli cives in pluribus, non in uno cuncti præsidia habebatis: neque mortalium quisquam dare aut eripere talia unus poterat. Itaque verborum satis dictum est: neque enim ignorantia res claudit [42]. Verum occupavit vos nescio quæ torpedo, qua non gloria movemini, neque flagitio; cunctaque præsenti ignavia mutastis, abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur, et huc ire licet et illuc, munera ditium dominorum. Atque hæc eadem non sunt agrestibus [43]; sed

42. *Neque enim ignorantia res claudit.* Non res per ignorantiam claudicat. Non obstat ignorantia, quin res, id est repetitio vestri juris, recte procedat. *Claudit*, pro *claudicat*, veteres dixisse videntur. Hoc enim Sallustii affert Donatus, ad Ter. Eun. 1, 2, 84, *claudier* pro *claudicare* interpretans. Errat quidem Donatus, et Terentii *claudier*, nihil aliud sonat, quam *claudi (être fermé)*. Sed ipse ejus error probat, Sallustianum verbum, *claudit*, tunc temporis pro *claudicat*, vulgo intellectum fuisse. Præterea affert Cortius ex Apuleio, de Deo Socratis: « Ut ubi dubitatione *clauderet*, ibi divinatione consisteret. » — *Neque flagitio.* Neque turpitudine. Nihil, inquit, vos movet; neque gloria jus vestrum recuperandi, neque turpitudo in æternum amittendi. — *Præsenti ignavia.* Sup. *pro.* Cuncta vestra abjecistis, præsentis ignaviæ illecebris capti. — *Quia tergis abstinetur*, etc. Liberos abunde vos creditis, quia vos domini non ut ceteros servos flagellis cædunt, aut ergastulis, vel ludo gladiatorio, includunt. — *Munera ditium dominorum. Munera* proprie vocantur spectacula gladiatoria, in quæ familiæ servorum alebantur. Hic, audaci translatione, *munera* vocat ipsos homines in spectaculum exhibitos, hisque contumeliose confert plebem romanam. Vos, inquit, opulentis dominis spectaculum estis; vos illi ut theatralia munera, oculis fruenda, in civitate, tanquam munerarius in amphitheatro, habent. Ideo tantum intactum virgis tergum, et huc illuc commeandi licentiam, vobis relinquunt. — Quidam, contra codd., legunt *munere*, et intelligunt *beneficio*. Possis etiam *munera* eodem sensu capere: *quæ res sunt munera ditium dominorum.* Alterum sensum prætulimus, quia acrior et acutior videtur. Ceterum non credimus cum Cl. V. *Dureau de la M.* per verba, *tergis abstinetur*, innui legem *Porciam*; et per verba, *huc ire licet et illuc*, immunitatem militiæ, quæ sextæ classi competebat. Primum enim non ad proletarios solos loquitur; deinde dixit supra, *ne amplius sanguinem vestrum præbeatis;... absit periculum et labos, quibus nulla pars fructus est.* Quanquam longe etiam durior erat, quoad militiam, agrestis quam urbanæ plebis conditio, idque statim innuet.

43. *Agrestibus.* Plebi rusticæ. —

cæduntur inter potentium inimicitias, donoque dantur in provincias magistratibus. Ita pugnatur, et vincitur paucis : plebes, quodcumque accidit, pro victis est, et in dies magis erit; si quidem majore cura dominationem illi retinuerint, quam vos repetiveritis libertatem. »

Postquam egressus angustias. *Messus.*

Ad Cyzicum perrexit firmatus animi. *Idem.*

Ut sustinere corpora plerique nequeuntes, fessi, arma sua quisque stantes incumberent[44]. *Idem et Servius.*

Ac statim fugitivi[45], contra præceptum ducis, rapere ad stuprum virgines, matronasque. *Nonius.*

Quibus a Sertorio triplices insidiæ per idoneos saltus positæ erant : prima[46], quæ fonte venientes exciperet. *Servius.*

Ingens ipse virium atque animi. *Arusianus.*

Locum nullum, nisi in quo armati institissent. *Idem.*

At Oppius[47], postquam orans nihil proficiebat, timide

Inter potentium inimicitias. Dum potentes inter se certant. Asconius a Cortio citatus : « Plebs rustica partim agros, partim jus civitatis amisit, partim omnino proscripta est victore Sylla, quod plebs romana de Marianis partibus fuerat. » *Cæduntur* non intelligo de solis militibus, qui præsertim e rusticis tribubus educebantur; sed etiam de cædibus, quæ passim in agris per arma et belli tumultum fiebant. — *Dono dantur.* Videlicet, ut nata servituti mancipia, militum nomine, magistratibus in provincias euntibus dono dantur. — *Paucis.* In commodum paucorum. Aliqui legunt *a paucis;* minus bene. — *Pro victis est.* Vulgo, *pro victa.* Alterum reposuit Cortius ex Venetis primis et codice Vaticano. Non absurde; quia nomen collectivum est plebes.

44. *Arma sua... incumberent.* Pro, *armis incumberent.* Sic. Senec. Phœn. Act. IV : « Reclinis hastæ, et arma defixa incubans. »

45. *Fugitivi.* Servi, duce Spartaco, bellum adversus populum romanum gerentes. Rem narrat *De Br.* III, 68.; Florus, III, 20.

46. *Prima.* Sc. ex tribus insidiis. Ceterum *insidiæ* non nisi plurali numero dicuntur. — *Fonte.* Legisse videtur *fronte* clar. *De Br.* qui hoc de insidiis Pompeio paratis intelligit, II, 44.

47. *At Oppius.* Quum proconsul M. Cotta et ejus quæstor Oppius Bithyniam provinciam rapinis pro se quisque vexarent, jurgia inter eos de præda intercesserunt. Igitur missionem impense efflagitabat Op-

veste tectum pugionem expedire conatus, a Cotta Vulcioque impeditur. *Nonius: Pugio est brevis gladius.*

Castris collatis, pugna tamen ingenio loci prohibebatur. *Idem.*

Sed Pompeius a prima adolescentia, sermone fautorum, similem fore se credens Alexandro regi, facta consultaque ejus quidem æmulus[48] erat. *Non.*

Dubius consilii. *Arusianus.*

Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat[49]. *Idem.*

Quod ubi frustra tentatum est, socordius ire milites occœpere, non aptis armis[50], ut in principio, et laxiore agmine. *Nonius.*

Atque eum Curio[51] laudatum, accensumque præmiorum spe, quibuscum optavisset, ire jubet. *Idem.*

Eodem tempore Lentulus[52] duplici acie locum editum

pius, quam negante Cotta, ferrum tandem extraxit; an se, an proconsulem percussurus, an minis, quod precibus nequibat, expressurus, incertum. Eum Cotta statim expulit provincia, Romæque reum fecit. Oppium defendit Cicero, cujus orationis perpauca exstant fragmenta. *De Br.* III, 57.

48. *Facta consultaque .. æmulus.* Eadem, opinor, figura hoc dictum est, quam *os humerosque deo similis.* Quod si verum est, jungentur *æmulus ejus*, non, *facta consultaque ejus.* Ceterum aliter intelligit Cortius. Nomen, inquit, retinet casum verbi: Plaut. Amph. I, 3, 21: « Quid tibi hanc curatio est rem? » Hac quidem ratione, *æmulus erat facta*, erit pro *æmulabatur facta.* Quod ad rem ipsam attinet, vide Plutarch. in Pomp. et Appian. de B. Mithrid.

49. *Senatus belli Lepidani gratiam fecerat.* Scilicet nulla proscriptio victoriam senatus de Lepido sequuta est. « Victores, inquit Flor. III, 23, quod non temere alias in civilibus bellis, pace contenti fuerunt. » Et princeps quidem auctorque illius victoriæ non Opimius erat aut Sylla, sed Catulus.

50. *Aptis armis.* Aptatis et paratis ad dimicandum.

51. *Atque eum Curio.* Quum Ligus quidam miles e Curionis exercitu, in Mœsia, Danubium, et viam eo ducentem, e rupe prospexisset, eum cum delectis ire jussit Curio, et tentare, an vere per montes agmini iter esse posset. *De Br.* III, 81.

52. *Eodem tempore Lentulus.* Hoc *De Br.* IV, 8, intelligit de pugna adversus Spartacum, in Apennini saltibus commissa, ubi duo consu-

multo sanguine suorum defendens, postquam ex sarcinis paludamenta adstare, et delectæ cohortes intelligi cœpere. *Idem.*

Si nihil ante adventum suum inter plebem et patres convenisset, coram se daturum operam [53]. *Priscianus* lib. XIV.

Fine inguinum [54] ingrediuntur mare. *Arusian.*

M. Antonius [55] perdundæ pecuniæ genitus, vacuusque curis, nisi instantibus. *Idem.*

Muros successerant. *Idem.*

Saxaque ingentia, et axe vinctæ trabes per pronum incitabantur, axibusque eminebant in modum ericii militaris [56] veruta binum pedum. *Non. Serv.*

Octavium mitem [57], et captum pedibus. *Arusian.*

lares Gellii et Lentuli exercitus fusi sunt. Flagrante maxime Lentuli prælio, Gellius, cujus iter hostis moratus fuerat, tandem ejus auxilio advenit. Ejus adventum cognovit Lentulus, visis procul paludamentis, quæ super sarcinarum plaustra, ut signum, erecta ferebantur. Sic saltem conjicit interpres supra laudatus.

53. *Coram se daturum operam.* Hoc, sine dubio, ex Hispania nunciat Pompeius, de contentione cujus causa antecedentem orationem habuit Macer.

54. *Fine inguinum.* Gallice, *jusqu'à la ceinture.* Proprie, ita ut inguina *finis* essent, quo usque aqua pertineret. Hoc fecerunt Luculli milites, classem Mithridatis e littore adorti, dum naves romanæ ex alto eam impugnarent. *De Br.* III, 51.

55. *M. Antonius.* Qui postea per ludibrium Creticus dictus est; filius M. Antonii oratoris, pater M. Antonii triumviri. — *Vacuus curis, nisi instantibus.* Qui nihil, ante ipsius discriminis horam, providebat.

56. *Ericii militaris.* Trabs erat ex qua undique ferrei aculei prominebant, a bestiolæ ita dictæ (*le hérisson*) aculeis appellatus. Vid. Lips. Poliorc. V, Dial. 4, extr. Cæsar. B. Civ. III, 57. — *Veruta* sunt tela brevia a veru similitudine.

57. *Octavium mitem, et captum pedibus.* Quum Sicinius de restituendo jure tribunicio ageret, multum et vehementer contra consules ejus anni decertavit. « Is, inquit Cic. Br. LX, quum tribunus plebis Curionem et Octavium consules produxisset, Curioque multa dixisset, sedente Cn. Octavio collega, qui devinctus erat fasciis, et multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus; nunquam, inquit, Octavi, collegæ tuo gratiam referes, qui nisi se suo more jactavisset, hodie te istic muscæ comedissent. »

Igitur discubuere[58] Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis : in summo Antonius, et infra, scriba Sertorii Versius : alter scriba Mæcenas in imo, medius inter Tarquitium et dominum Perpennam. *Non. Serv.*

Quarum unam epistolam forte cum servo nacti prædatores Valeriani[59] scorpione in castra misere. *Non.*

LIB. IV.

At Cn. Lentulus patriciæ gentis, collega ejus[1], cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emtoribus bonorum

Multum enim se orando jactabat Curio, ita ut e *lintre loqui videretur*. Vide supra lib. II, n. 20.

58. *Igitur discubuere.* Convivium narratur, in quo Sertorius a Perpenna interfectus est. Vide Plutarch. in Sert. In *medio* lecto discubuit Sertorius, ita ut ille inferior esset, superior vero Fabius. In summo lecto, sive malis, in *primo*, duo quoque viri erant, Antonius et Versius; in imo autem, seu *tertio*, tres accumbebant, Perpenna, Mæcenas et Tarquitius. Honoratissimus autem erat locus Sertorii, teste Plutarcho, et proxime contingebat dominum convivii, qui summum locum tertii lecti de more occupaverat. Huc, quo res, clarior sit, imaginem triclinii antiqui, quam expressit *De Br.*, transtulimus.

59. *Prædatores Valeriani.* Prædatores ex legionibus istis, quas diximus, l. II, n. 21, cum Fimbria adversus Valerium rebellasse. Quum Magius (de quo ibidem) res Sertorianas in pejus ruere audiens, Mithridatem deserere et ad Romanos redire cogitaret, epistolam, per unum e suis servis, ad Lucullum misit. Quia vero difficile erat in castra penetrare, hanc epistolam, trans vallum, jecere prædatores illi. —*Scorpione.* Machina telis emittendis, quam vir unus dirigebat. Vide Lips. Poliorc. III, Dial. 4. Item Veget. IV, 22 : « Scorpiones dicebant, quas nunc manuballistas vocant; ideo sic nuncupati, quod parvis subtilibusque spiculis inferant mortem. »

LIB. IV.

1. *Collega ejus.* Sc. Gellii. Nam consules fuerunt, A. 682, Cn. Cornelius Lentulus Clodianus, et L. Gellius Publicola. Hunc Lentulum inter mediocres oratores nominat Cic. Brut. LXVI. Idem, pro Lege Manil. XXIII : « Est Cn. Lentulus, in quo omnes, pro amplissimis vestris honoribus, *summum consilium*, *summam gravitatem* esse cognoscitis. » Sed quum Cicero ad neces-


LECTUS MEDIUS.
Sertorius, ★ Fabius.
Locus imus.
Medius.
Summus.
Mensa.
Spatium vacuum
ubi
stabat ministrans
architriclinus.
Mensa.
Mensa.
Locus imus
Medius.
Summus.
Versius, ★ Antonius.
LECTUS SUMMUS.
Locus imus
Medius.
Summus.
Tarquitius, Maecenas, Perpenna.
LECTUS IMUS.
Janua
cœnaculi.

Sall. pag. 404.

remiserat, exigenda promulgavit. *Gellius*, lib. XVIII, cap. 4.

Omnes, quibus ætas senecto corpore, animus militaris erat. *Priscianus* lib. IX et X.

Dein lenita jam ira, postero die liberalibus verbis permulcti sunt. *Idem* lib. IX.

Implicitæ rates ministeria prohibebant. *Idem ib.*

Igitur legiones pridie in monte positas arcessivit. *Idem* lib. X.

Anxius animi, atque incertus. *Arusian.*

Magnam exorsus orationem. *Idem.*

Impotens, et nimius animi est. *Idem.*

Amisumque assideri[2] sine præliis audiebat. *Priscian.* lib. VIII.

Qui quidem mos, uti tabes, in urbem conjectus. *Festus.*

Castella, custodias thesaurorum in deditionem acciperentur. *Serv. Charis.* lib. I.

Reliqua cadavera salita. *Diomedes* lib. I. c. 4.

Epistola regis Mithridatis[3] *scripta ad regem Arsacen.*

REX MITHRIDATES REGI ARSACI S.

« Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere:

sitatem causæ loquatur, aliquid de ista laudatione detrahere æquum est. — *Senecto corpore.* Notetur obiter hoc participium.

2. *Amisumque assideri. Obsideo* et *assideo* activa sunt; faciunt enim *obsideor* et *assideor*; Prisc. Est Amisus oppidum in Ponto Euxino; quod quum hiemem totam stativis castris circumdatam, valloque ac fossa obsessam tenuisset Lucullus, Murenam ad continuandam obsidionem reliquit. Vid. Plut. in Lucullo; et *De Br.* IV, 81 et seqq. — *Sine prœliis.* Scilicet nullum prœlium cum obsessis tentabatur. Tandem, postquam biennium fere obsessa fuit, urbs per vim a Lucullo expugnata est.

3. *Epistola regis Mithridatis.* Postquam Luculli victoriis exutus regno Mithridates in Armeniam fugisset

dein quod quæritur, satisne pium, tutum, gloriosum, an indecorum sit. Tibi si perpetua pace frui licet[4]; nisi hostes opportuni et sceleratissumi, egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est; neque petere audeam societatem, et frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem. Atqui ea, quæ te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli[5], et meæ res parum prosperæ, si vera existumare voles, maxume hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu voles societatem, accipiet : mihi

ad Tigranem regem, belloque redintegrato victus quoque Tigranes, et capta urbs ejus maxima Tigranocerta fuisset; tunc maximum belli momentum esse videbatur in rege Parthorum Arsace, ad utramcumque partem suas opes adjungeret. Igitur illius societatem postulabant hinc Lucullus, inde Tigranes et Mithridates. Quem ut dubium animi impelleret, hanc illi Mithridates epistolam scripsit. Qua motus Arsaces, simul Sextilio diffidens, qui a Lucullo legatus Seleuciam venerat, non ad reges quidem, sed neque ad Romanos se convertit. *De Br.* v, 31 et seqq. — *Arsacen.* Commune fuit Parthorum regum nomen Arsaces, persice, *art-schah*, magnus-rex. Hic proprio nomine fuit *Phradates*, vel potius *Phraartes* tertius, filius Pacori. *De Br.* v, 33. De bello Mithrid. vide Appianum; Plutarch. in Lucullo et Pomp.; Velleium, II, 18; Flor. III, 5. Justin. XXXVIII, 3 et seqq.

4. *Tibi si perpetua pace frui licet.* Hic conditiones enumerat, quæ si essent, regem ad belli societatem vocare supersederet. « Si, inquit, tibi pacem servare liceret; si finibus tuis non imminerent hostes sceleratissimi, quos opprimere facile et opportunum sit; si te, illis oppressis, egregia fama non sequutura esset; certe nec auderem tuam societatem petere; nec sperare possem fore, ut florentes res tuas cum meis perditis rebus miscere velles. » *Opportunos* dixit hostes, eodem sensu, quo in Jug., *necubi hosti opportunus fieret;* et Liv. II, 12 : *quoad te opportunum fortuna dederit.* Pium bellum est, quia hostes sceleratissimi; tutum, quia opportuni; gloriosum, quia egregia fama manet, quicumque a Romanis orbem terrarum liberaverit. — *Mala mea cum tuis bonis.* Idem aliis verbis, Jug. LXXXIII.

5. *Ira in Tigranem recentis belli.* Ira ex recenti bello, quod cum Tigrane habuisti, concepta. Tigranes, teste Justino, XXXVIII, 3, obses Parthis ante multum temporis datus (quia scilicet Parthicæ ditionis erat Armenia), ab iisdem in regnum paternum remissus fuerat; sed septuaginta valles ex Armenio agro, pretium libertatis, dare coactus; (Strab. XI). Post, sublatis ob Mithridaticam societatem animis, agrum, qui suus fuerat, recepit, omninoque jugum Parthorum ex-

fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi; et, quod florentibus optabile est, ego non validissumus præbeo exemplum, quo rectius tua componas. Namque Romanis[6], cum nationibus, populis, regibus cunctis, una et ea vetus caussa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum. Qua primum cum rege Macedonum Philippo bellum sumsere : dum a Carthaginiensibus premebantur, amicitiam simulantes, ei subvenientem Antiochum concessione Asiæ per dolum avertere : ac mox, tracto Philippo, Antiochus omni cis Taurum agro et decem millibus talentorum spoliatus est. Persen deinde[7], Philippi

uit. Inde illi Arsaces iratus erat. *De Br.* v, 2. — *Obnoxius.* Sc. quod auxilium ab eo, cui injuriam intulit, petere cogitur. Servitutem enim quamdam induit, qui petit beneficium : quid? si ab hoste. — *Fortuna... usum dedit bene suadendi.* Adversa fortuna me, ad bene suadendum, experientia edocuit. — *Ego non validissumus.* Meæ adversæ res præbent exemplum, quo melius tuis consulas. Dixit, *non validissumus*, leniori verbo, ne diceret, *cunctis opibus spoliatus.*

6. *Namque cum Romanis.* V. easdem fere sententias, Jug. LXXXI. Item Justin. XXXVIII, 4, e Trogo Pompeio exscribit Mithridatis orationem, quam omnino cum hac epistola conferre operæ pretium fuerit. — *Cum rege Macedonum Philippo.* Hoc bellum macedonicum describunt Livius, XXXI et seqq ; Justin. XXIX; Flor. II, 7. — *Amicitiam simulantes.* Videlicet cum Philippo. Ut amicitiam cum Philippo simulaverant, dum flagraret punicum bellum; ita cum Antiocho simulaverunt, quamdiu Philippus hostis fuit. — *Concessione Asiæ.* Nusquam apparet Romanos, tunc temporis, ullam Asiæ partem Antiocho per fœdus cessisse. Sed patet ex Livio, XXXIII, 39, Antiochum multas civitates a Philippo possessas, per occasionem, averso Philippo in romanum bellum, intercepisse; idque romanos in præsentia dissimulasse, tanquam nihil ad se pertinens. Hoc vocat noster *Asiæ concessionem.* Nempe dum Antiochus in capiendis Asiæ urbibus immoraretur, auxilium Philippo non ferebat. — *Tracto Philippo.* Sc. in servitutem, societatis nomine. Nam pro Romanis adversus Antiochum bellum gessit Philippus; Liv. XXXVI, 8. — *Omni cis Taurum agro.* Vide Liv. XXXVII, 45, qui tamen habet, XV millia talentum Euboïcorum. Euboïcum vero talentum 7200 drachmas atticas, vel denarios romanos, æquabat. Cicero quoque Asiam Antiocho cis Taurum ademptam memorat, pro Sext. XXVII, et pro Rege Dejot. XIII.

7. *Persen deinde.* De hujus belli fine, vide Catil. LI, n. 8 et 9. —

filium, post multa et varia certamina, apud Samothracas deos acceptum in fidem, callidi et repertores perfidiæ, quia pacto vitam dederant, insomniis occidere. Eumenem, cujus amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho [8], pacis mercedem : post Attalum, custodem agri

Apud Samothracas deos. Vell. Paterc. I, 9 : « Is (Æmilius Paulus) Perseum ingenti prælio, apud urbem nomine Pydnam in Macedonia, fusum fugatumque castris exuit; deletisque ejus copiis, destitutum omni spe coegit e Macedonia profugere. Quam ille linquens in insulam Samothraciam profugit, templique se religioni supplicem credidit. Ad eum Cn. Octavius prætor, qui classi præerat, pervenit; et ratione magis quam vi persuasit, ut se Romanorum fidei committeret. Ita Paulus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit. » Eamdem rem narrat Livius, lib. XLIV extrem. et XLV initio. Samothracia est insula Thraciæ, contra Hebri ostia. Hanc Livius, XLV, 6, sacram et augusti totam atque inviolati soli esse dicit. De diis Samothracibus, quos Cabiros vocant, et eosdem esse credunt, quam Curetas, et Corybantes, et Idæos Dactylos, et Telchinas, et Dioscuros, vide Herodot. II; Strab. X; Diodor. V; et nostrum *De Br.* V, 33 et 44.—*Insomniis occidere.* Post Æmilii triumphum rex Perseus in carcerem detrusus, dein, Æmilio deprecante, Albæ libera custodia asservatus est; ubi tædio et dolore confectus, cibis abstinendo, interiit. Hæc quidem est vulgatissima fama. Aliam tamen, sed non compertam, memorat Plutarch. in Paulo : scilicet milites, quibus in custodiam datus erat, iratos illi (incertum ob quam causam), nec manu, contra præceptum, sævire ausos, ab eo tam diligenter et tamdiu somnum prohibuisse, ut demum vigilando fessus exstingueretur. Idem narrat Diodor. XXXI, postquam retulit, quæ sæva et horrenda in subterraneo carcere, cum damnatis rerum capitalium inclusus, per septem dies perpessus fuerit infelix Macedoniæ rex.

8. *Eumenem... prodidere Antiocho.* Legitur apud Liv. XXXVII, 55, et XXXVIII, 38, quid, ex Antiochi spoliis, a Romanis acceperit Eumenes, rex Pergami; nusquam legitur quomodo proditus fuerit Antiocho. Nisi forte ingeniosus ad augenda crimina Mithridates innuat, Eumenem Antiochi inimicitiæ et armis indefensum objici, hac fœderis (Liv. XXXVIII, 38) conditione : « Si qui sociorum populi romani ultro bellum inferent Antiocho, vim vi arcendi jus esto..... Controversias inter se jure ac judicio disceptanto; aut, si utrisque placebit, bello. » Videlicet belli causæ inter spoliatum Antiochum, et ditatum ejus spoliis Eumenem deesse vix poterant. — *Attalum.* Attalus tertius, filius Eumenis, cognomine Philometor, ultimus Pergamenorum rex, populum romanum heredem bonorum suorum reliquit, A. U. C.

captivi, sumtibus et contumeliis ex rege miserrimum servorum effecere; simulatoque impio testamento, filium ejus Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more, per triumphum duxere. Asia ab ipsis obsessa est : postremo totam Bithyniam, Nicomede[9] mortuo, diripuere; quum filius Nusa, quam reginam appellaverant, genitus haud dubie esset. Nam quid ego me appellem?

621; vide Flor. II, 20, et Justin. XXXVI, 4. — *Custodem agri captivi.* Invidiose innuit Attali, etiam viventis, regnum jam inter provincias romanas fuisse. — *Sumtibus.* Pecuniam ei imperando in romana bella. — *Simulato... testamento.* Testamentum erat : *Populus romanus bonorum meorum heres esto.* Quod de regiis opibus poterat intelligi; sed utile visum est senatui de toto regno intelligere. Prorsus confictum et suppositum dicit Mithridates. Nec solus id credidit ille, si fides habetur Porphyrionis notæ ad Horat. Carm. II, 18, quam citat Haverc. Ceterum nunquam sanæ admodum mentis fuisse videtur Attalus, ex Justin. loc. cit.; et quidquid stulti, aut in suorum detrimentum, fecisse dicatur, id credibile faciunt ejus mores. — *Impio.* Quia Attalus suos, istiusmodi testamento, spoliabat. — *Filium ejus Aristonicum.* Justinus Eumenem *patruum* Attali dicit, *patrem* vero Aristonici. Ideo Freinsh. in Sallust. legit, *filium Eumenis Aristonicum.* Cortius vocem *ejus*, ad Eumenem refert. Aristonicus Licinium Crassum consulem vicit cepitque. Mox ipse a consule Perpenna captus, per triumphum ductus est, et supplicio necatus ob interfectum, dum in ejus potestate esset, consulem Licinium. Vide Justin. et Flor. l. c.; item Vell. II, 4, qui ut romanam sævitiam absolvat, Aristonicum regiæ stirpis originem mentitum esse arguit. Satis tamen constat regii sanguinis eum fuisse, sed ex pellice genitum.

9. *Nicomede.* Nicomedes, Prusiæ nepos, ultimus rex Bithyniæ, suo quoque testamento populum romanum heredem reliquit (circa annum 679); Liv. Epit. XCIII; Vell. II, 4. — *Diripuere.* Eo testamento freti Romani Bithyniam, per M. Silanum Asiæ proconsulem, in provinciam redegere. Quod ægre ferens Mithridates, istiusque regionis possidendæ jamdudum avidus, eam invasit cum ingenti exercitu. Igitur Bithynia sedes fuit acerrimi belli, quod cum rege consules gesserunt Cotta et Lucullus; nec magis a Romanis quam ab ipso Mithridate vastata et direpta (vide Plutarch. in Lucullo). Sed suæ causæ inservit, omne crimen in hostes conferendo. — *Quum filius Nusa.... genitus esset.* Romani Bithyniam diripuerunt, quamvis Nicomedes filium ex Nusa, quam ipsi reginam agnoverant, reliquisset. Hic Cortii lectionem et doctissimi *De Brosses* interpretationem sequuti sumus, qui Nusam Nicomedis uxorem autumant. Eamdem esse putat *De Brosses*, quam Plutarch. in Lucullo Nyssam, sororem Mi-

quem disjunctum undique regnis et tetrarchiis ab imperio eorum, quia fama erat divitem neque serviturum esse, per Nicomedem bello lacessiverunt [10]; sceleris eorum haud ignarum, et ea, quæ accidere, testatum antea Cretenses, solos omnium liberos ea tempestate, et regem Ptolemæum. Atque ego ultus injurias, Nicomedem Bithynia expuli; Asiamque spolium regis Antiochi recepi, et Græciæ demsi grave servitium. Incepta mea postremus servorum [11] Archelaus, exercitu prodito, impedivit: illique, quos ignavia

thridatis, vocat. Suetonius quidem, in Jul. XLIX, mulierem quamdam Nysam nominat, filiam Nicomedis, cujus causam in senatu defendit C. Cæsar; (vid. fragm. ejus orationis, Gell. V, 13). Sed fieri potest, ut una uxor, altera filia, eodem nomine, fuerint. Adde quod *De Br.* in Sallustio, *Moysa*, non *Nusa*, legit ex veteri numismate. Ex fragmento libri II, n. 10, quod vide, Mithridates falsum Nicomedem, quasi ex ea muliere genitum, produxisse videtur.

10. *Per Nicomedem... lacessiverunt.* Eadem queritur, apud Justin. XXXVIII, 5. Nicomedem initio, fratris sui armis, secreta vero Mithridatis fraude, regno paterno pulsum restituerat senatus per legatos, quorum princeps erat M'. Aquilius, idem qui servos rebelles in Sicilia vicerat. Mox romani duces, qui divitem prædam ex bello sperabant, Nicomedem impulere, ut fines Mithridaticos invaderet. Quod graviter, sed frustra, questus apud legatos per Pelopidam Mithridates, sensit tandem venisse tempus in bellum, utrique parti similiter optatum, erumpendi. Ea fuit primi cum Mithridate belli origo. Hactenus ille Romanorum, nomine saltem, socius fuerat. Vid. Appian. Mithrid. — *Sceleris eorum haud ignarum.* « Et ego quidem scelesta eorum consilia non ignorabam. Imo Cretenses qui soli omnium, tunc temporis, liberi erant, et regem Ptolemæum etiam antea testatus fueram, fore ut acciderent ea, quæ deinde acciderunt. » Hos autem romanorum consiliorum testes appellaverat, ut secum ab iis præaverent: hos vero solos, quia ceteri jugum subierant.

11. *Postremus servorum.* Pessimus et nequissimus. — *Archelaus.* Archelaus, dux exercitus Mithridatici, amissis Athenis, apud Charoneam et Orchomenum victus, pacem, Mithridatis nomine, cum Sylla composuit, quam, cunctatus aliquandiu rex, tandem comprobavit. Sed quum magni honores a Sylla Archelao habiti fuissent, graves de legato suo, ob pugnas male pugnatas et iniquam pacem, suspiciones regi exortæ sunt; graviores multo, postquam, ad Fimbrianas legiones, quæ clam de suo ad regem transfugiendi consilio verba fecerant, missus Archelaus, ab iis per proditionem captus fuit, interfectique

aut prava calliditas, uti meis laboribus tuti essent, armis abstinuit, acerbissumas pœnas solvunt: Ptolemæus pretio in dies bellum prolatans; Cretenses impugnati semel jam, neque finem, nisi excidio, habituri. Equidem quum mihi ob ipsorum interna mala[12], dilata prælia magis, quam pacem datam intelligerem; abnuente Tigrane, qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum cepi: Marcumque Cottam romanum ducem apud Chalcedona terra fudi: mari exui classe pulcherruma. Apud Cyzicum magno cum exercitu

omnes ejus comites. Igitur recepta libertate, regis iram metuens, cum conjugibus et liberis fugit ad Romanos, et in eorum semper fide permansit. Plut. in Sylla; et Appian. — *Armis abstinuit.* Ab armis prohibuit. Sic Liv. VIII, 24: « Romano bello fortuna Alexandrum abstinuit. » — *Ptolemæus.* Rex Ægypti. Innuit fortasse ingentia illa munera quæ Lucullo Ptolemæus obtulit, belli tamen societate repudiata. Vide Plutarch. in Lucullo. — *Cretenses.* Flor. III, 7: « Bellum Creticum, si vera volumus noscere, nos fecimus; sola vincendi nobilem insulam cupiditate. Favisse Mithridati videbatur: hoc placuit armis vindicare, etc. » Dicit igitur Mithridates, eos qui bello abstinuerunt, rati se Mithridaticis armis, sine proprio periculo, satis defensum iri, acerbissimas nunc suæ ignaviæ aut calliditatis pœnas solvere, romana dominatione oppressos; exemplumque affert, Ptolemæum qui maximo pretio moram belli redimit, et Cretenses qui jam exitiali bello petuntur. — *Pretio, in dies bellum prolatans.* Sic Carrio. Haverc. *pretio bellum prolatat.*

12. *Ob ipsorum interna mala.* Ob Cinnanæ factionis tyrannidem, quam ut vindicaturus Romam rediret Sylla, pacem, de qua diximus, cum Archelao composuit. Neque tamen prius de reditu cogitavit, quam multiplici clade regem fregisset; ante externum, quam domesticum, hostem opprimendum ratus. — *Abnuente Tigrane.* Non statim in causam Mithridatis descendit Tigranes, quamvis illius gener esset. Imo fugientem ad se, post captam a Lucullo urbem regiam Cabira, ne domum quidem recepit; sed per totos viginti menses, procul ab aula, in remota solitudine, captivo, quam hospiti et socero, similiorem tenuit. Ad se vocavit tandem, postquam legatus a Lucullo P. Clodius ad Tigranem venit, bellum Armeniæ denunciaturus, ni Mithridates traderetur. — *Obnoxiis.* Servientibus. — *Rursus bellum cepi.* Scil. post mortem Nicomedis; quo tempore secundum exarsit Ponticum bellum. Vid. sup. n. 9. — *Marcum Cottam.* Qui consul cum L. Lucullo, A. U. C. 680, provinciam Bithyniam, et classem in Propontide acceperat; Vid. Cic. pro Muren. XV; Eutrop. Appian. Plutarch. in Lucullo. —

in obsidio moranti frumentum defuit, nullo circum adnitente: simul hiems mari prohibebat. Ita, sine vi hostium regredi coactus in patrium regnum, naufragiis apud Parium, et Heracleam, militum optumos cum classibus amisi. Restituto deinde apud Cabira exercitu, et variis inter me atque Lucullum præliis, inopia rursus ambos incessit. Illi suberat regnum Ariobarzanis bello intactum : ego vastis circum omnibus locis, in Armeniam concessi: sequutique[13] Romani non me, sed morem suum omnia regna subvertundi, quia multitudinem, artis locis, pugna prohibuere, imprudentiam Tigranis pro victoria ostentant. Nunc quæso considera, nobis oppressis, utrum firmiorem te ad resistendum, an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi magnas opes virorum, armorum, et auri esse : et ea re

Apud Cyzicum. Urbem Asiæ nobilissimam, ad Propontidem, de cujus obsidione plura jam, lib. III, dicta sunt. Adde Flor. III, 5; Cic. pro Leg. Man. VIII; pro Archia, IX. — *Frumentum defuit.* Nempe Mithridati. — *Nullo circum adnitente.* Nullo ex iis, qui circum erant, me adjuvante. — *Mari prohibebat.* Ideo neque maritimis commeatibus fames levari poterat; neque urbs, ut ante, mari simul et terra oppugnari. — *Parium.* Urbs maritima Mysiæ minoris, haud procul a Cyzico; vid. Cellar. III, 3. — *Heracleam.* Sc. Ponticam. Totum hoc narrat Plut. in Lucullo. Meminerunt quoque Flor., III, 5; Liv. Epit. XCV; App. etc. — *Cabira.* Urbs Ponti, quam postea Diopolim vocavit Pompeius. — *Regnum Ariobarzanis.* Cappadocia, quæ Lucullo frumentum suppeditabat. — *Vastis.* Vastatis.

13. *Sequuti.* Duplici sensu. Armeniam invaserunt non tam mei *persequendi* causa, quam morem suum *sequentes*, omnia regna subvertendi. — *Artis.* Arctis. De ingenti apud Tigranocertam pugna loquitur, quam fuse narrat Plut. in Lucull. Ibi ad internecionem cæsa est immensa Armeniorum multitudo, nullo fere Romanorum sanguine. Ceterum paulo ante Murena, legatus Luculli, Armenios longa et arcta convalle iter facientes adortus, multos jam ceciderat. Plutarch. ibidem. — *Nobis oppressis.* Ubi nos a Romanis oppressi fuerimus, non tu ad illis resistendum firmior eris, quam nunc es, nobis incolumibus; neque enim nostra clade bellum finietur. Transcendet ad te illud incendium, quo nos arserimus. — *Ea re.* Ob id utrique tuam societatem petimus; nos, ut tantæ opes communem causam adjuvent; Romani, ut tuis spoliis ditescant. Nos socium quærimus; illi, prædam.

a nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris. Ceterum consilium est[14], Tigranis regno integro, meis militibus belli prudentibus, procul ab domo, parvo labore, per nostra corpora bellum conficere; quando neque vincere, neque vinci sine tuo periculo possumus. An ignoras, Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertisse? neque quidquam a principio nisi raptum habere, domum, conjuges, agros, imperium? convenaş olim, sine patria, sine parentibus, peste conditos orbis terrarum[15]: quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin socios, amicos, procul, juxta sitos, inopes potentesque trahant, excidant; omniaque non serva, et maxume regna, hostilia ducant. Namque pauci

14. *Ceterum consilium est.* « In tali rerum statu, reliquum tibi consilium est, seu, una patet rebus tuis consulendi via; nempe ut tu, dum adhuc integrum est regnum Tigranis, et adsunt mihi milites romano bello experti, procul ab tua domo, parvo tuo labore, per nostras manus et nostra pericula, bellum conficias. Hoc, inquam, unum tibi restat consilium, quia neque vincere, neque vinci possumus, quin periculi contagio ad te perveniat, tuque aut nostra, aut Romanorum, ruina involvaris. » *Ceterum* pro adjectivo, ut passim, non pro adverbio intellige. — *Tigranis regno integro.* Tigranocerta tamen a Romanis capta erat. Sed, quoad potest, dissimulat socii regis clades. Et superiorem quidem Armeniam bellum nondum attigerat. — *Meis militibus.* Iis scilicet qui fugientem in Armeniam sequuti fuerant. Consulto loquitur, quasi multos veteres milites habeat; quum tamen maxima pars virium, Armenii, novi milites, forent. — *Parvo labore.* Nihil enim ab Arsace postulatur, nisi ut, exercitu ad socios reges misso, sine proprii regni discrimine, insignem belli conficiendi laudem habere velit. — *An ignoras.* Hoc cum antecedentibus ita jungitur: « Nos vinci sine tuo periculo non possumus. Nam Romani, terra ad occidentem iis deficiente, huc amore prædæ adducti, non magis tibi, quam ceteris, parcent. »

15. *Peste conditos orbis terrarum.* In perniciem orbis terrarum conditos. — *Peste.* Supple, *cum.* — *Inopes.* Sine potentia, cui opponitur, *potentes.* Eodem fere modo invehitur in Romanos Galgacus, Tac. Agr. xxx: *Raptores orbis*, etc. — *Omnia non serva.* Quicumque populi ipsis non serviunt, pro hostibus sunt. — *Et maxume regna.* Regum maxime imperia oderunt; nam, quum plerique populi justos dominos libertati anteferant, nos reges Romanis suspecti sumus, tanquam æmuli, et aliquando orbem

libertatem, pars magna justos dominos volunt : nos suspecti sumus æmuli, et in tempore vindices adfuturi. Tu vero, cui Seleucia [16] maxuma urbium, regnumque Persidis inclutis divitiis est, quid ab illis, nisi dolum in præsens, et postea bellum exspectas? Romani arma in omnes habent, accerruma in eos, quibus victis spolia maxuma sunt; audendo et fallendo, et bella ex bellis serendo, magni facti. Per hunc morem exstinguent omnia, aut occident : quod haud difficile est, si tu Mesopotamia, nos Armenia, circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis; fortuna aut nostris vitiis adhuc incolumem : teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus, latrones gentium oppressisse. Quod uti facias moneo, hor-

terrarum ab illorum dominatione vindicaturi. Idem Mithridates, apud Justinum, XXXVIII, 6 : « Quippe non delicta regum illos, sed vires ac majestatem insequi; neque in se uno, sed in aliis quoque omnibus hac semper arte grassatos. » — *Pauci libertatem.... volunt.* Ex ingenio Asiaticorum loquitur, qui libertatem neque usu novere, neque mente intelligunt. Innuit præcipue Cappadocas, quos, exstincta per necem ultimi Ariarathis a Mithridate occisi regum sobole, senatus imperio Mithridatis exemit, et libertate donavit. Sed illi, negantes vivere gentem sine rege posse, Ariobarzanem regem, approbante senatu, elegerunt; (vid. Justin. XXXVIII, 2). *Montesquieu, Esprit des lois*, XIX, 2 : « *La liberté même a paru insupportable à des peuples qui n'étaient pas accoutumés à en jouir. C'est ainsi qu'un air pur est quelquefois nuisible à ceux qui ont vécu dans des pays marécageux.* »

16. *Seleucia.* A Seleuco Nicatore, orientis post Alexandrum domino, condita, non procul ab antiqua Babylone ; cujus reliquæ opes novæ urbi in perpetuum accesserunt : nec deinceps ulla fuit Babylon. Seleuciam regni sui caput fecerant Parthorum reges. Vide *De Br.* V, 33. — *Aut occident.* Cadent, peribunt. — *Latrones gentium.* Sic in inclyta Mithridatis tragœdia, præstantissimus nostrorum vatum, *Racine*, III, 1 :

Des biens des nations ravisseurs altérés,
Le bruit de nos trésors les a tous attirés.
Ils y courent en foule; et jaloux l'un de l'autre,
Désertent leur pays pour inonder le nôtre.

— *Pernicie nostra tuam prolatare.* « Tuam perniciem differre, nos sine auxiliis perire sinendo. » Nusquam apertius, quam in hac epistola, romanæ artes deteguntur. Ne tamen, cum doct. viro *De Br.* crediderís, eam ab ipso Mithridate scriptam, non a Sallustio ex persona Mithridatis confictam fuisse; attendere satis est, primam phrasim (*omnes, qui secundis rebus suis,*

torque ; neu malis, pernicie nostra tuam prolatare, quam societate victor fieri. »

Curio Vulcanaliorum [17] die ibidem moratus. *Nonius de mutata declinatione. Charis.* lib. I.

Scalas pares mœnium altitudine. *Arusian.*

Dissidere inter se cœpere, neque in medium consultare. *Idem.*

Multisque suspicionibus volentia plebi [18] facturus videbatur. *Nonius, Volentia, quæ plebs vellet.*

Suspectusque fuit, incertum vero, an per negligentiam, societatem prædarum cum latronibus composuisse [19]. *Idem, Componere, conjungere.*

Collegam minorem, et sui cultorem exspectans. *Arus.*

Quam maxumis itineribus per regnum Ariobarzanis contendit ad flumen Euphratem; qua in parte Cappadocia ab Armenia disjungitur. Et quamquam ad id naves codicariæ [20] occulto per hiemem fabricatæ aderant. *Non. Codicariæ naves, quæ in flumine usui esse possunt.*

etc.), manifesta imitatione, ex Thucydide, I, 32, huc translatam. Præterea facile agnoscitur Sallustiana dictio, quæ tamen in *Historiarum* quam in *Catilinæ* et *Jugurthæ* orationibus, magis pressa et concisa, ad Thucydideam rationem propius accedere videtur.

17. *Vulcanaliorum.* Pro, *Vulcanalium.* Festus dies, Vulcano sacer, quo Romæ tubæ sacrorum, et in castris tubæ militares aqua lustrabantur. Inde *tubilustrium* quoque dicebant. Varro de L. L. V; Festus; Ovid. Fast. V. *De Br.* II, 68.

18. *Volentia plebi.* Grata plebi. Vide Jugurth. LXXIX, n. 2. Item Tac. Ann. XV, 36 : « Hæc atque talia plebi volentia fuere. » De Pompeio loquitur, vid. sup. l. III, p. 53.

19. *Suspectusque fuit..... composuisse.* M. Antonius, (de quo supra III, n. 55) accepto adversus piratas imperio, cum iis societatem prædarum composuisse suspectus fuit; sed incertum est, an eam societatem vere inierit, an per negligentiam locum dederit huic suspicioni. *De Br.* IV, 25.

20. *Naves codicariæ.* Varro, de Vita populi romani : « Antiqui plures tabulas conjunctas *codices* dicebant; a quo in Tiberi naves codicarias appellamus. » Festus vero : « *Caudicariæ*, naves ex tabulis crassioribus factæ. » Hic narratur Lucullus in Armeniam properans; qua expeditione Tigranem magnis cladibus affecit, Tigranocertamque cepit. *De Br.* V, 10.

Qui prætergrediebantur equites cataphracti[21], ferrea omni specie. *Idem.*

Quum interim, lumine etiam tum incerto, duæ Galliæ mulieres, conventum vitantes ad menstrua solvenda, montem ascendunt[22]. *Idem.*

Pluteosque[23] rescindit ac munitiones demolitur, locoque summo potitur. *Idem*, *Demoliri est diruere.*

Exercitum dimisit[24], ut primum Alpes degressus est. *Arusianus.*

Tetrarchas regesque territos animi firmavit. *Idem.*

Simul eos[25], et cunctos jam inclinatos laxitate loci, plures cohortes, atque omnes, ut in secunda re, pariter acre invadunt. *Nonius.*

21. *Equites cataphracti.* Ex καταφράσσω, munio. Equites ferro undequaque muniti et operti, quos memorat Plutarchus in Lucullo, exercitum Tigranis describens. Ammianus, XVI, 10, similiter armatos depingit : « Sparsique cataphracti equites, quos clibanarios dictitant Persæ, thoracum muniti tegminibus, et limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros : quos laminarum circuli tenues, apti corporibus, flexibus ambiebant, per omnia membra deducti; ut quocumque artus necessitas commovisset, vestitus congrueret junctura cohærenter aptata. »

22. *Quum interim.... ad montem ascendunt.* Narrat Plutarch. in Crasso, pugnaturum adversus gladiatores Crassum sex hominum millia præmisisse, qui editiorem locum occuparent : sed eorum agmen conspectum fuisse a duabus Galliæ (id est, ex Gallia) mulieribus, quæ hostes de paratis insidiis monuerunt. Quæ res ipsis Romanis prope vertit in perniciem; nisi quod cito adveniens Crassus gladiatores maxima clade affecit. — *Ad menstrua solvenda.* Plutarch. de *menstruo sacro* intelligit, quod hæ gallicæ mulieres pro suis (nam multi Galli erant inter rebelles) faciebant. Id probant Lipsius; Douza (apud Haverc.); Turneb. XV, 1; et Cortius. Non probat *De Brosses ;* qui ignorasse Plutarchum suspicatur, gallicis mulieribus morem fuisse conventum hominum vitandi, quoties *menstruo morbo* laborarent; quod proprie dicitur, *menstrua solvere*, ut patet ex hoc Lucretii VI :

Tempore eo si odoratu est, quo menstrua solvit.

23. *Pluteosque.* De pluteis, quibus protecti obsidentes, sagittis, sive fundis vel missilibus defensores de propugnaculis civitatis exturbant, vide Veget. IV, 15.

24. *Exercitum dimisit.* Metellus ab Hispania rediens. *De Brosses*, IV, 63.

25. *Simul eos*, etc. Locus plane

Hi locorum perignari[26], et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ad eam artem se quisque in formam parmæ equestris armabat. *Nonius*, *Parma est scutum breve.*

De pecore coria recens detracta, quasi glutino adolescebant. *Charisius*, lib. I. *Servius.*

Avidior modo properandi factus. *Arusian.*

Consilii æger. *Idem.*

Reversi postero die[27], multa, quæ properantes deseruerant in castris, nacti, quum se ibi cibo vinoque læti invitarent. *Nonius*, *Invitare est repleri.*

Atque hiavit humus multa[28], vasta et profunda. *Idem*, *Hiare*, *aperire.*

Rursus jumenta nacti ad oppidum ire contendunt. *Non.*

Ubi se laniata navigia fundo emergunt. *Arusian.*

corruptus, et unde haud facile sensum elicias. Itaque relinquo.

26. *Locorum perignari.* Existimo, cum Douza, rescribendum esse, *pergnari.* Agitur enim de pastoribus Lucanis, quos in suam causam traxit Spartacus; qui certe non ignari erant locorum. Idem, quod hic Sallustius, narrat Flor. III, 20: « Affluentibus in diem copiis, quum jam esset justus exercitus, e viminibus, pecudumque tegumentis inconditos sibi clipeos, e ferro ergastulorum recocto, gladios ac tela, fecerunt. » — *Coria recens detracta.* Hoc est quod vocat Florus, *pecorum tegumenta.* Vide *De Br.* III, 62. — *Adolescebant.* Adhærescebant.

27. *Reversi postero die.* Sc. gladiatores, Crixo duce, victores prælio adversus consulem Gellium commisso; ut narrat *De Br.* IV, 7. — *Invitarent.* Cortius *cibo vinoque* interpretatur, *ad cibum vinumque.* Possunt tamen esse voces istæ sexto casu. Nam qui propinat alteri, aut illi cibum porrigit, hic eum *per vinum cibumque* invitat. Quæ res utcumque sit, perignarus homo fuerit, aut perignaro sæculo natus Nonius necesse est, quem non pudeat dicere, *invitare* est *repleri.*

28. *Hiavit humus multa.* Neque, pace Nonii dixerim, *hiare* est *aperire*; sed *aperiri. Hiavit multa* est, *multos hiatus passa est*, ut *peccavit multa*, est *peccata multa admisit*; et sexcenta ejusmodi. Hoc *De Br.* II, 25, refert ad terræ motus et prodigia in cœlo, quæ animos exterruerunt Octavio et Curione consulibus. Quibus prodigiis motus senatus per totum imperium colligi jussit oracula Sibyllarum, ut libri Sibyllini, paulo ante Syllæ victoriam, cum capitolio incensi supplerentur.

Tum vero Bithyni[29] propinquantes jam amnem Tartanium. *Idem.*

Eos qui hoc malum publicum clandestinis consiliis comparaverunt[30]. *Nonius.*

In quis notissimus quisque, aut malo dependens verberabatur, aut immutilato corpore, improbo patibulo eminens affigebatur[31]. *Idem*, *patibulum est crux.*

Ad Siciliam vergens faucibus non amplius patet millibus v et xxx. *Messus.*

Clausi lateribus pedem. *Idem.*

Naphthas[32]. *Probus Catholicis.*

LIB. V.

At Lucullus, audito[1] Q. Marcium Regem pro consule per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere. *Priscianus* lib. XVIII.

29. *Tum vero Bithyni.* Narrat *De Br.* III, 31, Bithynos, ex Romanorum auxiliaribus, nunciasse Marco Cottæ, qui apud Chalcedona erat, Lucullum adventare : ideo Cottam, qui omnem speratæ victoriæ laudem sibi vindicare cupiebat, prælium temere commisisse, quo victus a Mithridate terra simul et mari fuit. Vid. Plutarch. in Lucullo.

30. *Eos qui... comparaverunt.* Hoc fragmentum Sisennæ, non Sallustii, esse affirmat Putsch. ex Nonio. Suspicor mentionem esse de lege Varia, quæ in eos quæri jubebat, quorum malis artibus bellum sociale concitatum fuerat. Cicer. de Orat. III, 2, *hujus criminis principes civitatis reos* fuisse queritur. *De Br.* vero intelligit de frumenti inopia, cujus meminimus lib. III, n. 9.

31. *In quis.... affigebatur.* Hoc passi sunt Romani imprudentia M. Antonii Cretici apud insulam Diam, non longe a Creta, navali prælio victi. Flor. III, 7. *De Br.* IV, 28.

32. *Naphthas.* Genus liquidi bituminis, quod ardens in aqua non exstinguitur. Describit Plin. II, 105. Ex eo confici, quod *græcanicum ignem* vocabant, putat *De Br.* IV, 42.

LIB. V.

1. *Audito.* Id est, *hoc negotio audito*, scilicet Q. Marcium Regem, etc. Sic solve, paulo infra, *comperto.* — *Q. Marcium Regem.* Qui consul fuerat, anno 686. Huic Cilicia provincia obvenerat; ab eoque auxilium, sed frustra, petiit Lu-

Legiones Valerianæ[2] comperto, lege Gabinia Bithyniam et Pontum consuli datam : missos esse. *Idem ib.*

Regem aversabatur. *Arusianus.*

Ceteri negotia sequebantur familiaria legatorum, aut tribunorum ; et pars sua[3] commeatibus mercatis. *Non.*

Et uxori ejus frater erat[4]. *Arusianus.*

Sæpe celebritatem nominis intelligo[5] timentem. *Priscian.* lib. XVIII.

Video ingentia dona quæsitum ire properantem. *Idem ibidem.*

Nam si Pompeio quid humani evenisset[6]. *Arusian.*

Quibus de causis Sullam in victoria dictatorem, equo descendere, sibi uni assurgere de sella, caput aperire solitum[7]. *Nonius*, *Arusianus*, *Servius.*

cullus, quem Valerianæ legiones contra Tigranem sequi abnuebant. *De Br.* v, 78. — *Pro consule.* Vid. Jug. XXXVII, n. 2.

2. *Legiones Valerianæ.* Eædem quæ et Fimbrianæ dictæ sunt. Vid. lib. II, n. 21. — *Consuli.* Manio Acilio Glabrioni, anno 687. Hunc Cicer. pro Leg. Man. II, *non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum* ait. — *Missos esse.* Verbum deest. Scilicet milites dixerunt se missos esse, id est, sacramento militari, quod in Luculli verba conceperant, exsolutos, quoniam Lucullus jam non erat imperator. Ad eam defectionem animos accenderat P. ille Clodius, qui postea tot seditionibus rempublicam turbavit.

3. *Pars sua.* Scil. *negotia* sequebatur. — *Commeatibus mercatis.* Redempta operum militarium vacatione. Nota *mercatis*, passivo sensu.

4. *Uxori ejus frater erat.* P. Clodius, qui in Luculli exercitu seditiones conflabat, Luculli tamen uxoris frater erat.

5. *Intelligo timentem.* Intelligo qui timeat ; intelligo nonnullos timere celebritatem nominis. Hæc *De Br.* v, 53, Catulum, quum legem Gabiniam dissuaderet, de Pompeio dicentem inducit.

6. *Si Pompeio quid humani evenisset.* Si quis humanorum casuum Pompeium intercepisset. Hæc fuit pars ejusdem orationis Catuli. De ea jam diximus III, n. 32, ex Velleio. Eamdem rem narrat Plutarch. in Pompeio; Val. Max. VIII, 15, 9; et Cic. pro Leg. Man. XX.

7. *Quibus de causis..... solitum.* Quamvis *De Br.* v, 53, hæc etiam Catulum de Pompeio dicentem inducat, videtur potius (ex verbis SIBI UNI) de se ipso dicere Pompeius, cui scilicet adhuc adolescenti tantum honoris habuit Sylla dictator : vide Appian. I, 80; et Plutarchum in Pompeio. Breviter

FRAGMENTA

INCERTORUM LIBRORUM.

Ne inrumiendi po..... sublicibus cavata.... sent. *Festus.*

Cujus duas insulas[1] propinquas inter se, et decem stadium procul a Gadibus sitas, constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere. *Nonius.*

Serum bellum in angustiis futurum. *Junius Philarg. ad Georg. Virg.*

Illi[2] tertio mense pervenere in Pontum multo celerius spe Mithridatis. *Arusianus.*

Ergo senati decreto serviundumne sit. *Donatus* Act. II, Sc. II. *Andr.*

Pompeius oris improbi[3], animoque inverecundo. *Suet. de claris Gram.* cap. 14.

hoc fragmento habes tria genera honoris, consulibus, imperatoribus, aliisque potentioribus viris exhibita; quibus addere convenit, *via decedere.* Senec. Ep. LXIV, circa finem: « Si consulem videro aut prætorem, omnia quibus honor haberi solet, faciam: equo desiliam, caput adaperiam, semita cedam. » — *Caput aperire.* Nec pileo, nec petaso, nec alio tegmine capitis, nisi in peregrinatione, aut morbo, aut ludis, utebantur Romani. Propter ventum tamen, æstum, sacrificia, aliasve causas, togæ laciniam in caput rejicere solebant; quam detrahebant, ubi quis obvius erat, cui honos habendus esset. Vid. Plutarch. Quæst. Rom. X; Lips. Elect. I, 19.

FRAGM. INCERTORUM LIBRORUM.

1. *Duas insulas.* Hic dicebat Sallustius de Sertorii consilio in fortunatas insulas abscedendi.—*Decem stadium.* Error manifestus in numero. Nam octo stadia unum duntaxat milliarium conficiunt. Plutarch. in Sertorio decem millia stadium a littoribus Africæ numerat. De his insulis vide Plin. VI, 31 et 32. Hodie Canarias vocamus, eo nomine non duas, sed septem complexi. Una tantum antiquis *Canaria* dicta, a multitudine *canum* ingentis magnitudinis, si Plinio creditur. De fortunatis insulis multa poetice Homerus, Od. IV, 563; Horat. Epod. XVI; multa φιλολόγως. *De Br.* II, 5.

2. *Illi.* Hoc *De Br.* III, 83, ad expeditionem Luculli in Pontum refert. Jam ante multa adversus regem in Asia feliciter gesserat.

3. *Pompeius oris improbi.* Sua, an librariorum, culpa hoc perperam exhibeat Suetonius, incertum. Sed

Simulans sibi alvum purgari[4]. *Isidor.* lib. XI, *in voce* alvus. *Serv. ad* lib. III *Æneidos.*

Fecit ut nunciis confestim lugubribus. *Charis.* lib. II.

Communem habitum transgressus. *Prisc.* lib. XIV.

Inter arma civilia æqui boni famas[5] petit. *Seneca Ep.* CXIV.

nihil certius, quam Sallustium scripsisse, *oris probi animoque inverecundo;* ut sit vultum inter et animum discrepantia; nam aliter bis idem fere dixisset. Præterea celebris apud antiquos oris Pompeiani *probitas*, i. e. verecundia. Plin. VII, 12: « Magno Pompeio Vibius quidam e plebe, et Publicius etiam servitute liberatus, indiscreta prope specie fuere similes, illud *os probum* reddentes, ipsumque honorem eximiæ frontis. » Senec. Ep. XI: « Nihil erat mollius ore Pompeii; nunquam non coram pluribus erubuit; utique in concionibus. » Vide etiam Pompeii effigiem, Vell. II, 29. Probum igitur os fuisse Pompeio constat; animum inverecundum quis neget, cui nihil turpe visum est, quo imperium adipisceretur? Hocque imprimis Sallustianum judicium confirmat, quod cupidissimus honorum, nec suam cupiditatem aperte profiteri ausus, quum se magna semper atque alta sentire simularet, ad humillimas sæpe artes prava ambitione descendit. Ceterum Lenæus, Pompeii libertus, acerbissima in Sallustium satira, patronum ultus est; nec aliunde forsan *probi* sermonis, *inverecundæ* et improbissimæ vitæ fama, tanti scriptoris nomini adhæsit.

4. *Simulans sibi alvum purgari.* Hoc de Carbone dictum esse potest; qui, « jussu Pompeii in Sicilia ad supplicium ductus, petiit a militibus demisse et flebiliter, ut sibi alvum levare, priusquam exspiraret, liceret, quo miserrimæ lucis usu diutius frueretur. » Val. Max. IX, 13, 2. Et hujus quidem rei meminit Douza; sed verisimilius putat Sallustium de Mario loqui, « qui (ut tradit Plutarchus), quum sub noctem eum principes civitatis adissent, atque in Saturninum concitarent, his insciis admisit illum altera janua. Mox alvi profluvium apud utrosque causatus, modo ad hos, modo ad illum transcurrit, eosque ita inter se commisit atque inflammavit. » Huc quoque refert hoc frag. *De Br.* 1, 7.

5. *Æqui boni famas.* Totum Senecæ, Ep. CXIV, locum huc transferre operæ pretium erit, ut qui non ad hoc tantum, sed ad quatuor alia fragmenta, quæ infra legentur, pertineat. Simul ad artem scribendi non inutilia hinc præcepta ducere licet. « Hæc vitia, (de vitiis sermonis loquitur) unus aliquis inducit, sub quo tunc eloquentia est. Ceteri imitantur, et alter alteri tradunt. Sic Sallustio vigente, amputatæ sententiæ, et verba ante exspectatum cadentia, et obscura brevitas, fuere pro cultu. Arruntius, qui historias belli punici scri-

Haud impigre, neque inultus occiditur. *Donat. ad Andr. Terentii*, Act. I, Sc. II.

Festinantibus in summa inopia patribus. *Idem ad Eunuch.* Act. IV, Sc. III.

Hostes oppressi aut delapsi forent. *Isidor.* lib. XVIII.

Exercitum argento fecit. *Seneca Epist.* CXIV.

Togam paludamento mutavit. *Isidor.* lib. XIX. *Serv.*

[Hiero rex Syracusanorum bellum fecit[6].] *Seneca.*

Ibi triennio frustra trito. *Servius ad* IV *Æneidos.*

ORATIO C. COTTÆ[7] CONSULIS AD POPULUM.

« Quirites, multa mihi pericula domi, militiæ multa adversa fuere; quorum alia toleravi, partim repuli deorum

psit, fuit Sallustianus, et in illud genus nitens. Est apud Sallustium: *Exercitum argento fecit;* i. e. pecunia paravit. Hoc Arruntius amare cœpit; posuit illud omnibus paginis. Dicit quodam loco: *Fugam nostris fecere.* Alio loco: *Hiero rex Syracusanorum bellum fecit.* Et alio loco: *Quæ audita Panormitanos dedere Romanis fecere.....* Totus his contexitur liber. Quæ apud Sallustium rara fuerunt, apud hunc crebra sunt et pene continua. Nec sine causa: ille enim in hæc incidebat; at hic illa quærebat. Vides autem quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est. Dixit Sallustius: *Aquis hiemantibus.* Arruntius in primo libro Belli Punici ait: *Repente hiemavit tempestas.* Et alio loco, quum dicere vellet frigidum annum fuisse, ait: *Totus hiemavit annus.* Et alio loco: *Inde L X onerarias, leves præter militem et necessarios nautarum, hiemante aquilone, misit.* Non desinit omnibus locis hoc verbum infulcire. Quodam loco Sallustius dicit: *Inter arma civilia æqui boni famas petit.* Arruntius non temperavit, quominus primo statim libro poneret: *Ingentes esse famas de Regulo.* »

6. *Hiero rex Syracusanorum bellum fecit.* Ex loco Senecæ patet hoc esse Arruntii non Sallustii, fragmentum. Ceterum plus æquo severus est Seneca in dictione reprehendenda, qua omnes fere auctores usi sunt. Sall. Cat. XXVI: « Constituit bellum facere. » Idem Catil. LII: « Nisi iterum patriæ bellum fecit. » Cæsar, B. G. III, 29: «...civitatibus, quæ proxime bellum fecerant. » Cicer. Catil. II, 5: « Nulla est enim natio quam pertimescamus; nullus rex, qui bellum populo romano facere possit. » Et alibi passim.

7. *Oratio C. Cottæ.* Hæc oratio, ut ex ipsa patet, a C. Aurelio Cotta, consule A. 679, ad populum habita est, cujus seditio, propter inopiam de qua lib. III, n. 9, di-

auxiliis, et virtute mea : in quis omnibus neque animus negotio defuit, neque decretis labos[8]. Malæ secundæque res, opes, non ingenium, mihi mutabant. At contra in his miseriis cuncta me cum fortuna deseruere : præterea senectus, per se gravis, curam duplicat; cui misero, acta jam ætate, ne mortem quidem honestam sperare licet. Nam, si parricida vestri sum, et bis genitus[9] hic deos

ximus, orta erat. Ea ergo referri debet ad lib. III Hist. Sallust.; et graviter errant, quicumque arbitrantur esse Marci Cottæ, quem a Mithridate fusum vidimus, lib. IV, n. 29, iram populi, ob istam cladem, deprecantis. Imo facile apparet ex C. Cottæ verbis, compulsam fame plebem ei extrema minari; qui quidem se illius iræ fortiter permittit, ita tamen ut validissimis argumentis, et præsertim affectibus, furentem leniat. Ad hanc quoque seditionem pertinere videtur, paulo supra, *festinantibus in summa inopia patribus;* ubi *festinare* est, trepidare, incerto animo æstuare, nunc hoc, nunc illud consilium capere.

Jam vero maximus orator erat C. Cotta. De eo multa Tullius, Brut. XXX, XLIX, LV et seqq. Idem eum actorem inducit in præstantissimis de Oratore dialogis. Ne tamen credideris ab ipso, ut putat *De Brosses*, non ab Sallustio scriptam esse hanc orationem. Item est de hac, quod de ceteris. Inseruit suæ narrationi Sallustius, quæ ab aliis, pro re ac tempore, dici maxime oportuit. Sed alienas suo more protulit sententias, cultuque proprii sermonis ornavit. Nec is erat tanti ingenii vir, qui hoc spatii orationibus non suis, inter sua, concederet, multicoloribus quasi vestitum pannis opus prolaturus.

8. *Neque decretis labos.* In asperis negotiis neque animus ad fortiter decernendum defuit; neque ad exsequendum labor, ubi quid decrevissem. Clar. *Dureau de L. M.*, quem hic non probo, intelligit, NEQUE DECRETIS LABOS, quasi esset, *neque constantia ad id tolerandum, quod semel fato decretum est.* — *In his miseriis.* Quum in suorum civium invidiam, quasi publicorum malorum auctor, incurrerit. — *Acta jam ætate.* Cortium sequimur. Carrio emendat, *senecta jam ætate;* quod ut Sallustianum profert Serv. ad Æn. XX. — *Ne mortem quidem honestam.* Nam honeste mori nullo modo potest, qui nefandi sceleris reus moritur.

9. *Bis genitus.* Bis quodammodo nascebantur cives ab exilio in patriam revocati. Exilium enim sequebatur deminutio capitis, quam nos vocamus *mortem civilem.* Ideo Tullius, ad Attic. VI, 6, reditum suum παλιγγενεσίαν vocat. C. autem Cotta in exilium iverat, anno 663, quum, teste Appiano, B. C. I, 37, in judicium vocatus fuisset lege Varia, in eos lata *quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent*, ut ait Val. Max. VIII, 6, 4. Hac lege, de qua jam diximus lib. IV, n. 30,

penates meos, patriamque, et summum imperium vilia habeo; quis mihi vivo cruciatus satis est, aut quæ pœna mortuo? quum omnia memorata apud inferos supplicia scelere meo vici. A prima adolescentia in orc vestro, privatus et in magistratibus, egi : qui lingua, qui consilio meo, qui pecunia voluere, usi sunt : neque ego callidam facundiam, neque ingenium ad malefaciundum exercui : avidissumus privatæ gratiæ[10] maxumas inimicitias pro republica suscepi : qui victus cum illa simul, quum egens alienæ opis plura mala exspectarem, vos, Quirites, rursus mihi patriam, deos penates, cum ingenti dignitate dedistis. Pro quibus beneficiis vix satis gratus videar, si singulis animam, quam nequeo[11], concesserim. Nam vita et mors jura naturæ sunt : uti sine dedecore cum civibus, fama et fortunis integer, agas, id dono datur atque accipitur.

ejectum Cottam confirmat Cic. de Orat. III, 3. Post a Sylla victore revocatus est. Cur vero lata fuerit lex Varia, ex Appiano et multis aliis dilucide explicat *Crevier*, *Hist. Rom.* lib. XXXI; quem vide. Hoc nos dicere satis sit, optimatibus injectum fuisse belli socialis concitati crimen, quia Drusus advocato, ut commodas senatui leges ferret, sociorum auxilio, civitatis romanæ jus eis pollicitus fuerat. Quum vero non omnia senatui ex voto cessissent, Drususque interfectus fuisset, promissa ab illo civitas sociis non data est. Ideo hi arma sumpsere; de quo bello Flor. III, 18. — *Summum imperium.* Consulatus scilicet, ei a populo romano mandatus.

10. *Avidissumus privatæ gratiæ.* Horum verborum cum sequentibus oppositionem animadverte. Quanquam multos amicos sibi privatim facere studeret, nullam tamen inimicitiam, reipublicæ causa, reformidavit — *Victus simul cum illa.* Exilium suum innuit. Rempublicam vero victam dicit quæstionibus ex lege Varia injuste habitis in civitatis principes, quorum multi in exilium acti fuerant.

11. *Quam nequeo.* Hoc non dicit, quia non licet ei pro civibus suis mori (se enim infra morti devovet); sed quia non *multas* animas habet, quas det pro *singulis.* — *Nam vita et mors*, etc. Etsi possem singulas pro singulis vobis animas dare, non tamen satis gratus esse viderer. Id enim darem vobis, quod naturæ, non hominum, juris est : vos autem mihi dedistis, quod vestri juris erat; scilicet ut sine dedecore cum civibus meis, fama et fortunis integer, viverem. Quod ego vobis darem, non pro vero dono accipi potest; quod vos dedistis mihi, id

Consules nos fecistis[12], Quirites, domi bellique impeditissuma republica. Namque imperatores Hispaniæ stipendium, milites, arma, frumentum poscunt : et id res cogit; quoniam, defectione sociorum, et Sertorii per montes fuga, neque manu certare possunt, neque utilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis aluntur; Macedonia plena hostium est ; nec minus Italiæ marituma, et provinciarum : quum interim vectigalia parva, et bellis incerta, vix partem sumtuum sustinent : ita classe, qua commeatus vehebatur[13], minore quam ante navigamus. Hæc si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite uti monet ira, supplicium sumite : sin communis fortuna asperior est, quare indigna vobis nobisque et republica incipitis? Atque ego, cujus ætati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur ; neque

demum dono datur atque accipitur.

12. *Consules nos fecistis.* Postquam animos leniit fidem suam et populi beneficia commemorando, objecta sibi crimina diluere aggreditur. — *Imperatores Hispaniæ.* Metellus et Pompeius; vid. sup. l. III, n. 9. — *Defectione sociorum.* Hispanorum, quos in suam causam traxerat Sertorius. — *Neque manu certare possunt.* Quia Sertorius in montes fugiens bellum eludebat, ut hostes suos fame et laboribus fatigaret. — *Utilia parare.* Quæ ad alendum exercitum opus sunt, parare non poterant, propter defectionem sociorum. — *Macedonia plena hostium est.* In hoc tempus incidit bellum quod adversus barbaros in Macedonia et Thracia gessit Curio, qui consul fuerat anno 678; de quo bello jam dixit Sall. lib. I, et Flor. III, 4. — *Italiæ marituma.* Sc. infesta prædonibus, qui ad ostium usque Tiberis venerunt. De bello piratico, Flor. III, 6 ; Cic. pro Leg. Man. XI et XII. — *Vectigalia parva.* Propter Mithridaticum bellum; vide Cic. pro Leg. Man. VI.

13. *Qua commeatus vehebatur.* Sequimur Haverc. Nec satis liquet cur hæc mutaverint Carrio et Cortius in, *quæ commeatus tuebatur.* Ceterum ab Africa præsertim, Sardinia et Sicilia, commeatus Romam advehebantur, quæ *tria frumentaria subsidia reipublicæ* vocat Cicero pro Leg. Man. XII. Neque vero mirum est minorem, quam antea, classem frumenta in Italiam advexisse, quum exercitus in Asia alere oporteret, mariaque simul piratarum latrociniis interclusa essent. — *Hæc si... contracta sunt.* Si tot malorum causa in nostra socordia fuit. De hoc sensu verbi *contrahere*, vid. Orat. Lep. n. 11. — *Non deprecor.* Sc. mortem.

mox ingenui corporis [14] honestius, quam pro vestra salute, finem vitæ fecerim. Adsum en C. Cotta consul : facio, quod sæpe majores asperis bellis fecere : voveo dedoque me [15] pro republica. Quam deinde, cui mandetis, circumspicite : nam talem honorem bonus nemo volet, quum fortunæ, et maris, et belli ab aliis acti ratio reddenda, aut turpiter moriendum sit. Tantummodo in animis habetote, non me ob scelus aut avaritiam cæsum; sed volentem pro maxumis beneficiis animam dono dedisse. Per vos, Quirites, et gloriam majorum [16], tolerate advorsa, et consulite reipublicæ. Multa cura summo imperio inest, multi ingentes labores : quos nequidquam abnuitis, et pacis opulentiam quæritis, quum omnes provinciæ, regna, maria, terræque aspera aut fessa bellis sint. »

14. *Neque mox ingenui corporis*, etc. Si *mox* abesset, sensus in promptu : « Neque finem honestius, quam pro vestra salute, ingenui corporis vitæ fecerim. » Adde *mox*, et supple (ut in Jug. XLVII, n. 2, et in Orat. Lepidi et Philippi) quod styli currentis velocitas extrusit; habebis : « Neque honestius, quam pro vestra salute finem, *utique* mox *faciendum*, ingenui corporis vitæ fecerim. » Id est : Nec vitæ, mox relinquendæ, finis honestior ingenuo viro mihi esse potest, quam si pro vestra salute moriar. *Ingenuum corpus dixit* pro libero et generoso; ut Ovid. Her. v, 144 :

Turpiter ingenuum munera corpus emunt.

Sic autem scripsimus ex Cortio; nam Hav. habet *ingenuo* corpori (ita ut genitiv., non dativ. sit *vitæ*); et MSS., nullo sensu, *ingenio corporis*.

15. *Voveo dedoque me*. Vehementer affectus commovet, se prope fortitudine æquando et Deciis et Curtiis, qui, quodcumque mali populo romano immineret, suis capitibus imprecati, certæ morti semet obtulerunt. Vid. Flor. I, 14 et 17; Liv. VII, 6; VIII, 9, et X, 28. — *Et maris*. Vulg. *et pacis*. Sed Cortius et Carrio monuerunt veteres omnes libros habere, et *maris*; quod certe multo aptius est; quum præsertim ex intercluso mari tanta frumenti penuria oriretur.

16. *Per vos, Quirites*, etc. Precor vos, Quirites, et per vos ipsos, et per gloriam majorum. Haverc. *Per vos igitur*. Cortius, ex optimis libris, delet *igitur*. — *Multa cura summo imperio inest*. Non sine multa cura et maximis laboribus vobis datum est universo terrarum orbi imperare. Pro tantis suis muneribus pretium aliquod repetere fortunam æquum est. — *Aspera*. Infesta. Hac oratione placati sunt animi.

Germani intectum[17] rhenonibus corpus tegunt. *Isidor.* lib. XIX, 23.

Unde pons in oppidum pertinens explicatur[18]. *Arusian.*

Et ei voce magna vehementer gratulabantur. *Donat.*

Et Marius victus duplicaverat bellum[19]. *Serv.*

Atque eos a tergo incurrerunt. *Rufinianus.*

In hunc modum disseruit. *Prisc.*

Inde ortus sermo[20] percunctantibus utrimque, satin

Mox consul frumentum plebi distribuit, ut diximus supra l. III, n. 39. Deinde, quum, propter tribuniciæ potestatis desiderium, novi semper tumultus instarent, idem C. Cotta, jus ceteros magistratus adipiscendi reddidit tribunis (vide lib. III, n. 26).

17. *Intectum.* Non tectum. Eodem sensu Tacit. Annal. II, 59 : « Pedibus *intectis* et pari cum Græcis amictu. » Senec. de Prov. IV, de Germanis ait : « Horrenda iniquitas cœli; *intecta* corpora. » Cæs. B. Gallic. VI, 21, nostr. ed. vol. I, p. 262 : « Pellibus aut parvis rhenonum tegimentis utuntur, *magna corporis parte nuda.* » Virgil. Georg. III, 381 :

Talis hyperboreo septem subjecta trioni
Gens effrena virum Riphæo tunditur euro,
Et pecudum fulvis velantur corpora setis.

Jam *rhenones* quid sint, disces ex doctissima editorum nota, ad Cæsaris l. c., item ad cap. XXVI ejusdem libri; ubi reperies optimum in ejusmodi rebus judicem *Cuvier* pronunciasse *rhenonem* esse animal quod gallice vocamus *le renne*, germanice *reenthiere*, i. e. *rheno-fera*, (græce diceretur ῥήνων θήρ); quod animal nunc in ultima septentrionis remotum, in Hercynia quoque silva tunc temporis inveniebatur. In hoc Sallustii fragmento *rhenones* usurpantur pro rhenonum pellibus. In quam sententiam et Isidorus Orig. XIX : « Rhenones sunt velamina humerorum et pectoris usque ad umbilicum, atque intortis villis adeo hispida ut imbres respuant, etc. » Nihil in hac re momenti est, quod græci oves vocabant ῥῆνας, nisi quod hoc confirmat et vocabula fere similia pluribus feris convenisse, et aliquam esse græcam inter et germanicam linguam similitudinem, quod ex permultis aliis vocibus apparere nemo nescit.

18. *Unde pons... explicatur.* Hoc *De Br.* III, 41, de turribus intelligit quæ a Mithridate Cyzicum obsidente muris admovebantur. Pons autem ex ejusmodi turribus proferri solebat, quo aditus in murum fieret; vid. Jug. XXI, n. 6.

19. *Duplicaverat bellum.* Sic Tac. Hist. IV, 54 : « Audita interim per Gallias Germaniasque mors Vitellii duplicaverat bellum. » *De Br.* I, 21, his verbis innui putat Marium juvenem, quo ad Sacriportum fuso, arma sumpsere Samnites, Telesino duce; sicque duo bella, pro uno, Syllæ habenda fuerunt.

20. *Inde ortus sermo*, etc. *De Br.* II, 56, hoc narrat de Pompeii et

salve, quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis, agerent? *Donatus Ter. Eun.* V. 6, 8.

[Fugam nostris fecere[21]. *Seneca.*]

[Quæ audita Panormitanos dedere Romanis fecere. *Id.*]

Quo cupidius in ore ducis sese quisque bonum et strenuum ostentantes. *Isidorus. Servius* X.

Ventis per cava terræ citatis[22], rupti aliquot montes, tumulique sedere. *Isidorus. Servius.*

Ubi multi[23] nefande casu super ausi, atque passi. *Prisc.*

Saguntium. *Charisius.*

Tota autem insula modica[24], et cultoribus inanis est. *Martianus.*

Immodicus animi. *Arusianus.*

Pugnam illam pro omine belli futuram. *Servius.*

Tantum antiquitatis[25] curæque majoribus pro Italica gente fuit. *Idem.*

Metelli exercitibus, quum in Hispania adversus Sertorium bellantes, prius divisi, se conjunxerunt. — *Satin salve.* De hoc Cortius: « Vulgo edunt, *satin salvæ.* Sed Donatus ad Ter. Eunuch. v, 5, ubi hæc nobis servavit, diserte adverbium facit, et exponit, *integre*, *recte*, *commode.* Est enim præcisa locutio, et intelligendum *satisne salve agerent.* Dubium tollit Apuleii Apologia: *Puer ubi sit et quam salve agat, interrogat;* etc. » Idem Cortius scribit *augerentur*, proponit vero, *agerent;* quod a Bip. receptum, unice verum esse, vel ex Apuleii exemplo appareret, nisi jam satis notum esset non aliter loqui Sallustium. — *Familiaribus.* Hoc verbo significat peculiares utriusque exercitus copias. Scilicet alter alterum interrogat, quantæ sint copiæ, quantæ opes in suo exercitu.

21. *Fugam nostris fecere.* De hoc et sequenti fragmento vide supra n. 5.

22. *Ventis per cava terræ citatis.* Id est, *vehementer impulsis.* De hoc terræ motu, vide sup. IV, n. 28. Eodem refert hæc duo fragmenta *De Br.* II, 25.

23. *Ubi multi.* Hav. *ubi multa.* Quo spectet hoc fragmentum, non satis constat. — *Saguntium.* Pro *Saguntinorum* dictum esse notat Charisius, lib. I.

24. *Tota.... insula modica.* Hoc dictum putat *De Br.* de Dia insula, Cretæ vicina, ubi navali prælio victus est Antonius Creticus; vide sup. IV, n. 31.

25. *Tantum antiquitatis.* Serv. ad Georg. II, 209, interpretatur *amorem et caritatem*, ut alibi, *nihil antiquius ducere.* Hunc sensum confirmat Fronto, in fragm. ab Angelo

Opprobrii gratia. *Agroetius.*

Maxumis ducibus, fortibus strenuisque ministris. *Diomedes* lib. II.

Non repugnantibus modo[26], sed ne deditis quidem. a, b, c, m. *Donatus.*

In silva Sila fuerunt[27]. *Servius.*

In nuda injecta corpora. *Diomedes.*

Apollinis filia et Cyrenes[28]. *Probus.*

Ne simplici quidem morte[29] moriebantur. *Serv.*

Maio nuper repertis, ubi sic legitur (ed. Francofurti, 1816, pag. 271) : « Tantum antiquitatis cura e(sto). Pro ITALICA GENTE, MAJORIBUS Sallustius ait. Antiquitatis verbum usitatum, sed nusquam (eo) sensu usurpatum (neque) probe adscitum. Nam volgo dicitur, quod potius sit antiquius esse. Inde ipsa Sallustio derivata. « Quod me sic emendare non succensebit doctissimus editor : » *Tantum antiquitatis curæque pro italica gente majoribus* (fuisse) Sallustius ait. *Antiquitatis* verbum usitatum, sed nusquam (eo) sensu usurpatum, probe adscitum. Nam volgo dicitur, etc. » Nota Frontonem hoc proferre ad confirmandum præceptum, quod statim ante dedit : « Verbum aliquod adquiras non fictum a te, nam id quidem absurdum est, sed usurpatum concinnius, aut congruentius, aut accommodatius. » Quid addemus nos, nisi hunc *antiquitatis* sensum concinne et congruenter derivatum esse ab *antiquius*, quoad hoc *potius* et *carius* denotat; *antiquius* autem ista optime denotare, non modo propter usum, qui sic voluit, sed propter ipsam vocabuli vim et originem? Quid enim est *antiquum*, nisi quod est *ante*? Nonne vero est *ante* cetera, quod ceteris potius et carius est? Ne offendat mutatio præpositionis *ante* in *antiquus;* ea enim non alia est quam præpositionis *post*, in *posticus*.

26. *Non repugnantibus modo*, etc. Hoc citat Donatus ad Ter. Phorm. I, 2,48, cum quatuor litt. *a. b. c.m.* quæ initia totidem verborum fuisse videntur. Nodus nunquam solvendus.

27. *In silva Sila fuerunt*. Magna silva in Bruttio (nunc *la Calabre*), quo receptum habuere fugitivi Spartaco duce bellantes; *De Br.* IV, 51. De hac silva meminit Virgil. Æn. XII, 715.

28. *Apollinis filia et Cyrenes*. Hoc *De Br.* II, 10, ad Sardiniæ descriptionem refert, de qua jam supra lib. II, n. 1 et 8, interpretaturque quasi esset *filius*, non *filia*. Filius nempe Apollinis et Nymphæ Cyrenes Aristæus, teste Diodoro, IV, 82, e Græcia in Ceam insulam, post in Africam, denique ex Africa in Sardiniam navigavit, incultamque prius insulam multiplici fructiferarum arborum genere frequentavit. Idem ille est Aristæus quem cecinit Virgilius, Georg. IV.

29. *Ne simplici quidem morte*. Non

Quum prædixero positum insulæ. *Donatus.*

Cujus adversa voluntate[30], colloquio militibus permisso, corruptio facta paucorum, et exercitus Sullæ datus est. *Id.*

A Graccho seditiones graves ortæ. *Augustinus.*

M. Atilius Palicanus[31] humili loco, Picens, loquax magis quam facundus. *Quintilian.* lib. IV, cap. 2. *Hieron. adv. Helvid.* et *Gell.* lib. I, cap. 15.

Insolens vera accipiundi[32]. *Donatus.*

Quæ pecunia[33] ad Hispaniense bellum Metello facta erat. *Idem.*

unus, sed multiplex erat moriendi modus. Serv. ad Georg. III, 482, *nec via mortis erat simplex*, ait: « Est autem Sallustii, *ne simplici quidem morte moriebantur.* » Hoc *De Br.* II, 26, ad eamdem pestilentiam refert quam describit Virgilius, et quæ, si vera est ejus conjectura, Italiæ multisque aliis regionibus incubuit,

Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,

Octavio et Curione consulibus vel insequente anno (U. C. 678 vel 679). Jam Sallustius narravit prodigia, quæ iisdem consulibus hanc luem portenderunt: vide sup. IV, n. 28. Et in hoc quoque tempus incidit fames de qua in argumentis ad Pompeii epistolam et Cottæ orationem diximus. Scilicet calamitas calamitatem parit, et raro simplex ingruit malum.

30. *Cujus adversa voluntate.* Sylla e bello Mithridatico Romam rediens, obvios habuit consulum Norbani et Scipionis exercitus, quos dolo, priusquam armis, aggredi statuit. *Adversa* igitur, id est, animadversa Scipionis voluntate, quæ a pace concilianda non abhorrebat, crebra inter suos et consulis milites colloquia fieri passus est; donec pars pecunia, alii pollicitis ceterisque delinimentis illecti ad se transierint, solusque cum filio in castris Scipio relictus fuerit. Rem narrat Plutarch. in Sylla; *De Br.* I, 18. Donatus ad Ter. Eunuch. III, 2, 13, pro *adversa*, habet *ad verba*, quod docti optime emendarunt. Rarissimum, hoc sensu, *adversus*, sed non analogiæ contrarium. Nam participium est verbi *advertere*, quod pro *animadvertere* usurpant et alii, et Virgilius Æneid. IV, 116 et VIII, 50: *paucis, adverte, docebo.*

31. *M. Atilius Palicanus.* Is, tribunus plebis, de restituenda in integrum tribunicia potestate, apud populum egit, anno U. C. 684; quæ quidem, adjuvante Pompeio tum consule, restituta est. De hoc Palicano vide Cic. Brut. LXII, et Val. Max. III, 8, 3. Huic non Atilium, sed Lollium, nomen fuisse probat *De Br.* IV, 76, eique imputat quod de Lollio, seditioso homine, dicit Cicero, pro Domo sua, V et VI.

32. *Insolens vera accipiundi.* Non solitus verum audire.

33. *Quæ pecunia.* Vide argumen-

Curubis. *Probus.*

Tharros. *Idem.*

Camisos[34]. *Idem.*

Luces. *Sergius.*

Primum modo Iapidiam[35] ingressus. *Servius.*

Carbo turpi formidine Italiam, atque exercitum deseruit[36]. *Idem.* (*Refer ad* lib. II hist.)

Quæ pacta in conventione non præstitissent. *Donat.*

Crebritate fluctuum ut aquilo solet[37]. *Serv.*

Mithridates corpore ingenti perinde armatus[38]. *Quint.* lib. VIII, c. 3.

Tyrannumque et Cinnam appellantes. *Victorinus. Serv.*

Nomenque Danubium habet. *Acron.*

Cui nisi pariter obviam iretur. *Donatus.*

Septimium, neque animo, neque lingua satis compotem[39]. *Idem.*

Vulgus amat fieri[40]. *Quintilian.* lib. IX, c. 3.

Non pœniturum. *Quintilian.* loc. cit. *pro* non acturum pœnitentiam.

tum ad Pompeii epist., sup. III, 9.

34. *Curubis. Tharros. Camisos.* Locorum nomina.— *Luces.* Plur. a nomine *lux*, ut in Jug. *paces. Luces* alibi se non reperisse affirmat Carrio.

35. *Iapidiam.* Regio Europæ, aliter Liburnia, a Dalmatiæ finibus ad amnem Timavum pertinens. *De Br.* III, 82.

36. *Carbo... exercitum deseruit.* De hac Carbonis fuga vide Appian. Bel. Civ. I. Is quum Africam peteret, a Cn. Pompeio interceptus est, et in Sicilia necatus; vide sup. n. 4.

37. *Crebritate fluctuum, ut aquilo solet.* Servius, lib. I, Æneid. « Crebros, inquit, fluctus facit aquilo; hinc Sall. dixit, *crebritate fluctuum, ut aquilo solet.* » Carrio.

38. *Mithridates... perinde armatus.* « Mithridates congruentia magnitudini corporis arma gerens. » Frustra Lipsius et Douza, contra MSS., rescribunt *animatus*, quum sua sit vis receptæ lectioni. Et eos bene refellit Wasse, hæc afferendo Plutarchi in Pompeio : « Τῆς δὲ ἰσθῆτος ἣν ἐφόρει, καὶ τῶν ὅπλων τὸ μέγεθος καὶ τὴν λαμπρότητα ἐθαύμαζε. » Et Appiani de Bel. Mithr. « Τὸ σῶμα δ'ἦν μέγας μὲν, ὡς ὑποδεικνύουσιν ὅσα ὅπλα αὐτὸς ἔπεμψεν ἐς Νέμεσαν τε καὶ Δέλφους. »

39. *Satis compotem.* Supple, *sui.* Quod ad sensum attinet, confer ea quæ notavimus p. 368, n. 3.

40. *Vulgus amat fieri.* Vide Jug. XXXIV, n. 2.

Pompeius cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte[41] certabat. Neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi se et milites frequentibus exercitiis præparavisset ad prælia. *Vegetius* lib. I, c. 9. *Joh. Saresb.* (*Refer. ad* lib. II histor.)

Cicero caninam facundiam[42], ut Appius inquit, exercuit. *Lactantius* lib. VI, c. 18.

Primus Græcorum Achilles. *Servius.*

Cupientissimus legis. *Diomedes.*

Magna gloria tribunus militum[43] in Hispania T. Didio imperante, magno usu bello Marsico, paratu militum, et armorum fuit. Multaque tum ductu ejus curata, primo per ignobilitatem, deinde per invidiam scriptorum celata sunt. Cominus faciem suam ostentabat, aliquot advorsis cicatricibus, et effosso oculo. Quo ille dehonestamento corporis maxume lætabatur : neque illis anxius, quia reliqua gloriosus retinebat. *Gellius*, II, 27.

Curetes[44], quia principes intelligendi divina fuerunt,

41. *Vecte.* Movendis vecte magnis molibus. Ad hoc *Montesq. Gr. et Décad.* II : « *Ceux qui critiquent Homère de ce qu'il relève ordinairement dans ses héros la force, l'adresse ou l'agilité du corps, devraient trouver Salluste bien ridicule, qui loue Pompée de ce qu'il courait, sautait et portait un fardeau aussi bien qu'homme de son temps.* »

42. *Caninam facundiam.* Canina dicitur eloquentia, qua alios immeritis conviciis lacessit mordetque orator, et in rabulam latratoremque convertitur, ut ait Quintil. XII, 9. Hanc exercuisse Ciceronem quis contendere ausit, vel æquo animo audiat? Ceterum hoc dici putat *De Br.* V, 80, de Oratione pro lege Manilia, qua Cicero in avaritiam et libidines legatorum in Asiam missorum invectus est.

43. *Tribunus militum.* Sc. Sertorius. — *Magno usu... fuit.* Magnæ utilitatis fuit, milites et arma comparando. Eadem omnino de Sertorio legas apud Plutarchum, in ejus vita. Et ille quidem insigne fortunæ ludibrium notat, quatuor fuisse maximos et prudentissimos duces, altero oculo captos, Philippum, Antigonum, Hannibalem et Sertorium.

44. *Curetes*, etc. « Vetustas, quæ omnia *in majus componere*, id est, augere et amplificare solet, Curetes, ut altores Jovis, celebravit, quia primi res divinas intellexerunt, religionesque invenerunt. » Hanc Sallustii opinionem, ingeniosam

vetustatem uti cetera in majus componentem altores Jovis celebravisse. *Lactantius*, Lib. I, c. 21.

Italiam conjunctam Siciliæ constat fuisse : sed medium spatium aut per humilitatem obrutum est aquis, aut propter angustiam scissum. Inde Rhegium nominatum[45]. *Isidor.*

Pompeius[46] devictis Hispanis tropæa in Pyrenæis jugis constituit. *Servius.*

certe, et vero simillimam refellere tentat Lactantius, Inst. Div. I, 21. Ceterum multiplex et obscura prorsus est tota Curetum fabula. Rem fuse tractatam invenies apud cl. *De Brosses*, v, 44, ex variis auctoribus, et præsertim Diodoro, v, 49, et Strabone, x. Hoc dicere satis sit Curetes collegium sacerdotum in insula Creta fuisse, eosdem initio, ut multi putant, quos Telchinas, Dactylos Idæos et Corybantas. Cabiros etiam iis nonnulli adjungunt (sup. IV, n. 7). Sed Cabiros ignis maxime cultores fuisse, orientali more, satis constat; apud ceteros valuere barbarorum Europensium superstitiones. Primi autem Curetes, seu Dactyli, seu Telchines, homines fuisse videntur fabrilis artis periti, qui ferrum et alia metalla in humanos usus convertere barbaros docuerunt. Medicinam quoque et musicam exercuisse et sacra Jovis instituisse feruntur. Denique ad universos vere pertinet, quod de uno ex illis canit Horatius, Art. Poet.

Silvestres homines sacer interpresque deorum
Cædibus et victu fœdo deterruit Orpheus.

Neque vero mirum, si rerum futurarum scientiam inventoribus illis artium et vitæ melioris auctoribus inesse vulgus crediderit. Ii ergo primi vates, primique sacerdotes fuere; nec in Creta solum, sed in aliis quoque Europæ regionibus; apud Cretenses *Curetes* dicti, apud Sabinos *Salii*, apud Gallos *Druides*. Celeberrimum tamen hujuscemodi sacerdotum collegium in Creta fuit, Curetum nomine.

45. Inde Rhegium nominatum. Græce Ῥήγιον, a verbo ῥήγνυμι *frango*. Virg. Æneid. III, 414 :

Hæc loca vi quondam et vasta convulsa ruina
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas!)
Dissiluisse ferunt, quum protinus utraque tellus
Una foret; venit medio vi pontus, et undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes
Littore diductas angusto interluit æstu.

Eam rem non modo Pomp. Mela, Justinus, Plinius, Solinus, sed etiam Lucanus, Silius, Claudianus memorant. Hujus vero descriptionis causam Sallustio præbuisse videtur Spartaci consilium; quem Plutarchus narrat cum exercitu suo in Siciliam transire voluisse, bellum servile illic renovaturum; mox vero repetiisse Italiam et in Rheginorum peninsula consedisse, ubi post, a Crasso, fossa ac vallo circumdatus obsessusque est.

46. *Pompeius* etc. Victor e Sertoriano bello rediens Pompeius tropæum statuit in Pyrenæis montibus,

Atque edita undique tribus tamen cum muris, et magnis turribus. *Donatus, Andr.* Act. I, Sc. 1.

Et in præliis actu promtus. *Idem.*

Pactione amisso Publio legato. *Idem.*

Ipsum mare Ponticum dulcius quam cetera [47]. *Servius, Macrobius, Priscianus.*

Equis paria operimenta erant [48]: quæ linea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant. *Servius.*

Rebus supra votum fluentibus. *Idem.*

Ænum, et Maroneam [49], et viam militarem. *Idem.*

Impediebant jussa nautarum. *Idem.*

Nihil socordia claudebat [50]. *Donatus.*

Ut tanta repente mutatio non sine deo videretur. *Idem.*

In ore gentibus agens, populo, civitati. *Idem.*

Pressi undique multitudine. *Idem.*

Hunc igitur redarguit Tarquinius. *Idem.*

Dein campi Themyscirii [51]; quos habuere Amazones,

de quo meminit etiam Plin. III, 3, VII, 26, et XXXVII, 2. Nec illud tropæum, ut solebat, e trunco arboris armis induto, sed e solido saxo posuit, in formam arcus triumphalis. Hujus aliqua etiamnum vestigia superesse putant aliqui in monte Udurano, prope urbem quæ hodie dicitur *Puicerda, dans le val d'Andorre. De Br.* IV, 63.

47. *Mare Ponticum dulcius quam cetera.* Hoc Macrob. Saturn. VII, 12, tribuit immensæ dulcium aquarum moli, quam in Pontum Euxinum tot tantaque flumina provolvunt. Vide luculentam Ponti et Ponticarum regionum descriptionem, *De Br.* III, 87 et seqq.

48. *Equis paria operimenta erant.* Vide supra IV, n. 21, quæ de cataphractis equitibus dicta sunt; qui equos similiter munitos habebant. Jungenda sunt igitur hæc fragmenta. — *Adnexuerant.* Adnexuerant laminas ferreas lineis operimentis. Casus permutavit, ut quum dicitur, *auro vestes intexere*, pro eo quod esset, *intexere aurum vestibus.*

49. *Ænum et Maroneam.* Duo Thraciæ maritima oppida; vide *De Br.* I, 58.

50. *Claudebat.* De hoc verbo vide sup. III, 42. — *In ore gentibus agens.* Ita vivens, ut gentibus spectaculo sit.

51. *Themyscirii.* Campi in Asia prope mare Ponticum. Vide *De Br.* III, 101. — *Ubi eum* etc. Lucullus Clodium seditiose agentem, quamvis sororis suæ virum, ab exercitu dimisit. *De Br.* V, 74.

a Tanai flumine incertum quamobrem digressæ. *Servius.*

Ubi eum tota concione ab exercitu cogit discedere, dicit se ejus opera non usurum; eumque ab armis dimittit. *Id.*

Et Metello procul agente longa spes[52] auxiliorum. *Idem.*

More equestris prælii sumtis tergis atque redditis, et egressi ad faciliores ictus loco cedebant. *Idem.*

Castra sine vulnere introitum. *Idem.*

Multos tamen ab adolescentia bonos insultavit[53]. *Idem* et *Donatus.*

Cosa[54]. *Servius.*

Equis atque armis insignibus. *Idem.*

Fessus in Pamphyliam se receperat. *Idem.*

Profectus quidam Ligus[55] ad requisita naturæ. *Quintil.*

Apud latera certos collocaverat. *Servius.*

Apertæ portæ, repleta arva cultoribus. *Idem.*

Hispaniam sibi antiquam patriam esse. *Idem.*

Lyciæ, Pisidiæque agros despectantem[56]. *Idem.*

Sorte ductos fusti necat[57]. *Idem.*

52. *Longa spes.* Longinqua, procul sita. — *Sumtis tergis atque redditis.* Incurrendo vicissim et recedendo; ut ipse Sall. explicat, Jug. LIX : « Non, ut equestri prælio solet, *sequi*, dein *cedere*, sed advorsis equis concurrere. » Nota obiter *sumere terga*, pro *sequi;* quod non aliunde natum esse potest, quam ex eo quod dicitur, *dare terga*, pro *fugere. Reddere* autem hic est, *rursus dare.*

53. *Multos... bonos insultavit.* Hoc de Cethego intelligit *De Br.* I, 40; qui adolescens, et multo antequam perniciem patriæ cum Catilina moliretur, Metellum Pium, in jurgio, vulnerare gladio ausus fuerat; (Cic. pro Syll. XXV). — *Insultare* est *impetum facere in*...

54. *Cosa.* Urbs Etruriæ maritima, ex qua Catulus ejecit Lepidanos. Vide sup. II, n. 2.

55. *Quidam Ligus.* Qui viam ad Danubium ducentem e rupe prospexerat, ut dictum est supra, III, n. 51. — *Ad requisita naturæ.* Periphrasis, ad rem, quæ honeste dici non poterat, indicandam.

56. *Lyciæ Pisidiæque agros despectantem.* Arcem urbis Olympi, de qua Solin. XLII. Huc piratæ a Servilio victi confugerant. *De Br.* II, 34. Vide quoque sup., p. 372, n. 17.

57. *Sorte ductos fusti necat.* Quum Spartaci exercitum insequeretur Crassus, Mummio primum agmen duarum legionum ducenti mala mens incidit contra ducis imperium pugnare, et, quod pejus est, male

Omnis Italia[58] coacta in angustias scinditur in duo promontoria, Bruttium, et Salentinum. *Idem.*

Italia plana ac mollis. *Idem.*

Qua tempestate ex Ponto vis piscium erupit. *Idem* et *Scholiastes Juvenalis.*

Introrsus prima Asiæ Bithynia est[59], multis antea nominibus appellata : ipsa enim est et major Phrygia. *Servius.*

Sed Mithridates extrema pueritia regnum ingressus, matre veneno interfecta[60]. *Idem.*

Exercitum vertere. *Idem.*

Creta altior est, qua parte spectat orientem. *Idem.*

Se regibus devovent, et post eos vitam refutant[61] : adeo

pugnavit. Igitur Crassus ex quingentis militibus, qui initium fugæ fecerant, decimum quemque sorte ductum supplicio affecit; (Plut. in Crasso). Hunc morem in ignavos milites animadvertendi priscis Romanis fuisse testatur Cic. pro Cluent. XLVI, et Tacit. Ann. III, 21. Vide etiam Lips. de Mil. Rom. V, 18.

58. *Omnis Italia.* Hoc ad eamdem descriptionem pertinet, ad quam supra n. 45, et libri quarti tertium a fine fragmentum. — *Italia plana ac mollis.* Dubitat Putschius an potius scribi debeat *plana ac humilis*, propter hoc Virgilianum :

Humilemque videmus Italiam.

59. *Prima Asiæ Bithynia est.* Pars Ponticarum regionum descriptionis, quam, Mithridatici belli causa, instituit; vide sup. 47, et lib. II, n. 16. Ex Servio ad Æneid. V, et Isidoro, hunc locum sic constituit Putschius : « Igitur introrsus prima Asiæ Bithynia est, multis antea nominibus appellata. Ipsa enim est et major Phrygia, prius Bebrycia dicta, mox a Bithyno rege Bithynia. » Aliud etiam nomen addit Isidorus, Mygdoniam ; quæ omnia sua versione comprehendit *De Br.* III, 94.

60. *Matre veneno interfecta.* Mox fratrem quoque necavit, ne quis æmulus imperii superesset; nec mirum, si posthac sorores uxoresque interfecerit, a tenera ætate parricidiis assuetus. Et vero ornamentum simul et dedecus humani generis hunc hominem natura peperisse videtur, nunquam satis admirandum, quod ancipitem inter se et Romanos, XL annis, fortunam tenuerit; numquam satis exsecrandum, quod cupiditatum impotens et sæva grassatus tyrannide, fas nefasque nullo discrimine seu victor, seu victus, habuerit. Initia Mithridatis dilucide et eleganter exposuit *De Br.* III, 2 et seqq.

61. *Vitam refutant.* Vitam aspernantur et rejiciunt. Quæ verba eodem fere sensu Cicero usurpat, pro Rab. Post. XVI : « Quam quidem... bonitatem... non modo non *aspernari ac refutare*, sed complecti etiam et augere debetis. » Et Tusc. II, 23 :

illis ingenita est sanctitas regii nominis. *Idem* et *Philargyrius*.

Dum inferior omni via grassaretur[62]. *Johannes Gramm.*

Narbone consilia Gallorum. *Pompeius in Artem Donati.*

Post defectionem sociorum et Latii. *Donatus*, *Adelph.* III, 4.

Ad Jovis (int. *templum*) mandem nostra. *Idem* IV, 2.

Morbi graves ob inediam insolita vescentibus. *Idem ad Hecyr.* III, 2, 2.

Atque ea cogentes non coactos, scelestos magis quam miseros distringi. *Idem ibid.* IV, 1.

Graviori bello, quo prohibituri venerant socii, frigere. *Idem* V, 1.

Nam quidem Pyrrho[63], Hannibali, æquor et terra. *Idem, Phorm.* I, 1.

« In primisque *refutetur ac rejiciatur* Philoctetæus ille clamor. » Capitol. in Antonino Pio, v : « Circenses natali suo dicatos non respuit, aliis honoribus *refutatis*. » Ceterum (teste Wasse in Add.) *refutare vitam* haud alibi legitur. Quod ad factum attinet, de Celtiberis loqui Sallustium ex Servio patet Georg. IV. De iisdem Val. Max. II, 6, 11 : « Celtiberi etiam nefas esse ducebant prælio superesse, quum is occidisset pro cujus salute spiritum devoverant. » Idem moris fuisse apud Gallos testatur Cæsar, Bel. Gall. III, 26, nost. ed. vol. I, p. 123; item Nicol. Damasc. l. CXVI, apud Atheneum, VI. Hos Cæsar l. c. gallica lingua *soldiuros* vocat; Hirtius vero, Bel. Alex. 53, lingua hispanica, *Barones*, si vera est conjectura cl. *De Brosses*, III, 78. De Sertorio autem Plutarchus refert, eum plura Hispanorum millia sequutos esse, qui sic vitam ei devoverant. — *Adeo illis*, etc. Hæc pars fragmenti a Servio seorsum profertur, et ad Parthos videtur pertinere. Male res diversas conjunxit Carrio.

62. *Grassaretur.* Iterativum verbum a *Gradior.* Ceterum quo referatur hoc fragment. et sequentium plura, minime certum est. — *Post defectionem sociorum et Latii.* Intelligit *De Br.* III, 59, post bellum sociale nullum majus exarsisse, quam Spartaci. Non intellige *post*, APRÈS, sed DEPUIS, ut Jug. V, n. 4. — *Morbi graves.* Douza putat dici de Mithridatico exercitu Cyzicum obsidente, et ad summam inopiam redacto. Item *De Br.* III, 46. — *Atque ea cogentes.* Hoc fragmentum haud facile quisquam interpretetur, et ipse de sensu ambigit *De Br.* I, 21. — Item de sequente.

63. *Nam quidem Pyrrho*, etc. De hoc loco Cortius : « Locus sine dubio mancus est, et nullum sensum admittit. Suspicor autem Sallustium

Nam Sullæ dominationem audebat. *Idem* II, 3, 24.

Neque est offensus[64] dominationem Sullæ. *Idem*, *ibid.*

Neu quis miles, neve pro milite. *Servius.*

Ex insolentia avidus malefaciundi. *Idem.*

Tergis vinciebant. *Idem.*

Charybdis[65] quæ forte illata naufragia sorbens gurgitibus occultis millia LX Tauromenitana ad litora trahit. *Idem.*

Saguntini, fide atque ærumnis incluti, per mortalium studium[66] majores quam opibus; quippe quis etiam tum semiruta mœnia, domus intectæ, parietesque templorum ambusti manus Punicas ostentabant. *Hieron. in Hubacuc.* cap. II.

narrasse, adulatores Mithridatis ipsum *Pyrrho*, Sertorium *Hannibali* æquiparasse; quibus populus romanus tanto minus resistere posset, quod *æquore* et *terra* urgeretur. Rem narrat Plutarch. in Sertorio. »

64. *Neque est offensus.* Sic legitur apud Donat. in Terentio. Cortius et Haverc. *defensus.* De sensu, nihil certi conjicio.

65. *Charybdis.* Quæcumque ad descriptionem Charybdis et Scyllæ, et totius Siculi freti pertinent, dilucide et eleganter enucleata invenies apud cl. *De Br.* IV, 54 et seqq. Is nomen *Charybdim* ductum putat a verbo punico *chorobdam*, id est, *gurges perditionis.* Nam re ipsa gurges est Charybdis, ad Siciliæ littus, Scylla vero saxum immane ad italicam oram; locus uterque famosus naufragiis, præsertim apud antiquos, quum adhuc in rudimentis esset ars navigandi. Mela, II, 7: « Id (mare) angustum et anceps alterno cursu modo in Tuscum, modo in Ionium pelagus perfluit, atrox, sævum, et Scyllæ Charybdisque sævis nominibus inclytum. Scylla saxum est, Charybdis mare, utrumque noxium appulsis. » Vide etiam Justin. IV, I; Senec. Ep. LXXIX; Virg. Æneid. III, 420; Tibull. IV; Ovid, Met. XIV; Sil. Ital. XIV, II; Hom. Od. μ, 73; et inter recentiores Cluver. Sicil. Ant. I, 5. — *Naufragia.* Navium fragmina. — *Gurgitibus occultis.* Non occultis gurgitibus, sed rapido undarum cursu abrepta navigia fluctus ad Tauromenitana littora trahit. Tauromenium autem est urbs Siciliæ, nunc *Taormina.*

66. *Per mortalium studium.* Per fidem quam Saguntini Romanis præstiterunt. — *Manus punicas ostentabant.* Imitatus est Tacit. Ann. I, 61: « Prima Vari castra lato ambitu, et dimensis principiis trium legionum manus ostentabant; dein semiruto vallo, humili fossa, accisæ jam reliquiæ consedisse intelligebantur. »

Apud Corduennos[67] amomum et alii leves odores gignuntur. *Philarg. in* IV *Georg. Virgil.*

Quem trans stagnum omnis usque ad flumen. *Idem.*

Repente incautos agros invasit. *Idem.*

Belli sane sciens. *Acron.*

Namque omnium ferocissumi ad hoc tempus Achæi[68] atque Tauri sunt, quod, quantum conjicio, locorum egestate rapto vivere coacti. *Glossæ Juvenalis.*

Nisi quod Tacitus monet tres legiones munimenta hæc struxisse; Sallustius, Pœnos illa evertisse.

67. *Apud Corduennos.* Populos sibi incognitos testatur Putsch. Noster vero *De Brosses*, v, 27, vertit, *le territoire de la Gordyenne*, de qua regione Curtius, v, 1: «Tidem (Tigris et Euphrates) quum Mediæ et *Gordianorum* terras secare cœperunt, paulatim in arctius coeunt.» Plinius, XII, 13: «Nascitur (amomum) et in Armeniæ parte, quæ vocatur Otene, et in Media, et in Ponto.» Nil igitur mirum si in Gordianorum quoque terra nasceretur. — *Leves odores.* Suaves et fragrantes. Contra quod et dicitur *gravis odor*, pro tetro et injucundo.

68. *Achæi.* Populi Scythiæ asiaticæ, circa Bosphorum Cimmerium, quo Mæotis palus Euxino jungitur. Narrant Achæos illos e veterrima oriundos Orchomeniorum colonia, qui post antiquissimum in Troade bellum in has regiones variis erroribus delati sunt, Ialmeno duce (Strab. IX). De iisdem vide Ammianum, XXIII, 8; Scholiasten Juven. Sat. XV; Aristot. Polit. VIII, 4; Appian. Mithrid. Ceterum putat *De Brosses*, meram fabulam esse hanc veterum Achæorum e Græcia in Scythiam migrationem. Rectissime, ut opinor. Nam 1°, quum veteribus populis nomina e locorum natura et positione, ut plurimum, indita sint, facile potest fieri, ut idem multum distantibus inter se populis datum fuerit. Sic Iberi sunt in Hispania et circa mare Caspium; sic Veneti (quod primigenia lingua locum aquis confinem significat) ad mare Adriaticum (*Venise*), ad Armoricum (*Vannes*), Venedi ad Suevicum (*Dantzig*) inveniuntur. Quod si ingeniosi etymorum auctoris *Court de Gébelin* vera est conjectura, ACHAIA ejusdem originis est quam AQUA, et regionem quoque maritimam designat. 2°, quum omnibus priscarum rerum monumentis constet primos Græciæ incolas Pelasgos e regionibus ultra Thraciam positis venisse, cur Achæorum Ponticorum natio Pelasgica non haberetur, cujus pars ibi remanserit, pars in Græciam descenderit? Viam enim priscorum hominum, qui et Græciam, et Italiam, et universam fere Europam initio frequentarunt, circum mare Ponticum fuisse, eosque ex orientali Asia profectos, nemini fere dubium est, qui attenderit maximam græcarum latinarumque vocum partem et omnes omnino

Atque ipse cultus rei. *Acron.*

Triplici fluctu[69]. *Servius Fuldanus.*

Charybdi mare vorticosum. *Idem.*

Sed ubi tempore anni mare classibus patefactum est. *Id.*

Sane bonus ea tempestate contra pericula et ambitionem. *Idem.*

Simul immanis hominum vis ex locis invasere patentes, quum et pacis modo effusas[70]. *Idem.*

Genua patrum advolvuntur. *Idem.*

Perrexere in Hispaniam et Sardiniam. *Idem.*

Quæ mapalia sunt[71] circumjecta civitati, suburbana ædificia. *Idem.*

Et onere turrium incertis navibus[72]. *Idem.*

Traditur fugam in longinqua oceani agitavisse[73]. *Idem.*

Ad mutandum modo in melius servitium. *Servius ad I Æneidos.*

grammaticas formas in sacra Indorum lingua, quæ *Sanskrita* dicitur, inveniri. Quid mirum si in longinqua illa migratione partes aliquæ nationum aliæ alibi constiterint? — *Tauri.* Scythica gens, unde dicta Chersonesus Taurica, quæ nunc *Crimée.* Schol. Juv. Sat. xv: «Juxta Mæotim paludem Taurici sunt, quorum rex Thoas advenas immolare consueverat, usque in adventum Orestis et Pyladis; quibus agnitis Iphigenia, quæ erat templi sacerdos, ablato inde Dianæ signo, aufugit, idque Ariciæ consecravit.»

69. *Triplici fluctu.* Græce τριχυμία. Eodem hoc refert *De Br.* III, 90, quo supra n. 37, *crebritate fluctuum;* scilicet ad Pontici maris descriptionem, cujus unda crebris abruptisque fluctibus, propter multa vada, æstuat, et tertio quoque fluctu vehementior insurgit.

70. *Quum et pacis modo effusas.* Imitatus est Tacit. Histor. IV, 15: «Dein vagos et pacis modo effusos lixas, negotiatoresque romanos invadunt.» De Cyzicenis, relicta a Mithridate obsidione, intelligit *De Br.* III, 48.

71. *Quæ mapalia sunt*, etc. Narrat Plutarchus in Sertorio, illum, ne offenderet Hispanorum animos, exercitum in suburbanis mapalibus collocavisse; de qua re hic agi putat Cortius.

72. *Onere turrium incertis navibus.* Turres navibus impositas Cyzicenis muris admoverat, quum subito coorta tempestas omnem apparatum fœdo naufragio disturbavit. Eodem pertinet fragm. n. 24, lib. III, et lib. IV, initio: *implicitæ rates ministeria prohibebant.* Vide Plut. in Lucullo. — *Incertis.* Vacillantibus.

73. *Fugam in longinqua oceani*

Magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate ejecta. *Idem ibidem.*

Quum murum hostium successisset, pœnas dederat. *Idem, ad Eclogam quintam.*

Quippe vasta Italia rapinis, fuga, cædibus. *Idem.*

Hi sunt qui secundum pocula[74] et alias res aureas diis sacrata instrumenta convivio mereantur.* *Idem ad* VIII *Æneidos.*

In secunda festinas cohortes composuerat. *Idem ad* IX.

Jam repente visus sævire Taguns. *Idem ad* X.

Exuant armis equisque. *Idem.*

Solas festinare. *Idem.*

Lusitaniæ gravem civitatem. *Idem.*

Ex parte cohortium præcipere instructa, et stationes locatæ pro castris. *Idem.*

Bellum, quibus posset conditionibus, desineret. *Idem.*

In quis longissimo ævo plura de bonis falsa in deterius composuit. *Idem.*

Cultu corporis ornata egregio[75]. *Idem.*

At Sertorius vacuus hieme augere copias. *Acr. ad Horat.*

Sin vis obsistat, ferro quam fame æquius perituros. *Servius.*

Consedit in valle virgulta nemorosaque. *Idem.*

Paululum requietis militibus[76]. *Idem.*

agitavisse. Nil dubium quin de Sertorio agatur, in Fortunatas insulas fugam meditante; vide sup. n. 1.

74. *Hi sunt qui*, etc. Locus corruptus, et unde haud facile certus sensus eruatur; ut plures e seqq. — *Taguns. De Br.* IV, 22, legisse videtur *Tagus;* quod flumen dum transnatare niteretur victus a Pompeio Perpenna, subito ratus undas intumescere, ad relictam ripam remeavit, ubi captus est; vid. n. 80.

75. *Cultu corporis ornata egregio.* De Precia loquitur, per quam Lucullus tribunum Cethegum sibi conciliavit, ut eo adjuvante dux adversus Mithridatem crearetur. *De Br.* III, 16.

76. *Requietis militibus.* Rarioris usus particip., quod tamen et alibi invenitur. Ovid. Art. Am. II, 351: *requietus ager.* Colum. VII, 8: *lac requietum.* Idem, II, 1: *terra requietior.*

Qui nullo certo exsilio vagabantur. *Idem.*

Nubes fœdavere lumen. *Idem.*

Sanctus alia. *Idem.*

Geronis. *Idem.*

Quæ causa fuerat novandis rebus. *Idem.*

Radicem montis excessit. *Statii interpres.*

Ut res magis quam verba gererentur[77], liberos parentesque in muris locaverant. *Idem.*

Incerta est fortitudo, dum pendet. *Idem.*

In quibus plaustra sedes sunt[78]. *Acr. ad Horat.*

Luxo pede. *Probus.*

Maurique vanum genus, ut alia Africæ, contendebant Antipodas ultra Æthiopiam[79] cultu Persarum justos et egregios agere. *Priscianus.*

Et Perpennam forte cognoscit mulio redemtoris[80]. *Acr. ad Horat.*

77. *Ut res magis quam verba gererentur.* Si recte conjecit *De Br.* III, 40, hoc fecere Cyziceni, dum muros terra simul et mari aggrederetur Mithridates, ut carissimorum pignorum aspectu ab ignavia deterrerentur.

78. *Quibus plaustra sedes sunt.* Scythæ, quos Nomadas vocant. Forsan redundat *in.* — *Luxo pede.* Luxa, seu luxata, dicuntur membra, quæ suo loco mota et soluta sunt. *Luxus* antiqua vox a *luo*, λύω, quod, et latine et græce, est *solvo.* Ceterum latinum *luo*, a λούω quoque derivatur, ubi sonat *lavando detergere.* Duplex origo duplicem sensum effecit.

79. *Antipodas ultra Æthiopiam.* Error Maurorum, non quod antipodas esse crederent, sed quod ponerent in Africa. Ceterum viri omnes antiquitatis vere philosophi antipodas esse existimaverunt. Cic. Acad. II, 39 : « Etiam dicitis, esse e regione nobis, e contraria parte terræ, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos antipodas vocatis? » Idem ait in Somnio Scipionis; ad quem librum Macrob. II, 5, egregie refellit, quicumque arbitrantur periculum esse ne antipodes decidant in cœlum. Suspicabantur etiam esse trans oceanum aliquas terras; et quem hispana gens, post quatuordecim fere sæcula, detexit orbem, præsago cecinerat carmine hispanus vates, Seneca, Med. Act. II, extrem. :

Venient annis
Sæcula seris, quibus oceanus
Vincula rerum laxet, et ingens
Pateat tellus, Tiphysque novos
Detegat orbes; nec sit terris
Ultima Thule.

80. *Mulio redemtoris.* Perpenna,

Omnium fluminum, quæ in maria, qua imperium Romanum est, fluunt, quam Græci τὴν εἴσω θάλασσαν appellant, maxumum esse Nilum consentitur; proxuma magnitudine esse Histrum[81] scripsit Sallustius. *Gell.* Lib. X, c. 7.

Ex omnibus quæ tractavimus, Æbuti Liberalis, potest videri nihil tam necessarium, aut magis, ut ait Sallustius, cum cura dicendum[82], quam quod in manibus est. *Seneca Benef.* IV, 1.

Turbinum motus vagus est, et disjectus, et, uti Sallustii verbis utar, vorticosus; cometarum autem compositus, et certum iter carpens. *Idem Natural. Quæst.* VII, 8.

Sallustius, auctor certissumus, asserit, Tigrim et Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividantur, spatio medio relicto multorum millium; quæ tamen terra, quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. *Idem* et *Isidorus* XIII. *Vib. Sequest.* et *Hieron. de Loc. Heb.*

Pelorum[83] promontorium Siciliæ respiciens aquilonem,

quum Tagum transire frustra tentavisset (sup. not. 74), prospectis equitibus qui eo versus accurrebant, se dumis abdidit, ubi a mulione redemptoris agnitus est, Pompeioque traditus. Mox Pompeii jussu interfectus, simul gesti adversus rempublicam belli, simul necati amici ducisque sui Sertorii pœnas haud sane immeritas dedit. De eo Velleius, II, 30: « Tum M. Perperna (seu Perpenna), prætorius, e proscriptis, gentis clarioris quam animi, Sertorium inter cœnam Oscæ interemit, Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore. » Vide etiam Plutarch. in Sertor. et Pomp. — *Redemtoris.* Redemptor vocatur qui certo pretio conducit, seu *redimit*, opus aliquod faciendum. Hic est, ut videtur, qui commeatus exercitui suppeditandos, pacta pecunia, susceperat.

81. *Histrum.* Qui antiquis a monte Abnoba, ubi oritur, ad Pannoniam, nobis toto cursu, Danubius dicitur. Hæc et quæ sequuntur non vera Sallustii fragmenta sunt, sed loci variorum scriptorum; qui facta, seu dicta, seu etiam voces aliquas Sallustii auctoritate confirmant.

82. *Cum cura dicendum.* Sic Vell. II, 18: « Mithridates, vir neque silendus, neque dicendus sine cura. »

83. *Pelorum*, etc. Val. Max. IX, 8: « Itaque minus miror, apud trucem et sævum Hannibalis animum defensionis locum innoxio

juxta Sallustium dictum a gubernatore Hannibalis illic sepulto, qui fuerat occisus per ignorantiam regis, quum se ejus dolo crederet esse deceptum. *Serv.* et *Isidor.*

Aristæus[84], uti Sallustius docet, post laniatum a canibus Actæonem filium, matris instinctu Thebas reliquit, et Ceam insulam tenuit, primo adhuc hominibus vacuam : postea, ea relicta, cum Dædalo in Sardiniam transivit; post delatus est Cumas. *Servius.*

Sallustius duces laudat, qui victoriam incruento exercitu deportarunt. *Idem.* (*Conf. Jug.* cap. 92).

Cares[85] insulani populi fuerunt, piraticam exercentes, famosi, victi a Minoe, uti Sallustius et Thucydides tradunt. *Idem.*

A Troja Capys Campaniam, Helenus Macedoniam, alii Sardiniam, secundum Sallustium, tenuerunt. *Idem.*

Dardania[86] a Dardano Jovis et Electræ filio, aut secun-

gubernatori non fuisse; quem a Petilia classe Africam repetens, freto appulsus, dum tam parvo spatio Italiam Siciliamque inter se divisas non credit, velut insidiosum cursus rectorem interemit, posteaque diligentius inspecta veritate, tunc absolvit, quum ejus innocentiæ nihil ultra sepulcri honorem dari potuit. Igitur angusti atque æstuosi maris alto e tumulo speculatrix statua, tam memoriæ Pelori, quam punicæ temeritatis, ultra citraque navigantium oculis expositum indicium est. » Eadem fere Mela, II, 7, nisi quod Hannibalem ex Africa profugum, et per ea loca Syriam petentem facit. Meræ nugæ. Fatetur ipse Servius ad Æneid. III, etiam ante hoc tempus Pelorum dictum fuisse hoc promontorium. Præterea, qui fieri potuit ut Hannibal, tantus dux, tot annos in Italia moratus, fretum Siculum ignoraret? Pelorum est græca vox πέλωρος, *ingens*, *immanis*; nisi, juxta aliam clar. *De Brosses* conjecturam, punicum sit *baal-orah*, quod ille *montem lucidum* significare posse ait. Certe Phœnices primi cum Sicilia commercium habuere, quum adhuc Græci barbari essent. — *Regis.* Regem dixit pro *duce* Servius.

84. *Aristæus.* Vide supra, not. 28, et lib. II, n. 8; et de tota hac fabula Diodorum, IV, 82.

85. *Cares.* Alii Cares fuerunt in Asiæ regione quæ Caria dicebatur. Hi vero insulam incolebant quam *De Br.* II, 28, putat Ceam fuisse. Nam hanc Caris nomine designat Steph. Byz. De Caribus insulanis loquitur Herodot. I, quos prius Lelegas vocatos, et ex insulis in continentem transvectos dicit.

86. *Dardania.* Dardani in Thra-

dum Sallustium, a Mida Dardanorum rege, qui Phrygiam tenuit. *Idem.*

Sallustius Scyllam saxum esse dicit, simile formæ celebratæ[87] procul visentibus. *Idem.*

In Sicilia est Enceladus[88], Othus in Creta, secundum Sallustium. *Idem.*

Sallustius ait, Hispanorum morem fuisse[89], ut in bella euntibus juvenibus parentum facta memorentur a matribus. *Idem.*

Orion, juxta Sallustium, oritur juxta solis æstivi pulsum[90]. *Idem.*

In Flaminia est civitas, quæ Cale dicitur, et in Gallia[91]

cia, ultra Macedoniam, primo habitavere. Ii inter Brygas fuerunt, qui, teste Herodoto, VII, ex Europa in Asiæ partem, quæ ab eorum nomine leviter immutato Phrygia dicta est, transgressi sunt. A Dardanis Dardania dicta regio, ubi Troja deinceps condita fuit. *De Br.* III, 95. Reliqua fabulæ sunt, non historiæ. Porro fabulam sequutus est Virg. in Æneide, Dardanum suum ex Corytho, urbe Etruriæ, oriundum faciens. De qua origine vide doctissim. Heyne, ad Æneid. III, Excurs. VI.

87. *Formæ celebratæ.* Scilicet ei formæ, quam descripsit postea Virgil. Æn. III, 426:

Prima hominis facies et pulchro pectore virgo.

Undæ angusto freto æstuantes, et vorticibus collisæ, et fluctuum pulsu resonantia saxa opinioni locum dederunt, hic diras monstrorum facies latere, et horrendos audiri canum latratus. Vid. sup. n. 65.

88. *Enceladus.* Mons ad orientem freti Siculi: *De Br.* IV, 56. Fabulæ gigantem faciunt sub Ætna consepultum; vide Virg. III, 578. — *Othus.* Mons in Creta, sub quo similiter obrutus fingitur Othus, qui cum fratre Ephialte bellum Jovi intulit, Dianamque et Junonem ex ejus aula abducere tentavit. De Otho et Ephialte Servius hunc versum intelligit Georg. I, 280:

Et conjuratos cœlum rescindere fratres.

Eosdem innuit Virg. Æn. VI, 582:

Hic et Aloidas geminos, immania vidi
Corpora; qui manibus magnum rescindere cælum
Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.

Vid. Apollod. I, 7; *De Br.* IV, 27.

89. *Hispanorum morem fuisse.* Hoc refertur ad ea quæ jam dixit, supra lib. II, n. 13: *neque virgines*, etc.

90. *Solis æstivi pulsum.* Æstivum solstitium. Nam quod Græcis τροπή, id Latinis *pulsus* dicitur. Thes. Rob. Steph.

91. *In Gallia.* Existimat *De Br.* III, 79, Sallustium scripsisse *in Gallæcia* (EN GALLICE), vel eam Hispaniæ regionem *Galliæ* nomine designasse. Nam in vera Gallia

hoc nomine, quam Sallustius a Perpenna captam commemorat. *Idem.*

Getæ sunt Mysii[92], quos Sallustius a Lucullo dicit esse superatos. *Idem.*

Trojanorum tempore invadendarum terrarum causa fuerat navigatio, uti Sallustius meminit. *Idem.*

Curribus falcatis usos esse antiquos, Livius et Sallustius docent. *Idem.*

Vices significant pugnam[93], quia per vicissitudinem pugnabatur, ut inquit Sallustius. *Idem.*

Creta medio jacet insula ponto, id est, secundum Sallustium, procul a continenti. *Idem.*

Primo mense veris dicitur novum ver, secundo ver adultum, tertio præceps: sicut etiam Sallustius dicit ubique, nova æstas, adulta, præceps. *Idem.*

Sallustius in Historiis tradit, Sertorium victum voluisse fugere ad insulas Fortunatas. *Acron.*

Insulas Fortunatas Sallustius inclutas esse ait Homeri carminibus. *Servius.*

Proxumum dicebant veteres, non solum adhærens, et adjunctum, verum etiam longe remotum, si tamen inter duo discreta nihil medium exstitisset. *Virgil. Æneid.* V:

> Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
> Insequitur Salius.

bellum gessisse non videtur Perpenna. Cale autem urbs fuit in Gallæcia, qui tractus *Callaicus*, nomine ab ea urbe derivato, antiquis dicebatur. Jam vero *Cale* vocabulum commune fuit *portum* significans, hodie quoque servatum in nomine urbis Caletorum (*Calais*), Caletensis agri (*le pays de Caux*), et in ipso vocabulo CALE, quod, nostro sermone, est parvus et naturalis portus. Ex celtico *Cale* et latino *portu*, in unum verbum conjunctis, factum est veteris Lusitaniæ nomen recentius, *le Portugal.*

92. *Mysii.* Ut Dardani (sup. n. 86), sic et Mysii ex Europa in Asiam trajecto Hellesponto, migraverunt. Habitabant primo ultra montem Hæmum, septentrionem versus. Ab iis dicta regio Europæ Mœsia, græce Μυσία.

93. *Vices significant pugnam.* Quam

Ita et Sallustius in situ Ponti, de promontoriis Paphlagonum, et quod Κριοῦ μέτωπον [94] appellavit, posuit. *Nonius.*

Interrogasti, si tenes, Mæotici
Situs quis esset æquoris. Sallustium
Noram id dedisse, dicta et ejus omnibus
Præjudicatæ auctoritatis ducier
Non abnuebam.

Festus Avienus.

Portus ab Eoo fluctu curvatus in arcum;

In arcus similitudinem. Sic de Ponto Sallustius, unde hic tulit colorem. Nam speciem efficit Scythici arcus. *Servius ad* III *Æneid.*

..... Freta lata relucent.

Lata autem ideo, quia se angustiæ Pontici oris illic dilatant, uti dicit Sallustius. *Servius.*

Teia autem dicta est [95] a Teio Anacreontis poetæ lyrici oppido, quod in Paphlagonia esse Sallustius indicat, quum de situ Pontico loquitur. *Comment. in Horat.*

Porro Sallustius auctor certissumus asserit, tam Tigris, quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari. *Hieron. de Locis Heb.*

Quum multi evaserint Trojanum periculum, uti Capys, qui Campaniam tenuit; ut Helenus, qui ut alii, Sardiniam, secundum Sallustium. *Servius.*

Sallustianus Calpurnius. *Hieron. ad Ruf.*

Calpurniani discipuli. *Idem ibid.*

hoc sit absurdum, satis per se apparet.

94. Κριοῦ μέτωπον. Latine, *frontem arietis.* Nomen promontorii e Chersoneso Taurica in Pontum Euxinum prominentis. In tabulis geograph. dicitur, lingua Turcica, *Karadje-burn.* Adversum est Carambico Paphlagoniæ promontorio, nunc *cap Karempi. De Br.* III, 89.

95. *Teia... dicta est.* Horat. Carm. I, 17: *fide Teia.* Teium autem, urbs Paphlagoniæ, inter Heracleam et Carambicum promontorium, patria fuit Anacreontis. Eum tamen nonnulli ferunt in Ionia natum.

Tamen vulgata jam res est gentilium proprietatum. Comici Phrygas timidos[96] illudunt. Sallustius vanos Mauros, et feroces Dalmatas pulsat. *Tertull. de Anima.*

Sarcasmus chleuasmo proxima est et similis figura, qua adversariorum facta, cum exacerbatione admissi, lacessimus: ut apud Sallustium de Sullæ crudelitate. Ut in M. Mario quum, fracta prius crura[97], per artus exspiraret. *Jul. Rufinianus de Schemat. lexeos.*

Mesopotameni homines[98] effrenatæ lubidinis sunt, ut Sallustius meminit, in utroque sexu. *Glossæ in Juvenal.*

Antonius ille[99] trium Antoniorum corruptor, ille Sallustius, qui oræ maritimæ, qua Romanum esset imperium, contrarius piratis. Si omnes socios et maxume Græcos Asiaticos ac Siculos fortunis omnibus spoliaverunt. *Eædem Glossæ.*

Σαλλουστίου δὲ θαυμάζω, τότε πρῶτον ὦφθαι Ῥωμαίοις καμήλους, λέγοντος, εἴ μήτε πρότερον τοὺς μετὰ Σκιπίωνος νικήσαντας Ἀντίοχον ᾤετο, μήτε τοὺς ἔναγχος πρὸς Ὀρχομενῷ, καὶ περὶ Χαιρώνειαν Ἀρχελάῳ μεμαχημένους, ἐγνωκέναι κάμηλον. *Id est:* Sallustium demiror, qui autumat, tum primum[100] visos Romanis camelos, quod neque olim illos qui duce Scipione Antiochum devicerunt, neque hos

96. *Phrygas timidos.* Scilicet homines regionis amœnitas emolliit; nam timidi non erant, quum ex Thraciæ silvis exierunt (supra n. 86). Testatur etiam musica; quod ii *modum phrygium*, maxime militarem, et bellicum aliquid sonantem invenerunt. De modis antiquæ musices, vide *De Brosses*, II, 69.

97. *Fracta prius crura.* Accusativus ejusdem modi, quo supra, *sanctus alia*, (inter n. 76 et 77). De M. Mario vide Catil. Vitam, p. 117.

98. *Mesopotameni homines.* Vide Curt. V, 1, et ibi Freinsh. not. 37.

99. *Antonius ille.* Creticus scilicet, de quo supra, III, n. 55. — *Corruptor.* Qui gloriam trium Antoniorum sua infamia corrupit. Trium autem illorum notissimus est M. Antonius orator, Cretici pater. — Aliquid manci est in cetero fragmento.

100. *Tum primum.* In pugna, qua Mithridatis exercitum fudit Lucullus, non multo post relictam a rege Cyzici obsidionem. Plut. in Lucullo.

qui ad Orchomenum et Chæroneam certaverunt cum Archelao, nosse putaverit camelum. *Plutarch. in Lucull.*

Σαλλούστιος μὲν οὖν φησι, χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ, καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ δύο χειμῶνας ἑξῆς ἐν χάρακι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας. *Id est:* At Sallustius quidem fuisse milites jam inde a principio male ait in eum (Lucullum) animatos, quod ad Cyzicum, et iterum ad Amisum[101] duas hiemes eos in castris continuisset. *Idem.*

LECTORI.

Hactenus[102] *Fragmenta florentissimi rerum romanarum scriptoris, quæ exstare putamus. Cetera, quæ sequuntur, in MS. Servio legi auctor est V. Cl. Andreas Schottus: in optima tamen illa Honorati editione a Petro Daniele IC. procurata non comparent.*

* m or Trequii præter sr ciem necessariam haud multo secus quam ferro noceri poterat. At Varinius[103], dum hæc

101. *Ad Amisum.* Vide supra, IV, n. 2.

102. De seqq. fragmentis Douza: « Fragmenta tria ex vetustis et Servianis doctissimi Petri Danielis schedis, necdum publicatis, Lutetiæ descripta, atque inde porro ad C. V. Justum Lipsium ab adolescente lectissimo Andrea Schotto, gratificandi causa Lugdunum nostram transmissa, alius neminis quam Sallustii esse quovis pignore contendere ausim. Cui rei argumenta primo stylum dico; quem ego adeo omni ex parte Sallustiano dicendi generi respondere, probare posse videor, ut lac lacti similius esse non queat. Deinde servilis belli tractationem, quam Sallustium in his historiarum suarum libris exsequutum esse, quum ex aliquot superioribus fragmentis, tum ex Ausoniana illa duodecim annorum computatione ita examussim compertum jampridem atque exploratum habemus, ut satis acceptione nobis, ejus rei causa, opus non sit. Abessent tantum cæcæ lituræ illæ, tot barbariæ mendis ac maculis coopertæ. Quibus ipse, hercule, eluendis sat esse non possum; neque enim fullonicam didici. Ut eapse exarata accepi, ita repræsentavi. Ceterum fides sit penes exscriptores. »

103. *At Varinius.* Prætor anno U. C. 681, adversus Spartacum et fugitivos varia fortuna bellum gessit.

aguntur a fugitivis, ægra parte militum autumni gravitate, neque ex postrema fuga, quum severo edicto juberentur, ullis ad signa redeuntibus, et qui reliqui erant per summa flagitia detrectantibus militiam, quæstorem suum C. Thoranium, ex quo præsente vera facillime noscerent. *** commiserant, et tamen interim quum volentibus numero quatuor.

* ingre, tante setui debacrlttur, nefandum in modum perverso vulnere et interdum lacerum corpus semianimum omittentes, alii in tecta jaciebant ignes, multique ex loco servi, quos ingenium socios dabat, abdita a dominis, aut ipsos trahebant ex occulto, neque sanctum aut nefandum quicquam fuit iræ barbarorum, et servili ingenio : quæ Spartacus nequiens prohibere, multis precibus quum oraret, celeritate **** nuncios.

Aliquot dies contra morem fiducia augeri nostris cœpit, et promi lingua. Qua Varinius contra spectatam rem incaute motus novos incognitosque et aliorum casibus perculsos milites, ducit tamen ad castra fugitivorum. Presso gradu silentes jam, neque tam magnifice sumentes prælium, quam postulaverant. Atque illi certamini conscii inter se juxta seditionem erant. Crixo et gentis ejusdem Gallis atque Germanis obviam ire et ultro offerre pugnam cupientibus contra Spartacum.

LECTORI BENEVOLO

NOVISSIMUS EDITOR.

Tria superiora fragmenta fideliter edidimus, ut apud Cortium ceterosque leguntur, utque ea primus in lucem Douza protulit. Verum non tria tantum fuisse videntur in exemplari, quod ab Andrea Schotto exscriptum in Douzæ manus pervenerat. Certe docet nos *De Brosses*, III, 63 (cujus eruditam notam vernaculo sermone infra perscripsimus [1]), sex antiquissimi Sallustii paginas cum manuscripto Servio, de quo Douza loquitur, inventas fuisse, et ad Muratorium missas, qui eas in suo Inscriptionum Thesauro comprehendit. Totas huc, nulla detracta, nulla addita, nulla transposita littera, typis etiam similibus, ex Muratorio transferre nobis operæ pretium visum est. Quum autem Freinshemius hisce fragmentis, et nonnullis superiorum, ad Livium de bello Spartacio supplendum usus fuerit, aliqua ejus capita addemus, quæ ad informes has Sallustii reliquias commentarii vicem impleant.

1. « Ici commencent les lambeaux d'un manuscrit de l'histoire générale de Salluste, dont une moitié, un peu moins délabrée que le reste, est connue depuis deux siècles, et l'autre moitié est restée presque entièrement inconnue. Ils furent trouvés à la Bibliothèque du Roi dans le seizième siècle, et, à ce qu'il semble, avec un manuscrit du commentaire de Servius sur Virgile. André Schott en envoya une copie à Leyde à Juste-Lipse, pour être jointe à une nouvelle édition de Servius que Pierre Daniel préparait alors; et dans laquelle néanmoins ces fragments ne se trouvent pas; non plus que dans celle que

Fragmenta ex Muratorio decerpta.

I.

. . . . . .
NI IORRERE QVIT PRAETER
S...CIEM BELLO NECESSARIO
HAVD MVLTO SECVS QVAM
FERRO NOCERI POTERAT AT
VARINIVS DVM HAEC AGVN
TVR A FVGITIVIS AEGRA PAR
TE MILITVM AVTVMNI GRA
VITATE NEQVE EX POSTREMA
FVGA CVM SEVERO EDICTO
IVVERENTVR AD SIG
NA DEEVNTIBVS ET QVI RELI
QVI ERANT PER SVMMA FLA
GITIA DE TRACTANTIB MILI
TIAM QVAESTOREM SVVM
C. THORANIVM EX QVO PRE
SENTE VERA FACILLIME NOS
CERENT VM MISERANT ET TA
MEN INTERIM QVVM VO
LENTIB NVMERO QVATVOR.

Maswic a publiée en Hollande en 1717, sur un manuscrit de Servius, plus ample que ceux que l'on connaissait, qui venait de passer de la bibliothèque de Saint-Benigne de Dijon, dans celle du Roi, et dans lequel j'ai trouvé plusieurs passages cités de Salluste, qu'on ne connaissait pas encore. Mais il y a peu d'apparence que ces lambeaux-ci eussent été insérés par Servius dans son commentaire sur Virgile. Cet ancien grammairien n'a pas coutume de rapporter d'aussi longs passages du grand nombre d'auteurs qu'il cite. Les trois feuillets ou six pages envoyées par Schott à Juste-Lipse, étaient quelques restes d'un manuscrit de l'historien même, échappés à l'injure des temps. L'exemplaire de Schott passa entre les mains de Janus-van-der-Does, fort connu dans la littérature sous le nom de Douza, gen-

2.

. . . . . .
IN S CONVERTERENT
INTVS MVLTA IAM LVCE
DERANS SOLITA A FVLI
ONO ACTAE ET IN CASS
NI ICTVS SI ARIDVM
STREPITVS TVMVL
I CON RES VNDIQ
VM MITTIT EQVITIS
VM CIRCVM PRO
VI EXE ORARENT
PRO TIRE VESTI
S CREDENS IO
OTA MENAG
. . . . . PAVENS SE. . . . .
. . . . . M DVPLI. . . . . .
. . . . . VM A. . . . .
. . . . . DA. . . . . .
. . . . . .

tilhomme de Leyde, et premier bourg-mestre de la ville. Comme il travaillait alors à rassembler plusieurs fragments de Salluste, extraits des anciens grammairiens, et à les éclaircir par d'assez longues notes, il joignit à la suite de son édition des fragments, imprimée à Anvers en 1580, trois pages de ces lambeaux, qu'il reconnut sans difficulté pour être de Salluste, et pour faire partie de la révolte des gladiateurs. S'il y avait même quelque doute là-dessus, il serait aujourd'hui levé par Nonius-Marcellus, chez qui l'on trouve un passage cité, comme étant du troisième livre de Salluste, et qu'on lit aussi dans une des trois pages que Douza ne fit pas imprimer alors. Il ne joignit même aucunes notes ni corrections aux trois pages qu'il imprimait, se contentant de dire là-dessus, qu'il n'était pas assez adroit pour rendre le lustre à une étoffe si tachée. *Tot mendis ipse eluendis sat esse non possum; neque enim fullonicam didici. Ut eapse exarata accepi, ita repræsentavi.* C'est probablement pour cette raison qu'il n'a donné que trois des six pages, et qu'il a négligé de faire imprimer

3.

. . . . . .

NIS OPERIS COMMVN
DEINDE FVGITIVI CON
TIS IAM ALIMENTIS NEP
DANTIB EX PROPINQ
TIS INSTAR ET SOLITIA
LITIAE VIGILIAS STA
Q ET ALIA MVNIA ES
SECVNDA VIGILIA
CVNCTI EGREDIV
LICTO BVCINA
TRIS ET AD VIGIL
PROCVL VISEN
XERANT FVLT
RECENTI AC
BRO SIGN
MIDIN
RIN
TV

les trois autres, comme plus défectueuses encore. Mais il est certain que Freinsheim en a eu à Strasbourg un exemplaire manuscrit qu'il a bien mieux su déchiffrer, et en faire un très-bon usage dans ses suppléments de Tite-live, où il a inséré en propres termes une partie de l'un des feuillets inconnus, contenant quelques circonstances de fait, qu'on ne trouve nulle part ailleurs dans aucun ancien écrivain. Il cite en marge le manuscrit de la Bibliothèque Royale. On en a trouvé un autre exemplaire complet à Dijon, dans le cabinet de Jacques-Auguste de Chevannes, homme de lettres qui avait rassemblé beaucoup de choses curieuses en antiquités. C'est aussi dans le même cabinet qu'était la célèbre et unique médaille de Midas, roi de Phrygie, que M. l'abbé Barthélemi a, depuis peu d'années, fait passer dans le médailler du Roi. Jos. Bimard, baron de la Bastie, se trouvant à Dijon en 1728, et ayant mal-à-propos pris les six lambeaux de Salluste pour autant d'inscriptions, en leva une copie figurée fort exactement, qu'il envoya à Modène, à Muratori. Celui-ci l'a fait imprimer à Milan en 1739, dans le premier volume de son grand recueil d'in-

4.

. . . . . .

ALIQVOD DIES CONTRA MO
REM FIDVCIA AVGERINVS
TRIS COEPIT ET PROMI LINGV
QVA VARINIVS CONTRA S
PECTATAM REM INCAVTAE
MOTVS NOVOS INCOGNITO
Q. ET ALIORVM CASIBVS PER
CVLSOS MILITES DVCIT TAMĒ
AD CASTRA FVGITIVORVM
PRESSO GRADV SILENTIS IAM
NEQ. TAM MAGNIFICE SVMĒ
TIS PROELIVM QVAM POSTV
LAVERANT ATQ. ILLI CERTA
MINI CONSILII INTER SE IVS
TA SEDITIONEM ERANT CRI
XO ET GENTIS EIVSDEM GAL
LIS ATQ. GERMANIS OBVIAM
IRE ET VLTRO FERRE PVGNĀ
CVPIENTIBVS CONTRA SPARTA

scriptions, avec la lettre et les notes du baron de la Bastie. La bibliothèque de Jacques-Auguste de Chevannes, mort en 1690, ayant passé à M. Thomas d'Islan son héritier, fut vendue et dispersée après le décès de ce dernier, il y a une trentaine d'années; et je n'ai pu encore découvrir entre les mains de qui avait passé son exemplaire entièrement conforme à celui qu'on trouve dans le recueil de Muratori. Le fragment était en lettres capitales, ce qui marque une haute antiquité de manuscrit, de forme presque entièrement pareille à celui du quatre-vingt-onzième livre de Tite-Live, que Bruns vient de trouver l'an passé au Vatican, mais beaucoup plus curieux pour l'histoire. Chaque page ou du moins ce qui reste de chacune, est de dix-neuf lignes courtes, d'environ vingt lettres, bien régulièrement espacées de même dans les pages, comme le sont les trente lignes par page du Tite-Live. Il faudrait avoir l'original autographe même, pour

5.

INGRES

TANT ESE ILLVDEBANT SIM L
NEFANDVM IN MODVM PER
VERSO VOLNERE ET INTER
DVM LACERVM CORPVS SE
MIANIMVM OMITTENTES
ALII IN TECTA IACEBANT IG
NIS MVLTIQ EX LOCO SEB
VI QVOS INGENIVM SOCI
OS DABAT ABDITA A DOMI
NIS AVT IPSOS TRAHEBANT
EX OCCVLTO NEQVE SANCTV̄
AVT NEFANDVM QVICQVĀ
FVIT IRAE BARBARORVM
ET SERVILI INGENIO QVAE
SPARTACVS NEQVIENS PRO
HIBERE MVLTIS PRECIB QVO
MORARET CELERITATE PRAE
VERTERE NVNTIOS

pouvoir dire s'il est écrit sur deux colonnes par page comme le Tite-Live; si les feuillets sont écrits au verso, comme il y a toute apparence, etc. Mais ce que je puis dire sur une matière que j'ai bien examinée, c'est qu'il ne laisse aucun soupçon de supposition; que les pages ou feuillets, quoique très-voisins les uns des autres, ayant tous rapport à la même narration, pourraient ne pas avoir été immédiats et consécutifs; que s'ils l'étaient dans l'original, les pages ont été en partie coupées d'en haut ou d'en bas, y ayant lacune de l'une à l'autre: que l'ordre des feuillets, tel que la Bastie l'a coté, n'est pas trop vrai ni fort exact. Je conjecture même qu'en un endroit ou deux, ce qu'on trouve écrit de suite dans la même page, pouvait n'être pas consécutif dans l'original. Peut-être André Schott, ou un autre, a-t-il transcrit de suite ce qu'il a trouvé de caractères lisibles dans les feuillets séparés du vieux manuscrit.

6.

CON.....
TIMILIRVIT.....
CEPS MONET IN.....
AGROS MALISQ PE VRIO
VE EGREDIANTOR VBI PRI
QVAM RELIGIO EXERCITV
ADESSE VARINIVS AVGER
TVR NVMERO SELECTIS VIR
ET PROPERE NANCTVS IDO
NEVM ET CALLIVIS DVCIS
ET CENTINIS DEINDE EBVR
NIS JVGIS OCCVLTIVS AD N
RIS LVCANAS ATQ INDE PRI
MA LVCE PERVENIT AD N
NI FORVM IGNARIS CVI
RIB AC STATIM FVGITIVI CO
TRA PRAECEPTVM DVCIS
RAPERE AD SE VIRVM VIR
NES MATR ET ALII C (1)

(1) Ea sunt sex historiæ Sallustianæ fragmenta, a Muratorio inter Inscriptiones relata. Ex his Douza tantummodo primum, quartum, et sextum ediderat : quæ licet jam supra legantur, p. 449 et 450, tamen iterum hic dare non dubitavimus, ut istæ præstantissimi scriptoris reliquiæ tandem compareant, quales ex veteri Bibliothecæ regiæ manuscripto primum erutæ sunt. Præterea, in nonnullis locis, Douzæ et Muratorii lectiones inter se differre lector deprehendet; qua scripturæ varietate etiam adjuvabitur, si quis has ruinas sarcire tentaverit. Interea neque hæc, neque tria altera fragmenta incassum prodierunt in lucem; quum inde præsertim Freinshemius utilem et jucundam de Spartacii belli initiis narrationem concinnaverit. Accedat igitur ille, Sallustii jam, non Livii, interpres; resque truncorum verborum et mutilæ orationis ambagibus implicitas expediat.

EX LIVIANIS SUPPLEMENTIS FREINSHEMII;

LIB. XCV.

II. Novum inter hæc bellum contemptis initiis, adeo nullius imperii tuta vel domi potentia est, in maximas Italiæ calamitates evaluit. Quatuor et septuaginta gladiatores Capuæ ex ludo Cn. Lentuli profugerunt, Galli plerique, pertæsi pessimæ sortis, ad quam eos non suum aliquod scelus, sed iniquitas domini coegerat. Hi quum verubus atque coquinariis cultris e popina correptis oppido erupissent, in plaustra quædam inciderunt, quibus arma gladiatoria portabantur. Atque illi velut munere deum oblatis armis alacres, in munito quodam colle constiterunt, ducibus tribus creatis, inter quos Spartacus eminebat, Thrax gente, et ab ineunte ætate pastor; sed animo et viribus ingens, nonnulla quoque belli peritia, quod inter stipendiarios militaverat, ferociam originis institutique prudentia et moderatione temperabat. Uxor ei oriunda indidem aderat; quæ Bacchici numinis plenam se ferens, quo primum tempore Romam venalis est deductus, conspecto dracone circa dormientis caput instar coronæ convoluto, magnam viro potentiam prædixerat. Cognito hominum consilio, statim ex oppido venerunt armati, qui eos ex fuga reprehenderent. His fusis fugatisque, quum multa arma militaria cepissent, abjectis gladiatoriis, quæ oderant, illa læti gratulabundique sumpserunt[1].

1. Pacat. Panegyr. c. XXIII. — Liv. Epit. — Velleius, II, 30. — Eutrop. l. VI. — Oros. V, 24. — Appian. Civil. l. I. — Plut. Crasso. — Flor. III, 20. — Appian. Plut.

III. Inter hæc Claudius Pulcher legatus, cum tribus millibus armatorum ex urbe accurrit; et ad Vesuvium montem, quo illi se receperant, castris positis, aditum, qui unicus ea parte, atque is difficile tamen et impeditum iter præbebat, obsedit. Illi nullas circa stationes, qua inaccessus videbatur, conspicati, per abrupta cavasque fauces catenis ex vite silvestri confectis se demiserunt, uno relicto, qui dejectis armis postremo ipse quoque descendit. Spartacus postquam omnes incolumes recepit, solerti cum audacia statim ad castra Romanorum duxit, et improvisi periculi consternatione ita terruit Claudium, ut turpi fuga castris desertis, aliquot cohortes quatuor et septuaginta gladiatoribus cederent[2].

IV. Res prosperæ, ut adsolet, statim invenerunt socios, multique pastores, durum et pernix genus, accesserunt ad partes : quorum robustissimum quemque armavit Spartacus, reliquos antecursorum et velitum numero habuit. Servitiis deinde ergastulisque concitatis, quum celeriter ad hominum millia decem coivissent, quod armorum erat inopia, scuta ex vimine dedit : eratque is facilis labor solitis vasa agrestia ex viminibus nectere; et unoquoque se ad eam artem in formam equestris parmæ armante, celeriter confecta res est : mox mactatis pecoribus, parmas cooperiebant, quum coria recens detracta quasi glutino adhærescerent; ferro dein ergastulorum recocto, gladios ac tela fabricabant[3].

V. His rebus festinare coactus P. Varinius prætor, cui senatus negotium extra ordinem dederat, cum justo exercitu, sed tumultuarie conscripto, advenit. Sed legatum ejus Furium cum duobus millibus militum præmissum a prætore acie congressi fugitivi fuderunt. Qua victoria usi

2. Liv. Epit. — Plut. — Vellei. Flor. — Plut. — Front. v, 21. — Oros. — Frontin.

3. Plut. — Livii Epitome. — Flor. Sall. Hist. Fragm. IV. — Frontin. 1, 7.

sævius etiam infestiusque totam Campaniam pervagati sunt; nec villarum atque vicorum vastatione contenti, Coram, Nuceriam, et, quæ romanis exercitibus tot per annos restiterat, Nolam, crudeliter populabantur; nactique nonnullos quibus maxime infensi erant, eorum morti nefandum in modum illudebant, lacera corpora, sed adhuc spirantia, ne cito dolore defungerentur, omittentes. Alii in tecta jaciebant ignes : multique ex locis quæ occupata erant servi, quos ingenium dabat socios, abdita a dominis, aut ipsos trahebant ex occulto. Neque sanctum aut nefandum quidquam fuit iræ barbarorum, et servili ingenio; nequeunte prohibere Spartaco, quanquam multis precibus oraret[4].

VI. Igitur, ut alio consilio eos ab hac immanitate abduceret, simulque adventus sui celeritate præverteret nuncios; raptim in Lucaniam ductis copiis, Cossinium, qui datus prætori adjutor fuerat, cum magna militum manu apud Salinas agentem ita improviso impetu oppressit, ut nihil propius sit factum, quam ut lavantem comprehenderet. Impedimenta certe ejus omnia diripuit, vestigiisque fugientium hærens, multos occidit, et castra eorum cepit, ipso ibi Cossinio interfecto. Hinc Lucaniæ magnam partem, Thurinum maxime Metapontinumque agrum, in potestate fugitivi habuerunt, ipsis quoque urbibus eodem bello potiti[5].

VII. At Varinius, dum hæc aguntur a fugitivis, ægra parte militum autumni gravitate, neque ex postrema fuga, quum severo edicto juberentur, ullis ad signa redeuntibus, et qui reliqui erant, per summa flagitia detrectantibus militiam; quæstorem suum C. Thoranium, ex quo præsente vera facillime noscerentur, in urbem miserat : et tamen interim cum volentibus in expeditionem prodiit.

4. Liv. Epit. — Appian. — Plutarchus. — Florus. — Sallust. Fragmenta ex Bibliotheca Regia

5. Plut.— Flor. — Sallust. Frag.

Auxiliis deinde contractis, quum quædam non improspere gessisset, contra morem fiducia augeri Romanis et promi lingua cœpit : quo Varinius contra spectatam rem incaute motus, novos incognitosque et aliorum casibus perculsos milites ducit tamen ad castra fugitivorum presso gradu; silentes jam, neque tam magnifice sumentes prælium quam postulaverant.

VIII. At fugitivi certamine consilii inter se juxta seditionem erant, Crixo et gentis ejusdem Gallis atque Germanis obviam ire et ultro pugnam offerre cupientibus. Contra Spartaco dimittere quæ haberent e loco commoda, et, quam integro exercitu sperarent, cum periculo victoriam quærere non placebat. Quo deinde ordine ac loco res unaquæque gesta sit, amissis quæ de hoc bello erant prodita, non habeo dicere. Illud certum utique habetur, multis præliis victum a Spartaco Varinium esse, et adeo ægre elapsum, ut equum illius lictoresque cum fascibus et insignibus magistratus ad Spartacum fugitivi detulerint, quibus etiam postea usus est[6].

IX. Eodem tempore quum forte præclusus a P. Varinio Spartacus fuisset, insigni astu elapsus est. Quum enim operibus hostium in arctum coacti essent fugitivi, consumptis jam alimentis, nec suppeditantibus ex propinquo, secunda vigilia cuncti egrediuntur, relicto buccinatore in castris, et ad vigiliarum speciem procul visenti cadaveribus, quæ erexerant fulta palis, per modica intervalla ante portam fixis. Ea veste atque armis adornata quum per tenebras, aut dubia adhuc luce, satis tegerent fraudem, et per tota castra ignes collucerent, facile deceptus hostis est; ut eodem adhuc loco fugitivos esse crederet. Multa demum lux aperuit quid actum esset, missique sunt equites, qui vestigia Spartaci scrutarentur, et

6. Plut. — Appian. — Flor.

quantum possent damni ac moræ facerent. At ille visis equitibus, priusquam cum reliquo exercitu adesset Varinius, propere nactus idoneos ex callibus duces, Picentinis, deinde Eburinis jugis occultus ad nares Lucanas, atque inde prima luce pervenit ad Popili Forum, ignaris cultoribus[7].

X. Ac statim fugitivi contra præceptum ducis rapere ad stuprum virgines, matres, et aliis sceleribus operam dare; multum obstante Spartaco, cui præter humilitatem sortis, nihil ad eximii imperatoris tuendum nomen deerat. Neque sapientiæ egebat qua futura prospiceret : victoque Varinio quum majorem esse romanam potentiam intelligeret, quam ut sperare interitum ejus posset, auctor ad Alpes eundi suis erat, ut iis superatis, diversi Thraces Gallique suam quisque patriam repeterent. Sed illi multitudine confisi, et elati successu, spernebant salubre consilium, et devastanda Italia, suæ libidini avaritiæque indulgebant. Jam enim circa Consentiam et Metapontum delectibus agendis ita creverant, ut tum quidem Spartacus triginta millia, Crixus decem, sub signis habuisse tradatur; nam tertius ducum Ænomaus superiore bello perierat[8].

7. Frontini Stratagem. lib. v, 22.
8. Sall. Hist. III. — Plut. — Oros. v, 24.

C. C. SALLUSTII

EPISTOLÆ DUÆ

AD C. CÆSAREM *

DE REPUBLICA ORDINANDA.

EPISTOLA I.

I. Scio ego, quam difficile atque asperum factu sit, consilium dare regi aut imperatori, postremo cuiquam mortali, cujus opes in excelso sunt : quippe quum et illis consultorum copiæ adsint; neque de futuro quisquam satis callidus, satisque prudens sit. Quin etiam sæpe prava

* *Epistolæ duæ ad Cæsarem.* Has olim orationes vocabant. Sed epistolas esse, quum ex aliis locis, tum præsertim ex hoc primæ, cap. 12. « *forsitan, imperator, perlectis literis,* etc. » satis apparet. Ideo hoc nomen cum Certio reposuimus. Vulgo secundam ponunt, quam nos, cum optimis interpretibus gallicis *De Brosses*, *Dureau de la M.* et Eusebio *Salverte*, primam posuimus. Hoc ordine fuisse scriptas constat ex prima, cap. 9. n. 2, et ex secunda, cap. 2, totoque contextu.

Jam vero magna est contentio inter doctos, utrum sint a Sallustio, an ab aliquo Sallustii imitatore conscriptæ. Cortius impense negat a Sallustio esse, totamque operam in eo impendit, ut unum quodque verbum in aliis Sallustii operibus inveniri probet; unde concludit Epistolas Sallustii non esse. Aliquis fortasse contrarium prorsus concludat. Ceterum Cortius commentarium suum iratus conscripsit, nec sibi temperat, quin auctorem stultitiæ et stupiditatis passim insimulet. Quæ probra certe in ipsum reciderent, nisi, ceteris Sallustiani commentarii partibus, ab iis egregie se vindicavisset. Affirmat contra vir non minoris doctrinæ Douza, verum auctorem esse Sallustium. Quippe, « e summo puteo, inquit, similior nunquam potest aqua aqua-

magis, quam bona consilia prospere eveniunt: quia plerasque res fortuna ex lubidine sua agitat. Sed mihi studium fuit adolescentulo[1] rempublicam capessere; atque in ea cognoscenda multam magnamque curam habui: non ita, uti magistratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant; sed etiam, uti rempublicam domi militiæque, quantumque armis, viris, opulentia posset, cognitam haberem. Itaque mihi multa cum animo agitanti consilium fuit, famam modestiamque meam post

sumi, quam hæc ipsa sunt, et altera illa quæ de Sallustianis naufragiis reliqua deorum nobis benignitas fecit.» Quod quidem verum esse, nemo est quin, perlectis litteris, æque ac Douza intelligat. Affirmat etiam *De Brosses;* nec rem in contentionem vocant alii, quos diximus, gallici interpretes. Nonnulli dubitant, inter quos Carrio; isque unicam dubitandi causam affert, cujus quidem vim dissimulare mihi non est animus: scilicet ex his epistolis nihil a grammaticis veteribus adduci, qui tamen in afferendis Sallustii exemplis multi sunt. Respondet *De Brosses* has fortasse parum notas fuisse, utpote amico scriptas, non ea mente ut in publicum ederentur. Ceterum eas in codice Vaticano invenit, cum orationibus et epistolis, quæ inter Fragmenta sunt, Pomponius Lætus, nec editis præscripsit Sallustii nomen. Sed parum inde, in utramlibet partem, argumenti. Me movet ut eas Sallustio adscribam, primum dicendi ratio vere Sallustiana, deinde summa, quæ in iis eminet, rei politicæ scientia. Et difficile quidem arbitror Pseudosallustium aliquem tempora dudum elapsa ita sibi ob oculos posuisse, ut de Cæsaris et imperii rebus tam scite tamque apposite disseruerit. Multa sunt in his litteris, quæ non nisi a scriptore, qui rebus et eventibus interfuerit, scribi potuisse mihi quidem videntur; multa, quæ ni scripsit Crispus noster Sallustius, necesse pene dixerim duos exstitisse Sallustios. Ad interpretationem igitur tanquam veri et unici Sallustii accedo.

Cap. I. 1. *Studium fuit adolescentulo.* Hæc congruunt cum iis quæ ipse dicit in Catil. III, n. 8. Hoc unum addit, se non ideo tantum ad rempublicam accessisse, ut capesseret magistratus, sed etiam ut civitatis opes pernosceret, scientiamque politicam, experientia magistra, edisceret; unde efficitur, ut consilium Cæsari dare possit. Præterea, ut mox profitetur, qualecumque de eo consilio Cæsar judicium ferat, opinionem ingenii modestiæque suæ in discrimen adducere non abnuit, dummodo dignitati et gloriæ Cæsaris pro virili parte consulat. Atqui Sallustius, dum hæc scriberet, senatoria dignitate, ab Appio censore notatus, carebat: cujus per Cæsarem recuperandæ cupidinem quis

tuam dignitatem habere, et cujus rei lubet periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriæ acciderit. Idque non temere, aut ex fortuna tua decrevi; sed quia in te, præter ceteras, artem unam egregie mirabilem comperi, semper tibi majorem in adversis, quam in secundis rebus animum esse. Sed per ceteros mortales illa res clarior est [2], quod et prius defessi sint homines laudando atque admirando munificentiam tuam, quam tu faciendo quæ gloria digna essent.

II. Equidem mihi decretum est, nihil tam ex alto reperiri posse, quod non cogitanti tibi in promtu sit: neque ego, quæ visa sunt, de republica tibi scripsi, quia mihi consilium atque ingenium meum amplius æquo probaretur; sed inter labores militiæ, interque prælia, victorias, imperium, statui admonendum te de negotiis urbanis. Namque tibi si id modo in pectore consilii est, uti te ab inimicorum impetu vindices, quoque modo contra adversum consulem [1] beneficia populi retineas; indigna virtute tua cogites. Sin in te ille animus est, qui jam a principio nobilitatis factionem disturbavit [2], plebem rom. ex gravi

est qui toti huic rei subesse non intelligat? — *Cujus rei lubet.* Cujuslibet rei.

2. *Sed per ceteros mortales illa res clarior est.* Sed universo ceterorum mortalium consensu ea res clarior est, quam ut de ea plura verba facere debeam. Nam homines prius etiam defessi sunt laudando, etc. Pro verbis *per ceteros mortales*, nonnulli legunt *per deos immortales.* — *Munificentiam tuam.* Cortius proponit *magnificentiam*, idque intelligit consuetudinem magna faciendi. Non absurdum forte; sed tamen auctor scribere potuit *munificentiam*, seu paulum extendendo hujus vocabuli sensum, seu ex Cæsaris virtutibus unam eamque præcellentem nominando.

Cap. II. 1. *Contra adversum consulem.* Vel Lentulum, vel Marcellum, qui consules erant, anno 705, quo Cæsar, Rubiconem transeundo, initium belli civilis fecit. Lentulum potius innui crediderim, ex ipso Cæsare, Bel. Civ. I et IV. — *Beneficia populi.* Exercitus imperium et jus consulatum petendi, quamvis absens esset. Ceterum de causis aut prætextu belli civilis vide, præter Cæsarem l. c., etiam Sueton. Jul. XXVIII, XXIX, et XXX.

2. *Nobilitatis factionem disturbavit*, etc. Hoc ad ea referri potest, quæ

servitute in libertatem restituit, in prætura inimicorum arma inermis disjecit[3], domi militiæque tanta et tam præclara facinora fecit, uti ne inimici quidem queri quidquam audeant, nisi de magnitudine tua; quin accipe tu ea, quæ dicam de summa republica: quæ profecto aut tu vera invenies, aut certe haud procul a vero.

III. Sed quoniam Cn. Pompeius aut animi pravitate, aut quia nihil maluit, quam quod sibi obesset[1], ita lapsus est, ut hostibus tela in manus jaceret; quibus ille rebus

narrat Suet. Jul. v: « Tribunatu militum, qui primus Romam reverso per suffragia populi honor obtigit, auctores restituendæ tribunitiæ potestatis, cujus vim Sylla deminuerat, enixissime juvit. » Et ibidem, XI: « Quorum (optimatium) auctoritatem ut quibus posset modis invicem deminueret, tropæa C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis, olim a Sylla disjecta, restituit; atque in exercenda de sicariis quæstione, eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob relata civium romanorum capita pecunias ex ærario acceperant, quanquam exceptos Corneliis legibus. »

3. *Inimicorum arma inermis disjecit.* Suet. Jul. XVI: « Cæcilio Metello tribuno plebis turbulentissimas leges adversûs collegarum intercessionem ferenti, auctorem propugnatoremque se pertinacissime præstitit; donec ambo administratione reipublicæ decreto patrum summoverentur. Ac nihilo minus permanere in magistratu, et jus dicere ausus, ut comperit paratos qui vi ac per arma prohiberent, dimissis lictoribus abjectaque prætexta, domum clam refugit, pro conditione temporum quieturus. Multitudinem quoque biduo post sponte et ultro confluentem, operamque sibi in asserenda dignitate tumultuosius pollicentem compescuit. Quod quum præter opinionem evenisset, senatus ob eumdem cœtum festinato coactus gratias ei per primores viros egit, accitumque in curiam et amplissimis verbis collaudatum in integrum restituit, inducto (id est *deleto et antiquato*) priore decreto. » Vide etiam Plutarch. in Cæsare.

Cap. III. 1. *Nihil maluit, quam quod sibi obesset.* Plurimæ edd.: *quam quod tibi obesset.* Venetæ primæ: *nihil eo maluit, quod tibi obesset.* Cortium, cum Bip., sequuti sumus. « Notat, inquit Cortius, obstinatum illum animum Cn. Pompeii, quo omnes conditiones pacis et concordiæ repudiabat, quum Cæsar ad æqua omnia esset propensior. » Sic nempe ipse sibi male consulebat Pompeius, et quasi libens et volens ruebat in exitium. Hic vero sensus quanto acutior sit et rei aptior, quam alter ille « *nihil maluit quam perniciem Cæsaris* » facile intelligitur. Hunc tamen procul abest ut absurdum dixerim. — *Ut hostibus tela in manus jaceret.* Ut suis adversus se

rempublicam conturbavit, eisdem tibi restituendum est. Primum omnium[2] summam potestatem moderandi de vectigalibus, sumtibus, judiciis, senatoribus paucis tradidit; plebem romanam, cujus antea summa potestas erat, ne æquis quidem legibus, in servitute reliquit. Judicia tametsi, sicut antea, tribus ordinibus tradita sunt[3]; tamen iidem

hostibus tela subjiceret, scilicet Cæsarem ad arma civilia compellendo. — *Quibus ille rebus*, etc. Rempublicam tu restituere debes, eas ipsas res componendo, quibus ille turbatis hanc labefactavit. — *Restituendam est*. Scil. rempublicam; ut dicitur Varroni, *animadvertendum tempora;* Plauto, *agitandum vigilias;* Columellæ, *curandum ulcera;* Lucretio, lib. I:

Multa novis rebus præsertim quum sit agendum.

Perperam igitur facit Havercamp., qui scribit *restituenda est*, quum, teste Carrione, *restituendum* in omnibus libris legatur.

2. *Primum omnium*, etc. Quamvis ex toto contextu pateat, hanc epistolam scriptam fuisse incepto jam, necdum confecto Cæsarem inter et Pompeium bello, res tamen altius repetit, hicque invidiose arguit quæ Pompeius, tribus ante annis, in tertio consulatu gesserat. Atqui in illo consulatu, quem acriter insectatur Sallustius, divinum autem vocat Cicero ad Atticum scribens, dilaceratam factionibus rempublicam composuerat Pompeius, suam vim legibus reddiderat, quæstiones adversus ambitum largitionesque constituerat, denique ademptam malis auctoritatem ad bonos transtulerat. Pauci illi senatores, quibus summam rerum traditam queritur noster, Cicero et Cato fuere, Hortensiusque et Bibulus, et alii libertatis vere amantes viri. Sed illi primi a republica removendi erant ei, qui libertatem opprimere decrevisset.— *Moderandi de vectigalibus*. De usu vectigalium statuendi. Non semel occurrit absolute positum verbum *moderari*. Catil. LII: « Fortuna cujus lubido gentibus moderatur. » — *Ne æquis quidem legibus*. Cujus servitutis ne æquæ quidem et tolerabiles conditiones sunt. Sic ex Haverc. legimus. Nam Cortius: *Nosque his quidem legibus;* et Venetæ priores: *neque iis quidem legibus*. Facilis fuit lapsus librarii ex *ne æquis*, in *neque iis*.

3. *Judicia.... tribus ordinibus tradita sunt*. Legem judiciariam L. Aurelius Cotta prætor, anno 684, tulerat, qua judices adsciscebantur senatores, equites romani, et ex plebe tribuni ærarii. Jam vero nemo nescit judicia a senatu ad equites C. Gracchi lege translata fuisse; dein a tribuno Plautio, anno 665, tribus ordinibus communicata; tandem a dictatore Sylla solis reddita senatoribus. Etenim ut quæque factio in republica dominata est, ea ad se judicia trahere nitebatur; non ignara omnem publicæ potestatis vim penes eos demum esse, qui de capite, fama, fortunisque civium decernunt. Mox jus illud, cum ceteris, in unius ditionem concessit,

illi factiosi regunt, dant, adimunt, quæ lubet; innocentes circumveniunt, suos ad honorem extollunt; non facinus, non probrum aut flagitium obstat, quo minus magistratus capiant : quod commodum est, trahunt, rapiunt : postremo, tanquam urbe capta, lubidine ac licentia sua pro legibus utuntur. Ac me quidem mediocris dolor angeret, si virtute partam victoriam[4], more suo, per servitium exercerent; sed homines inertissumi, quorum omnis vis virtusque in lingua sita est, forte atque alterius socordia dominationem oblatam insolentes agitant. Nam, quæ seditio ac dissensio civilis tot tamque illustres familias ab stirpe evertit? aut quorum umquam victoria animus tam præceps tamque immoderatus fuit?

IV. L. Sulla, cui omnia in victoria lege belli licuerunt, tametsi supplicio hostium partes suas muniri intellegebat; tamen, paucis interfectis[1], ceteros beneficio, quam metu, retinere maluit. At hercule nunc cum Catone[2], L. Domitio,

neo ea sane minima pars fuit servitutis. Sed de hoc audiamus vernacula lingua *Montesquieu*, *Grand. et Déc.* XV : « *Claude acheva de perdre les anciens ordres en donnant à ses officiers le droit de rendre la justice. Les guerres de Marius et de Sylla ne se faisaient que pour savoir qui aurait ce droit, des sénateurs ou des chevaliers; une fantaisie d'un imbécille l'ôta aux uns et aux autres : étrange succès d'une dispute qui avait mis en combustion tout l'univers.* »

4. *Si virtute partam victoriam*, etc. Si virtute sua peperissent victoriam illam, quam per servitium aliorum, more suo, exercent; id est, qua ad alios opprimendos, solito suo more, utuntur. — *Sed... forte*, etc. Sed quam insolenter agitant dominationem, ea illis fortunæ dono, et inimicorum socordia oblata contigit.

Cap. IV. 1. *Paucis interfectis.* Ad augendam Pompeianarum partium invidiam, immanem Syllæ crudelitatem obsequiosa dissimulatione tegit.

2. *At hercule nunc cum Catone.* Venetæ edd. non habent *nunc cum.* Si absint hæ voces, intelligendum erit, *mactati sunt a Catone*, etc. Si non absint, sensus erit : *Catone, L. Domitio* (vide infr. IX, 2), *ceterisque ejusdem factionis dominantibus.* Sed dubito an probatæ latinitatis hoc fuerit. Præterea, *cum* paulo post bis recurrit; unde mihi augetur suspicio, aliquid mendi huic loco subesse. Quod ad rem attinet, omnino falsum est, a Catone et ceteris ejusdem, quam vocat, factionis, ullum civem interfectum fuisse.

eeterisque ejusdem factionis, quadraginta senatores, multi præterea cum spe bona adolescentes, sicuti hostiæ, mactati sunt: quum interea importunissuma genera hominum, tot miserorum civium sanguine satiari nequivere; non orbi liberi, non parentes exacta ætate, non gemitus virorum, luctus mulierum, immanem eorum animum inflexit, quin, acerbius in dies male faciundo ac dicundo, dignitate alios, alios civitate eversum irent. Nam quid ego de te dicam, cujus contumeliam homines ignavissumi vita sua commutare volunt[3]? Scilicet neque illis tantæ voluptati est (tametsi insperantibus accidit) dominatio, quanto mœrori tua dignitas: qui optatius habent, ex tua calamitate periculum libertatis facere[4], quam per te populi romani imperium maxumum ex magno fieri. Quo magis tibi etiam atque etiam animo prospiciendum est, quonam modo rem stabilias communiasque. Mihi quidem quæ mens suppetit, eloqui non dubitabo: ceterum tui erit ingenii probare, quæ vera atque utilia factu putes.

V. In duas partes[1] ego civitatem divisam arbitror, sicut

Odium auctorem in verborum violentiam præcipitat; nec proprio sensu accipi debent voces *mactati sunt*, et *sanguine*, quæ mox sequuntur. Ipse Cicero pro Quintio, XXXI, et alibi, verbo *jugulari* utitur, quamvis mors clienti nequaquam impendeat. Quod autem dixit *orbi liberi*, orbi re ipsa sunt filii, quum pater exulat. — *Dignitate alios*, etc. Multos quidem senatores et equites notavit et de dignitate sua dejecit censor Appius, anno 704; interque hos ipsum Sallustium senatu movit. Inde iræ. — *Alios civitate*. Pompeio tertium consule, exilio mulctati sunt Hipsæus et Scaurus, ambitus damnati; item Q. Pompeius, et Plancus, et Sextus Clodius ob turbas post mortem P. Clodii concitatas, incensamque curiam Hostiliam. Hos omnes revocavit Cæsar dictator, subsidium suis partibus futuros.

3. *Cujus contumeliam.... vita sua commutare volunt*. Pro cujus contumelia vitam ipsi suam dare non recusant; cujus contumeliam propriæ vitæ jactura emere parati sunt. De hoc sensu verbi *mutare*, vide Jug. XXXVIII, n. 10.

4. *Periculum libertatis facere*. Illi, Pompeii dominationem adjuvando, libertatem in periculum adducere malunt, dummodo Cæsarem pessumdent, quam, etc.

Cap. V. 1. *In duas partes*. Hoc proprio sensu accipe, non pro dua-

a majoribus accepi, in patres, et plebem. Antea in patribus summa auctoritas erat, vis multo maxuma[2] in plebe. Itaque sæpius in civitate secessio fuit; semperque nobilitatis opes deminutæ sunt, et jus populi amplificatum. Sed plebes eo libere agitabat, quia nullius potentia super leges erat; neque divitiis, aut superbia, sed bona fama factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat : humillimus quisque in armis, aut militia, nullius honestæ rei egens, satis sibi, satisque patriæ erat. Sed ubi eos paullatim expulsos agris[3], inertia atque inopia incertas domos habere subegit; cœpere alienas opes petere, libertatem suam cum republica venalem habere. Ita paullatim populus, qui dominus erat, et cunctis gentibus imperitabat, dilapsus est : et pro com-

bus factionibus, sed pro bifaria divisione. Quamvis enim de tribus ordinibus sæpe apud auctores mentio sit, nondum tamen erat, stricto sensu,

Martia Roma *triplex*, equitatu, plebe, senatu;

sed, licet dignitate medii plebem inter et senatum equites, re tamen ex plebe erant; cœperuntque demum, ex consulatu Ciceronis, tertius ordo in civitate haberi. Vide Jugurth. XLII, n. 3; et præsertim Plinium, XXXIII, 2. — *Arbitror*. Non eo verbo utitur, quod dubitet. Imo modus est affirmandi rem non dubiam, ut sæpe Demosthenes ἀκούω, *audio*, ποῦ, *fortasse*, dicit de re certissima.

2. *Vis multo maxuma*. Imperium habebant patricii, plebs vires. Quæ causa fuit secessionum, quum plebs, suarum virium conscia, suam quoque imperii partem sibi vindicaret. — *Eo libere agitabat*. Ideo libera erat. — *In armis aut militia*. Ne bis idem dicatur, Douza proponit *in arvis*; Popma *in agris*. Ingeniose utrumque, si non vere; quum tanta fuerit priscis Romanis rei rusticæ cura.

3. *Expulsos agris*. Vide eadem fere, Jug. XLI, n. 10. — *Inertia*. Nil mirum si inertia eum subeat, cui nec res, nec spes ulla est. Ex inertia autem inopia nascitur. — *Incertas domos*. Quippe qui nullum larem familiarem haberent. — *Libertatem.... venalem habere*. Avaritia igitur et mali mores plebem incesserunt nobilium culpa, qui ad desperationem simul et ad vitia homines rerum omnium egenos compulere : mox enim summas inter miserias dignitas humana se ipsam obliviscitur. Maximum profecto dominationis adjumentum, populi egestas. — *Populus.... dilapsus est*. Populus, qui antea unus et compactus erat, dissolvi cœpit, non secus ac machina aliqua disjungitur ac dissipatur. Ita, pro *populo* indivulso, *homines* separati fuere. Tunc evenit quod ipse queritur, Jug. XLI, n. 7 : « Nobilitas factione

muni imperio, privatim sibi quisque servitutem peperit. Hæc igitur multitudo, primum malis moribus imbuta, deinde in artes vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capessendam rempublicam. Ceterum, additis novis civibus, magna me spes tenet, fore ut omnes expergiscantur ad libertatem : quippe quum[4] illis libertatis retinendæ, tum his servitutis amittendæ cura orietur. Hos, ego censeo, permixtos cum veteribus novos, in coloniis constituas : ita et res militaris opulentior erit, et plebes bonis negotiis impedita malum publicum facere desinet.

magis pollebat; plebis vis *soluta atque dispersa*, in multitudine minus poterat. » — *Vitas.* Vitæ conditiones. — *Dispalata.* Partim ad has, partim ad alias artes temere conversa. Meminisse attinet omnes, præter agriculturam militiamque, artes sordidas visas fuisse veteribus Romanis. Vide Ciceronem de Offic. I, 42; Dionys. Halic. II. Item *Montesquieu, Gr. et Déc.* X: « *Les citoyens romains regardaient le commerce et les arts comme des occupations d'esclaves; ils ne les exerçaient point. S'il y eut quelques exceptions, ce ne fut que de la part de quelques affranchis qui continuaient leur première industrie; mais, en général, ils ne connaissaient que l'art de la guerre, qui était la seule voie pour aller aux magistratures et aux honneurs. Ainsi les vertus guerrières restèrent après qu'on eut perdu toutes les autres.* » Versus igitur fuit civitatis status, nec jam per se ipse populus rempublicam tractare potuit, ubi ingenui homines artificiis, quæ prius servorum fuerunt, dediti, a foro ad quotidianum quæstum avocati sunt.

4. *Quippe quum illis libertatis retinendæ*, etc. Volent enim novi cives adeptam libertatem retinere; veteres autem servitutis suæ pudebit. — *Amittendæ.* Procul a se *mittendæ.* Hic enim initio fuit sensus verbi *amittere*, quod sic millies usurpavit Terentius. Quin ille verba *retinere* et *amittere* opponit, Phorm. I, 3, 23 : « Ego in eum incidi infelix locum, ut neque mihi ejus sit amittendi nec retinendi copia. » — *In coloniis constituas.* Suetonius, in Julio, XLII, narrat Cæsarem octoginta civium millia in transmarinas colonias distribuisse. — *Res militaris opulentior erit.* « Majores ad militiam bellumque gerendum opes suppetent. » Scilicet aucto civium numero, simulque colonis e proletariorum numero exemptis, delectus militum ex pluribus fieri poterat. Adde quod emeriti milites in coloniis collocati, agrisque donati, sua præmia habebant, et victi populi in fide et obsequio continebantur. — *Malum publicum facere.* Scilicet rempublicam domesticis seditionibus vexando.

VI. Sed non inscius, neque imprudens sum[1], quum ea res agetur, quæ sævitia, quæque tempestates hominum nobilium futuræ sint; quum indignabuntur, omnia funditus misceri, antiquis civibus hanc servitutem imponi, regnum denique ex libera civitate futurum, ubi unius munere multitudo ingens in civitatem pervenerit. Equidem ego sic apud animum meum statuo, malum facinus in se admittere, qui incommodo reipublicæ gratiam sibi conciliet; ubi bonum publicum etiam privatim usui est, id vero dubitare aggredi, socordiæ atque ignaviæ duco. M. Livio Druso[2] semper consilium fuit, in tribunatu summa ope

Cap. VI. 1. *Non inscius, neque imprudens sum.* Scio equidem et prævideo. — *Hanc servitutem imponi.* Tot novos cives adsciscere, id esse antiquis servitutem imponere. — *Admittere.* Sic Haverc. ex Vaticano. Cortius vero : *committere.*

2. *M. Livio Druso.* Huic rei lucem afferet Velleius, II, 13 : « Deinde interjectis paucis annis, tribunatum iniit M. Livius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna usus : qui quum senatui priscum restituere cuperet decus, et judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem, ... in iis ipsis quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium, non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, veluti inescandæ illiciendæque multitudinis causa fieri, ut, minoribus perceptis, majora permitteret....Tum conversus Drusi animus, quando bene cœpta male cedebant, ad dandam civitatem Italiæ. Quod quum moliens revertisset e foro, immensa illa et incognita, quæ eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suæ cultello percussus, qui affixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit. » Item Livii Epit. LXXI : « M. Livius Drusus, tribunus plebis, ut majoribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios et italicos populos spe civitatis romanæ sollicitavit; iisque adjuvantibus, per vim legibus agrariis frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit, ut æqua parte judicia penes senatum et equestrem ordinem essent. Quum deinde promissa sociis civitas præstari non posset, irati Italici defectionem agitare cœperunt.... Propter quæ Liv. Drusus etiam senatui invisus factus, velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est. » Vide etiam Flor. III, 17; Val. Max. IX, 5, 2 : Aurel. Vict. de Vir. Illustr.; Cic. pro Cluent. LVI, et de Orat. I, 7, et III, 1; Appian. Bell. Civ. I, 35; Tac. Ann. III, 27. Mortuo Druso, ejus leges statim abrogatæ sunt. Cicer. de Leg. II, 6; Ascon.

niti pro nobilitate; neque ullam rem in principio agere intendit, nisi illi auctores fierent. Sed homines factiosi, quibus dolus atque malitia fide cariora erant, ubi intellexerunt per unum hominem maxumum beneficium[3] multis mortalibus dari; videlicet et sibi quisque conscius malo atque infido animo esse, de M. Livio Druso juxta, ac de se, existumaverunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eum nisi, sua et ipsius consilia disturbaverunt. Quo tibi, imperator, majore cura fidequé, amici et multa præsidia paranda sunt.

VII. Hostem adversum[1] opprimere, strenuo homini haud difficile est; occulta pericula neque facere, neque vitare bonis in promtu est. Igitur, ubi eos in civitatem adduxeris; quoniam quidem revocata plebes erit, in ea

Pædian. ad Cic. pro Cornelio. Qui allatos locos attente legerit, intelliget in eo erravisse Drusum, quod, tribunus plebis, adversæ factionis patronum se professus est, populoque et senatui simul inservire voluit. Non vidit enimvero neminem certius omnibus displicere, quam qui placere vult omnibus; et minus gratiæ apud factionem quamlibet inveniri, si quid ipsi concesseris, quam invidiæ, si quid aliis. — Totam hanc Drusi historiam egregie elucidavit noster *De Brosses*, *Mém. de l'Académie des Inscript. Tom.* 27.

3. *Maxumum beneficium.* Civitatis romanæ jus. — *Juxta, ac de se, existumaverunt.* Quum ipsi sibi conscii essent, se nihil unquam facturos, nisi injustam potentiam comparandi causa, item de Livio Druso arbitrati sunt. — *Quo tibi.... multa præsidia paranda sunt.* Quia si pro ipsis nitentem Drusum deseruerunt, imo impugnarunt, certe Cæsari eadem pro populo et libertate molienti multo magis infesti erunt.

Cap. VII. 1. *Hostem adversum*, etc. Sic Tac. Hist. IV, 24: « Aperta odia armaque palam depelli; fraudem et dolum, obscura eoque inevitabilia. » Cicer. in Verr. I, 15: « Nullæ sunt occultiores insidiæ, quam eæ quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine; nam eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis; hoc vero occultum, intestinum ac domesticum malum, non modo non exsistit, verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris. » — *Revocata.* Scilicet ad libertatem virilesque sensus. — *Quoad res feret.* Quantum per tempora reipublicæ licebit. *Quoad* legimus ex Haverc., quum Cortius habeat *quod*. De pecuniæ studio vide quæ dixerit auctor, Catil. X et XI.

re maxume animum exercitato, uti colantur boni mores, concordia inter veteres et novos coalescat. Sed multo maxumum bonum patriæ, civibus, tibi, liberis, postremo humanæ genti pepereris, si studium pecuniæ aut sustuleris, aut, quoad res feret, minueris : aliter, neque privata res, neque publica, neque domi, neque militiæ, regi potest. Nam ubi cupido divitiarum invasit; neque disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum satis pollet : quin animus magis, aut minus mature, postremo tamen succumbit. Sæpe jam audivi, qui reges, quæ civitates et nationes, per opulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant. Id adeo haud mirandum est : nam ubi bonus deteriorem divitiis magis clarum magisque acceptum videt, primo æstuat, multaque in pectore volvit : sed ubi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit[2]; animus ad voluptatem a vero deficit. Quippe gloria industria alitur; ubi eam demseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est. Postremo ubi divitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia : nam ad virtutem una et ardua via est; ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur; et malis et bonis rebus ea creatur. Ergo in primis auctoritatem pecuniæ demito : neque de capite[3], neque de

2. *Ubi gloria honorem.... vincit.* Hic non vera *gloria* intelligi debet; sed falsa illa, quæ divitiis ab imperito vulgo tribuitur; nisi malis, quod proponit Wasse, legere, *gratia honorem .... vincit.* Nam paulo infra recurrit vox *gloria*, honesto sensu. — *Ad voluptatem a vero deficit.* Hic *verum* pro bono et æquo ponitur, ut in Fragm. lib. I extr. Vide etiam Jug. XIV, n. 22. — *Quippe gloria.* Sexto casu. — *Ubi eam demseris*, etc. Scil. gloriam. In eamdem sententiam Juven. x, 140 :

Tanto major famæ sitis est quam Virtutis. Quis enim virtutem amplectitur ipsam, Præmia si tollas ?

— *Ardua via est.* Hesiod. (Oper. et Dies.) eadem fere loquitur de virtute :

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον.

3. *Neque de capite*, etc. « Nemo

honore ex copiis quisquam magis aut minus judicaverit; sicut neque prætor, neque consul ex opulentia, verum ex dignitate creetur. Sed de magistratu facile populi judicium sit: judices a paucis probari, regnum est; ex pecunia legi, inhonestum. Quare omnes primæ classis judicare placet, sed numero plures, quam judicant. Neque Rhodios, neque alias civitates umquam suorum judiciorum pœnituit, ubi promiscue dives et pauper, ut cuique sors tulit, de maxumis rebus juxta, ac de minumis disceptat. Sed de magistratibus creandis haud mihi quidem absurde placet[4] lex quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat; ut ex confusis quinque classibus sorte centuriæ vocarentur.

plus minusve aptus habeatur ad judicandum de capite aut fama civium, prout plus minusve dives erit; itemque consul aut prætor creetur non opulentissimus, sed dignissimus: id est, paucioribus verbis, neque jurati judices, neque magistratus ex divitiis eligantur.» Legimus ex codice Vaticano, quem citat Carrio, *sicut neque prætor*. Fabri et Briconeti edd., *sic neque prætor*. Haverc. et Cortius, nescio qua auctoritate, aut quo sensu: *si neque prætor*. — *Sed de magistratu*, etc. « Sed qui magistratus creandi sint, facile judicat populus. Judices vero a paucis optimatibus seligi, regiæ dominationis indicium est; ex censu adscisci, inhonestum. » Dixit *probari*, quia de probitate et moribus eorum, qui judices futuri erant, anquirebatur. — *Quare omnes*, etc. « Quare omnes primæ classis homines in causis judicare placet, sed plures in unaquaque causa, quam nunc judicant. » — *Neque Rhodios*. « Si neque Rhodios, neque alios unquam pœnituit, judicia pauperibus æque et divitibus communicasse, multo minus Romanos pœnitebit, judices e tota prima classe cepisse, quæ ditissimorum est. » Argumentum a fortiori, quo prius dicta confirmat. Ceterum Cæsar, teste Suetonio, XLI, « Judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis ac senatorii; tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit.» Dio, XLIII, dicit eum hoc fecisse, ut purissima pars civitatis judicaret. Non omnino igitur Sallustii consilia sequutus est.

4. *Haud.... absurde placet*. Satis placet. — *Ex confusis quinque classibus*. De classium descriptione, vide Jug. LXXXVI, n. 2. Statuerat rex Servius Tullius, ut in comitiis centuriatis suffragium non viritim, sed centuriatim ferretur. Atqui prima classis, cum equitibus, centurias XCVIII conficiebat; quæ si omnes idem decernerent, res decreta putabatur. Ibi si variaret, quod raro accidebat, secunda classis vocabatur; nec fere unquam

Ita coæquati dignitate, pecunia, virtute anteire alius alium properabit.

VIII. Hæc ego magna remedia[1] contra divitias statuo. Nam perinde omnes res laudantur, atque appetuntur, ut earum rerum usus est : malitia præmiis exercetur ; ubi ea demseris, nemo omnium gratuito malus est. Ceterum avaritia, bellua fera, immanis, intoleranda est : quo intendit, oppida, agros, fana atque domos vastat : divina cum humanis permiscet : neque exercitus, neque mœnia obstant, quo minus vi sua penetret : fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales spoliat. Verum, si pecuniæ decus ademeris, magna illa vis avaritiæ facile bonis moribus vincetur. Atque hæc ita sese habere, tametsi omnes æqui atque iniqui memorent ; tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum est : cujus si dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt. Nam hi, si virtute satis valerent, magis æmuli bonorum, quam invidi, essent : quia desidia, et inertia, et stupor eos atque torpedo invasit; strepunt, obtrectant, alienam famam bonam suum dedecus æstumant.

IX. Sed quid ego plura, quasi de ignotis, memorem? M. Bibuli[1] fortitudo atque animi vis in consulatum eru-

infra ita descendebant, ut ad infimos pervenirent. Ita neque exclusus quisquam suffragio videbatur, et vis omnis penes primores civitatis erat ; (Liv. I, 43). Hunc rerum ordinem mutare tentaverat C. Gracchus, jubebatque centurias quinque classium, ut quamque sors primam designaret, promiscue ad suffragium vocari.

Cap. VIII. 1. *Hæc ego magna remedia.* Sic esse in codice Vatic. testatur Carrio; sic ergo scripsimus, quum Cortius et Havercamp. habeant, *Nec ego*, etc. Sensus : « Hæc ego remedia contra divitias statuo, et ea quidem magna sunt. Nam res omnes laudantur, prout utiles sunt. Atqui nulla utilitas erit divitiarum, quum et universi promiscue suffragium ferent, et pauper ac dives perinde eligentur. » Si quis tamen *nec*, pro *hæc*, retinere velit, intelligat, « Nec ego majora, quam quæ dixi, remedia contra divitias statuo. »

Cap. IX. 1. *M. Bibuli.* M. Calpurnius Bibulus consul cum Cæsare fuit A. U. C. 695. Eum Cæsar, inquit Sueton. Jul. xx, « lege .... agraria

pit : hebes lingua, magis malus quam callidus ingenio. Quid ille audeat, cui consulatus maxumum imperium maxumo dedecori fuit? An L. Domitii[2] magna vis est? cujus nullum membrum a flagitio aut facinore vacat : lingua vana, manus cruentæ, pedes fugaces; quæ honeste nominari nequeant, inhonestissuma. Unius tamen M. Catonis[3] ingenium versutum, loquax, callidum haud contemno. Parantur hæc disciplina Græcorum; sed virtus,

promulgata obnunciantem... armis foro expulit. Ac postero die in senatu conquestum, nec quoquam reperto qui super tali consternatione referre aut censere aliquid auderet ...., in eam coegit desperationem, ut, quoad potestate abiret, domo abditus nihil aliud quam per edicta obnunciaret. Unus ex eo tempore [Cæsar] omnia in republica ad arbitrium administravit. » Ideo dicit Vell. II, 44 : « Bibulus collega Cæsaris, quum actiones ejus magis vellet impedire, quam posset, majore parte anni domi se tenuit. Quo facto, dum augere vult invidiam collegæ, auxit potentiam. » Vide etiam Appian. Bell. Civ. II, et Plutarchum in Cæsare. — *In consulatum erupit.* Tota Bibuli virtus atque fortitudo in ejus consulatum se contulit, collectisque viribus erupit. Sic fere Cic. pro Mur. XXXVIII. « Omnia, quæ per hoc triennium agitata sunt...., in hos dies, in hos menses, in hoc tempus erumpunt. » — *Maxumo dedecori fuit.* Attamen otium Bibuli per consulatum minus ipsius ignaviam, quam collegæ violentiam arguit. Magno suo malo Bibulus ter collegam Cæsarem habuit, in ædilitate, in prætura, in consulatu. Ædilis Cæsar venationes ludosque, et cum eo et separatim, edidit. « Quo factum est (inquit Suet. X), ut communium quoque impensarum solus gratiam caperet; nec dissimularet ejus collega M. Bibulus evenisse sibi quod Polluci : Ut enim geminis fratribus ædes, in foro constituta, tantum Castoris vocaretur; ita suam Cæsarisque munificentiam unius Cæsaris dici. » In prætura autem non major concordia inter ambos fuit, quam in consulatu.

2. *L. Domitii.* L. Domitius Ahenobarbus consul fuit anno 700. Cæsaris in bello civili hostis, acie Pharsalica obiit. Ejus indolem præcipuaque facta vide apud Sueton. cap. II vitæ Neronis, cujus abavus Domitius hic noster fuit. Hujus adhuc viventis mentio confirmat hanc epistolam, ante Pharsalicam pugnam, scriptam fuisse.

3. *Unius.... M. Catonis.* Multo æquius judicium de Catone tulit, Catil. LIV. Nempe de mortuo, sine ira et invidia, scribebat. Nam si vera (quod non affirmamus) conjectura est, eum historiam conjurationis recens e senatu ejectum conscripsisse (vid. Catil. III, n. 14), patet tamen comparationem Cæsaris et Catonis multo serius, et post utriusque mortem, addidisse.

vigilantia, labos, apud Græcos nulla sunt: quippe, quum domi libertatem suam per inertiam amiserint, censesne eorum præceptis imperium haberi posse? Reliqui de factione sunt inertissumi nobiles; in quibus, sicut in statua, præter nomen, nihil est additamenti[4]. L. Postumius, et M. Favonius[5], mihi videntur quasi magnæ navis supervacua onera esse: ubi salvi pervenere, usui sunt; si quid adversi coortum est, de illis potissumum jactura fit, quia pretii minumi sunt.

X. Quoniam nunc, uti mihi videor, de plebe renovanda corrigendaque disserui; de senatu, quæ tibi agenda videntur, dicam. Postquam mihi ætas ingeniumque adolevit, haud ferme armis atque equis corpus exercui, sed animum in literis agitavi: quod natura firmius erat, id in laboribus habui. Atque ego in ea vita, multa legendo atque audiendo, ita comperi, omnia regna, item civitates, nationes, usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia[1] valuerunt: ubicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere, post paullo imminutæ opes, deinde ademtum imperium, postremo servitus imposita est. Equidem ego[2] sic apud animum meum statuo: cui-

4. *Nihil est additamenti. Additamentum* intellige, quod addatur non statuæ ipsi, sed factioni cui favent isti nobiles. Statuis similes, nullam suis partibus accessionem, nisi vanum nomen, afferunt. — *L. Postumius.* Quis hic fuerit non constat.

5. *M. Favonius.* Is probus vir erat, nec consilii nec fortitudinis expers, Catonis in omnibus admirator, et eo usque æmulus, ut vestitum etiam ejus affectaret; ceterûm ingenio viri tantum impar, quantum a natura distat imitatio. Reipublicæ libertatisque partes semper sequutus, post pugnam Philippensem secundam captus et Octaviani jussu interfectus est. Plut. in Brut. et in Pomp. Dion. XXXIX, XL, XLVII.

CAP. X. 1. *Vera consilia.* Bona et utilia.

2. *Equidem ego*, etc. Hic Sallustius suam sententiam de tota republica exponit. Scil. qui ampliorem illustrioremque locum tenent in civitate qualibet, hi maxime eam cupiunt salvam esse. Nam periclitante republica, plebis libertas tantummodo, optimatum vero divitiæ, decus, honor, periclitantur; ideoque hi se multiplicibus curis laboribusque fatigant, gloriam bonaque sua

cumque in sua civitate amplior illustriorque locus, quam aliis est, ei magnam curam esse reipublicæ. Nam ceteris, salva urbe, tantummodo libertas tuta est; qui per virtutem sibi divitias, decus, honorem pepererunt, ubi paullum inclinata respublica agitari cœpit, multipliciter animus curis atque laboribus fatigatur; aut gloriam, aut libertatem, aut rem familiarem, defensat; omnibus locis adest, festinat; quanto in secundis rebus florentior fuit, tanto in adversis asperius magisque anxie agitat. Igitur ubi plebes senatui, sicuti corpus animo, obedit, ejusque consulta exsequitur; patres consilio valere decet, populo supervacanea est calliditas. Itaque majores nostri, quum bellis asperrumis premerentur, equis, viris, pecunia amissa, numquam defessi sunt armati de imperio certare. Non inopia ærarii, non vis hostium, non adversa res, ingentem eorum animum subegit, quin, quæ virtute ceperant, simul cum anima retinerent. Atque ea magis fortibus consiliis, quam bonis præliis, patrata sunt. Quippe apud illos una respublica erat, ei omnes consulebant; factio contra hostes parabatur; corpus atque ingenium, patriæ, non suæ quisque potentiæ, exercitabat. At hoc tempore, con-

defensuri. Igitur in civitatibus ubi, sicut Romæ, constitutus est senatus, qui plebi, velut corpori animus, moderetur, decet præsertim senatum illum sapientia et consilio valere. Quo quidem valuerunt majores nostri; eoque ex maximis calamitatibus semper emersere. Quippe senatus uni reipublicæ consulebat; nec ullam, nisi adversus hostes, factionem noverant. Nunc contra foris superbum imperium, domi factiones valent: quibus oppressi patres, non quod reipublicæ prosit, sed quod fert dominantium libido, decernunt. Ergo pristina vis reddenda senatui. Quomodo, dicet in sequenti capite.— *Qui per virtutem*, etc. Intellige: Animus multipliciter curis atque laboribus fatigatur, *iis* qui per virtutem, etc. — *Defensat*. Hoc verbum, et quæ sequuntur singulari numero, grammatice referuntur ad nominativum *animus*, re autem ad homines qui se per virtutem in civitate extulerunt. — *Apud illos una respublica erat*. Sola reipublicæ cogitatio eorum animos occupabat. — *Ei omnes consulebant*. Reposuimus *omnes* ex Haverc. Et hoc in MSS. esse testatur Carrio; videturque ad sensum con-

tra ea, homines nobiles, quorum animos socordia atque ignavia invasit, ignari laboris, hostium, militiæ, domi factione instructi, per superbiam cunctis gentibus moderantur. Itaque patres, quorum consilio antea dubia respublica stabiliebatur, oppressi, ex aliena lubidine huc atque illuc fluctuantes agitantur; interdum alia, deinde alia, decernunt: ut eorum, qui dominantur, simultas ac arrogantia fert, ita bonum malumque publicum existumant.

XI. Quod si aut libertas æqua omnium[1], aut sententia obscurior esset; majoribus opibus respublica et minus potens nobilitas esset. Sed quoniam coæquari gratiam omnium difficile est (quippe quum illis majorum virtus partam reliquerit gloriam, dignitatem, clientelas; cetera multitudo, pleraque insititia sit); sententias eorum a metu libera: ita occulte sibi quisque alterius potentia carior erit. Libertas juxta bonis et malis, strenuis et ignavis, optabilis est. Verum eam plerique metu deserunt: stultissumi mortales, quod in certamine[2] dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se, quasi victi, recipiunt. Igitur duabus rebus confirmari posse senatum puto: si numero[3] auctus

ferre. Scilicet, patres quum nulli rei nisi publicæ consulebant, tum nulli non ei consulebant. — *Factione instructi.* Translatum a re militari. Laborem, hostes, militiam minime noverunt; in *aciem* non instruuntur, sed in *factiones.*

Cap. XI. 1. *Quod si... libertas æqua omnium*, etc. Hic indicat quomodo senatus a paucorum nobilium dominatione vindicetur. Nempe primum optandum fuerit, æquam omnium senatorum libertatem esse. Sed obstat gratia, quam inter omnes coæquari difficile est. Nam alii avita gloria, dignitate, clientelis multum pollent, alii autem insititii et recens in senatum cooptati sunt, hique minus valent. Oportet igitur horum sententias a metu liberari, quod fiet, quum sententia cujusque, per tabellam lata, obscurior, id est, ceteris ignota erit. Ita quisque, sibi jam ipsi et suæ libertati consulens, alterius potentiæ favere desinet.

2. *Quod in certamine*, etc. Eventum certaminis, qui, qualis futurus sit, adhuc in incerto est, jam in se quasi victi recipiunt. Dubio adhuc certaminis exitu, victoriam adversario relinquunt.

3. *Numero auctus.* Cæsar, non senatoriæ, sed suæ, auctoritatis fir-

per tabellam sententiam feret. Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine, et præsidii plus, et usus amplior est. Nam fere, his tempestatibus, alii judiciis publicis, alii privatis suis atque amicorum negotiis implicati, haud sane reipublicæ consiliis adfuerunt: neque eos magis occupatio, quam superba imperia distinuere. Homines nobiles cum paucis senatoriis, quos additamenta factionis habent, quæcumque libuit, probare, reprehendere, decernere; ea, uti lubido tulit, facere. Verum ubi, numero senatorum aucto, per tabellam sententiæ dicentur; næ illi superbiam suam dimittent, ubi iis obediundum erit, quibus antea crudelissume imperitabant.

XII. Forsitan, Imperator, perlectis literis, desideres quem numerum senatorum fieri placeat; quoque modo in multa et varia officia distribuantur[1]; judicia quoniam

mandæ causa, novos senatores adlegit, ita ut nongentorum numerum expleret (Dio, XLIII, 47). Senatores fecit, qui antea ne Romani quidem erant. Ideo, ut narrat Suet. Jul. LXXX, « Peregrinis in senatum allectis, libellus propositus est: *Bonum factum. Ne quis senatori novo curiam monstrare velit.* Et illa vulgo canebantur:

Gallos Cæsar in triumphum ducit; iidem in curia
Galli braccas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.

— *Tabella obtentui erit*, etc. « Tabella (*le scrutin secret*) quasi velum obtentum erit, quo tectus ex sui animi sententia liberius quisque decernet. » Itaque Tiberius (teste Tacito, Ann. I, 74), quum omnem suffragiorum libertatem eripere voluit, dixit se palam laturum sententiam, quo ceteris eadem necessitas fieret. — *In multitudine, et præsidii plus*, etc. Non aliam ob causam conditor libertatis Brutus numerum senatorum auxit. Liv. II, 1: « Deinde quo plus virium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regis deminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit. » Sed quod ad stabiliendam libertatem repertum erat, eo ad regnum abusus est Cæsar. — *Usus amplior.* Nempe quia plures aderunt, quum senatus habebitur. — *Judiciis publicis.* In quibus ipsi sedebant judices. — *Superba imperia distinuere.* Multi scilicet ab eo senatu sponte abfuerunt, ubi factiosi superbe imperitarent.

Cap. XII. 1. *Distribuantur.* Scil. senatores. Vulgo, *distribuatur*, nempe numerus. Lectionem quam in

omnibus primæ classis mittenda putem, quæ descriptio, qui numerus in quoque genere futurus sit. Ea mihi omnia generatim describere, haud difficile factu fuit; sed prius laborandum visum est de summa consilii, idque tibi probandum verum esse: si hoc itinere uti decreveris, cetera in promtu erunt. Volo ego consilium meum prudens, maxumeque usui esse; nam ubicumque tibi res prospere cedet, ibi mihi bona fama eveniet. Sed me illa magis cupido exercet, uti quocumque modo, et quamprimum respublica adjuvetur. Libertatem gloria cariorem habeo, atque ego te oro hortorque, ne clarissumus imperator[2], gallica gente subacta, populi romani summum atque invictum imperium tabescere vetustate, ac per summam discordiam dilabi, patiaris. Profecto, si id accidat, neque tibi nox, neque dies curam animi sedaverit; quin insomniis exercitus, furibundus atque amens alienata mente feraris. Namque mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invisi[3]: neque bonum neque malum facinus cujus-

Vaticano esse testatur Carrio, mutata tantum interpunctione, revocavi. Nam Cortius et Haverc. habent: *distribuatur. Judicia quoniam primæ classis mittenda putem.* Nescio quo sensu. Vaticanus autem: *distribuantur judicia quoniam omnibus primæ classis.* Pro *mittenda*, Lipsius proponit *committenda;* quod malim. Supra VII, dixit placere sibi *omnes* primæ classis judicare. — *In quoque genere.* Qui numerus judicum in quoque quæstionis vel causæ genere sedere debeat. — *Haud difficile factu fuit. Fuit* intellige, ut *fuisset.*

2. *Ne clarissumus imperator,* etc. Ad eadem fere Cæsarem cohortatur Cicero, pro Marcello, VIII et IX. — *Tabescere.* Vide hanc vocem, Jug. XIV, n. 23.

3. *Mortalium vitam divino numine invisi.* Ex hoc loco argumentum petit Cortius, quo hanc epistolam non esse Sallustii confirmet. «Quanquam, inquit, hæc non abhorreant a Sallustio, mihi tamen documento sunt, non scripta hæc esse ab illo, qui noverat Cæsarem, apud quem hujusmodi ratiocinium parum valebat.» Sed non attendit Cortius multam apud Romanos de his rebus opinionum varietatem fuisse. Cæsar quidem, in oratione pro conjuratis, suæ causæ serviens dixit, *ultra mortem neque curæ, neque gaudio locum esse.* Sed fortasse hanc opinionem non ita tenaciter amplectebatur, ut amicum alia sentientem non audiret. Adde quod non hic præcise loquitur auctor de pœnis

quam pro nihilo haberi; sed, ex natura, diversa præmia bonos malosque sequi. Interea forte ea tardius procedunt: suus cuique animus ex conscientia spem præbet.

XIII. Quod si tecum patria atque parentes possent loqui, scilicet hæc tibi dicerent: « O Cæsar, nos te genuimus fortissumi viri, in optuma urbe, decus præsidiumque nobis, hostibus terrorem! quæ multis laboribus et periculis ceperamus, ea tibi nascenti cum anima simul tradidimus: patriam maxumam in terris; domum familiamque in patria clarissumam; præterea bonas artes, honestas divitias; postremo omnia honestamenta pacis, et præmia belli. Pro his amplissumis beneficiis non flagitium a te, neque malum facinus, petimus; sed uti libertatem eversam restituas; qua re patrata, profecto per gentes omnes fama virtutis tuæ volitabit. Namque hac tempestate, tametsi domi militiæque præclara facinora egisti, tamen gloria tua cum multis viris fortibus æqualis est: si vero urbem amplissumo nomine, et maxumo imperio, prope jam ab occasu restitueris; quis te clarior, quis major, in terris fuerit? Quippe si morbo jam[1], aut fato huic imperio secus accidat; cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cædes oriantur? Quod si tibi bona lubido fuerit, patriæ, parentibus gratificandi; postero tempore[2], republica restituta, super omnes mortales gloria agnita, tuaque unius mors vita clarior erit. Nam vivos interdum

post mortem futuris. Ceterum, quoniam Cortius hanc epistolam abjudicat Sallustio, dicat mihi velim, quis alter Sallustius æterna hæc, quibus abundat, prudentiæ civilis oracula pronunciaverit.

Cap. XIII. 1. *Quippe si morbo jam*, etc. Si intestinis, quibus laborat, morbis, aut aliqua fatorum sævitia pereat hoc imperium. Sic intellexit *De Brosses*. Ad Cæsarem autem retulit voces *morbo aut fato* cl. *Dureau de la M.* Perperam, ut ego quidem arbitror. — *Quod si tibi bona lubido fuerit.* Sic edidimus ex Cortio; nam Haverc. nulla addita nota, et nullo sensu: *Quod si tibi vana lubido fuerit, parentibus gratificandi.* Jam Sallust. Catilin. VII, *lubidinem* accepit in utramque partem.

2. *Postero tempore.* Fortasse non hoc intelligi debet *apud futuras ata-*

fortuna, sæpe invidia, fatigat : ubi anima naturæ cessit, demtis obtrectationibus, ipsa se virtus magis magisque extollit. »

Quæ mihi utilia factu visa sunt, quæque tibi usui fore credidi, quam paucissumis potui, perscripsi. Ceterum deos immortales obtestor, uti, quocumque modo ages, ea res tibi reique publicæ prospere eveniat.

EPISTOLA II.

I. Pro vero antea obtinebat [1], regna atque imperia fortunam dono dare, item alia, quæ per mortales avide cupiuntur; quia et apud indignos sæpe erant, quasi per lubidinem data; neque cuiquam incorrupta permanserant. Sed res docuit, id verum esse, quod in carminibus Appius ait [2], Fabrum esse quemque fortunæ : atque in te

tes, sed *in posterum*, etiam vivo Cæsare. — *Tuaque unius mors*, etc. « Tantaque erit tuæ vitæ claritudo, ut sola mors aliquid ei superaddere possit. » Cur vero dixit *tua unius?* Quia intelligi voluit, unum esse Cæsarem, qui mortuus Cæsare vivo clarior futurus sit. Mors autem gloriam confirmat augetque, quia virum invidiæ et fortunæ periculis eximit. Omnis hujus loci difficultas oritur ex voce *unius*. Hanc et reliqua omnia eodem fere modo exposuimus, quo elegans harum Epistolarum interpres gallicus *Eusèbe Salverte*. Nec aliter intellexit cl. *De Brosses*. Contra vero *Dureau de la M.* ita interpretatur, ut Cæsar apud posteros gloria omnium confessione agnita fruiturus sit, clarior etiam post mortem, quam fuerit in vita. Sed sic, qui sit usus vocabuli *unius*, non satis apparet.

EPISTOLA II.

Cap. I. 1. *Pro vero.... obtinebat.* Eodem fere sensu hoc verbum usurpat, quo in Jugurth. XVII, n. 6, et LXXX, n. 4. Ante Cortium legebatur, *populus romanus antea obtinebat;* quæ lectio et apud illum, et apud Haverc., abunde confutatur. *Subjectum*, ut vocant, verbi obtinebat, tota propositio est, *fortunam dono dare*, etc. — *Per mortales ... cupiuntur.* Cortius, ut hæc Sallustio indigna pronunciet, intelligit *cupiuntur a mortalibus*. Sed quis non videt *per mortales* idem esse, quod *apud* vel *inter mortales;* ut *per terras* est, *in terrarum orbe?*

2. *In carminibus Appius ait.* Appii Cæci carmen, a Pythagoræorum institutis non abhorrens, laudat Panætius in Epist. ad Q. Tuberonem. Et ex ejus sententiis citant quædam Festus et Priscianus. Wasse. —

maxume, qui tantum alios prægressus es, uti prius defessi sint homines laudando facta tua, quam tu laude digna faciundo. Ceterum uti fabricata, sic virtute parta, quam magna industria haberi decet; ne incuria deformentur, aut corruant infirmata. Nemo enim alteri imperium volens concedit; et quamvis bonus atque clemens sit, qui plus potest, tamen, quia malo esse licet, formidatur. Id evenit, quia plerique rerum potentes perverse consulunt, et eo se munitiores putant[3], quo illi, quibus imperitant, nequiores fuere. At contra id eniti decet, quum ipse bonus atque strenuus sis, uti quam optumis imperites; nam pessumus quisque asperrume rectorem patitur. Sed tibi hoc gravius est[4], quam ante te omnibus, armis parta componere: bellum aliorum pace mollius gessisti; ad hoc vic-

Fabrum esse quemque fortunæ. In eamdem sententiam Juven. Sat. x, 365 :

Nullum numen abest, si sit prudentia. Nos te,
Nos facimus, fortuna, deam, cœloque locamus.

— *Uti prius*, etc. Eadem omnino legas in altera epistola, cap. I. — *Fabricata.* Opera manu hominum facta.

3. *Eo se munitiores putant*, etc. Hic semper fuit error dominantium. Plin. Paneg. XLV : « Et priores quidem principes... vitiis potius civium quam virtutibus lætabantur; primum quod in alio sua quemque natura delectat; deinde quod patientiores servitutis arbitrantur, quos non deceret esse nisi servos. Horum in sinum omnia congerebant; bonos autem otio aut situ abstrusos et quasi sepultos, non nisi delationibus et periculis in lucem ac diem proferebant. »

Intimide et corrompt; c'est ainsi que l'on règne, inquit ad Sejanum Tiberius (*Chénier, Tibère, act. I, sc.* 4). Vide quoque *Montesquieu, Esprit des Lois*, III, 5; denique ipsum Sallust. Cat. VII, n. 4.

4. *Hoc gravius est.* « Hoc ipsum, scilicet armis parta componere (id est, ipsam rempublicam ordinare), tibi gravius est quam ceteris ante te bellorum civilium victoribus. Nam lenius aliorum pace bellum gerendo, tibi lenitatis et clementiæ, etiam in victoria, necessitatem fecisti. Et tamen victores prædam petunt : præda autem non nisi ex civibus capi potest, quia, quos vicisti, cives sunt. » Nempe, ut ait Cicero, Epist. IV, 9 : « Multa... victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito facienda sunt. » Idem, Epist. XII, 18 : « Bellorum enim civilium hi semper exitus sunt, ut non ea solum fiant, quæ velit victor; sed etiam ut iis mos gerendus sit, quibus adjutoribus sit parta victoria. »

tores prædam petunt, victi cives sunt. Inter has difficultates evadendum est tibi; atque in posterum firmanda respublica, non armis modo, neque adversum hostes, sed, quod multo majus multoque asperius est, bonis pacis artibus. Ergo omnes magna mediocrique sapientia[5] res huc vocat, quæ quisque optuma potest, uti dicant. Ac mihi sic videtur : qualicumque modo tu victoriam composueris, ita alia omnia futura.

II. Sed jam, quo melius faciliusque constituas, paucis, quæ me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit, imperator, cum homine claro, magnis opibus, avido potentiæ, majore fortuna, quam sapientia : quem sequuti sunt pauci, per suam injuriam[1] tibi inimici; item quos affinitas, aut alia necessitudo traxit. Nam particeps dominationis neque fuit quisquam; neque, si pati potuisset, orbis ter-

5. *Magna mediocrique sapientia.* Scilicet, mediocrem sibi tribuens, consilium excusat suum, quod Cæsarem de officio monere audeat.— *Qualicumque modo*, etc. Ex ea ratione qua tu res omnes victor composueris, futuram totius imperii sortem pendere. — Ex toto hoc manifestum est hanc epistolam, post confectum bellum, scriptam fuisse; ideo altera posteriorem.

Cap. II. 1. *Per suam injuriam.* Quia tibi injuriam fecerant. Nam, teste Tacito, Agric. xlii : « Proprium humani ingenii est, odisse quem læseris. » Hunc sensum confirmat Cic. Epist. ad Att. ix, 19 : « Nec præter me quisquam Italia cessit, nisi qui hunc inimicum sibi putaret. » Nempe sibi conscii erant se ejus ambitioni adversatos fuisse. Ceterum nobilitatis principes consularesque viros intelligit, Marcellum, Domitium, Lentulum, Metellum Scipionem, Catonem, Ciceronem, et alios; quos inter unus Cato solam rempublicam respiciebat. Senec. Epistol. civ : « Quum alii ad Cæsarem inclinarent, alii ad Pompeium, solus Cato fecit aliquas et reipublicæ partes. Si animo amplecti volueris illius imaginem temporis, videbis illinc plebem, et omnem erectum ad novas res vulgum; hinc optimates et equestrem ordinem, quidquid erat in civitate sancti et lecti; duos in medio relictos, rempublicam et Catonem.... Ait [Cato] se, si Cæsar vicerit, moriturum; si Pompeius, exulaturum. » — *Si pati potuisset.* Scilicet aliquem dominationis suæ participem. Luc. Phars. i, 125 :

Nec quemquam jam ferre potest Cæsarve priorem,
Pompeiusve parem.

Item Flor. iv, 2 : « Jam Pompeio suspectæ Cæsaris opes, et Cæsari

rarum bello concussus foret: cetera multitudo, vulgi more[2] magis quam judicio, post alius alium, quasi prudentiorem, sequuti. Per idem tempus maledictis iniquorum[3] occupandæ reipublicæ in spem adducti homines, quibus omnia probro ac luxuria polluta erant, concurrere in castra tua; et aperte quietis mortem, rapinas, postremo omnia, quæ corrupto animo lubebat, minitari. Ex quis magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te civibus sicuti hostibus uti vident, defluxere: pauci restitere; quibus majus otium in castris, quam Romæ, futurum erat; tanta vis creditorum impendebat. Sed ob easdem caussas immane dictu est, quanti et quam multi mortales postea ad Pompeium discesserint: eoque per omne tempus belli, quasi sacro atque inspoliato fano debitores usi.

Pompeiana dignitas gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem.» Vide Pompeii indolem, apud Velleium, II, 29.

2. *Vulgi more.* Idem fere de se ipse dicit Cicero, ad Att. VII, 7: «Quid ergo, inquis, acturus es? Idem quod pecudes, quæ dispulsæ sui generis sequuntur greges. Ut bos armenta, sic ego bonos viros, aut eos, quicumque dicentur boni, sequar, etiamsi ruent.» Jam dixerat Cato Major, teste Plutarcho, similem esse populum romanum gregi pecorum, quæ singula non parent, sed universa ductorem aliquem unum sequuntur. — *Post alius alium.* Cortius contendit latine non dici, *sequi post aliquem.* Sed vocis *sequuti* duplex hic usus est. 1° Absolute: «Sequuti sunt, alius post alium euntes.» 2° «Alius sequutus est alium, quasi prudentiorem.»

3. *Maledictis iniquorum.* Calumnia malorum, id est, adversariorum Cæsaris; qui invidiose jactabant illum, si vicisset, tabulas novas propositurum, vitamque et bona suis inimicis erepturum. Hæc fama perditissimum quemque in castra Cæsaris compulit. Quorum multi, mala spe dejecti, abiere; remansere tamen aliqui, se tutiores rati in castris, quam Romæ, ob æris alieni magnitudinem, futuros. Quanquam ex altera parte (hoc dicit ne Cæsaris causam deprimere videatur) non pauciores erant fœnoribus obruti homines; Pompeiusque debitorum perfugium per totum bellum fuit. Ergo, ut in sequenti capite dicetur, victorem Cæsarem, non de istiusmodi hominibus, sed de se ipso, in deponendo bello, firmandaque pace, cogitare decet. — *Inspoliato.* Non spoliando; ut Jug. LXXVI, *infectum* pro *non faciendo.* Inspoliatum græce est ἄσυλον (ex ἀ et σύλη, spolium).

III. Igitur, quoniam tibi victori de bello atque pace agitandum est, hoc uti civiliter deponas, illa ut quam justissuma et diuturna sit; de te ipso primum, qui ea compositurus es, quod optumum factu est, existuma. Equidem ego[1] cuncta imperia crudelia, magis acerba quam diuturna arbitror; neque quemquam multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum æternum atque anceps gerere; quoniam neque adversus, neque ab tergo, aut lateribus tutus sis, semper in periculo, aut metu agites. Contra qui benignitate et clementia imperium temperavere, his læta et candida omnia visa; etiam hostes æquiores, quam aliis cives. An qui me his dictis corruptorem victoriæ tuæ, nimisque in victos bona voluntate, prædicent? Scilicet quod ea, quæ externis nationibus, natura nobis hostibus, nosque majoresque nostri sæpe tribuere, ea civibus danda arbitror; neque barbarico ritu cæde cædem, et sanguine sanguinem expianda.

IV. An illa, quæ paullo ante hoc bellum in Cn. Pompeium victoriamque Sullanam increpabantur, oblivio intercepit? Domitium[1], Carbonem, Brutum, alios item

Quæ verbi novatio Sallustium ipsum, non Sallustii imitatorem mihi quidem redolet.

Cap. III. 1. *Equidem ego.* Postquam dixit, Cæsari cogitandum esse quid sibi expediat, non quid optent homines prædarum avidi, contendit magis expedire clementiam, quam ultionem. — *Magis acerba quam diuturna.* Pleni sunt veterum recentiorumque libri aureis de hac re præceptis. Imprimis adi Cicer. de Off. II, 7. Ibi disces, exemplo ipsius Cæsaris, quam *malus sit custos diuturnitatis metus.* Nam licet ille clementia imperium temperaverit, non fieri poterat quin multi metuerent, ideoque odissent eum, qui in libera civitate tyrannidem occupaverat. — *Eam vitam.* Eam vitæ conditionem. — *An qui.* An aliqui. Notat hos homines, qui non ad tuendam Cæsaris dignitatem, sed prædæ rapiendæ causa, bellum gesserunt.

Cap. IV. 1. *Domitium.* Loquitur de Cneio Domitio, quem Pompeius post Syllanam victoriam in Africa vicit et interfecit. Vide Frag. I. init. n. 14; et Val. Max. VI, 2, 8. — *Carbonem.* Cn. Carbonem cum Mario juvene consulem. Et hic quo-

non armatos, neque in prælio belli jure, sed postea supplices per summum scelus interfectos; plebem romanam in villa publica[2], pecoris modo, conscissam. Heu, quam illa occulta civium funera et repentinæ cædes, in parentum aut liberorum sinum fuga mulierum et puerorum,

que a Pompeio, in Sicilia, necatus fuit. Vide Plut. in Pomp.; Val. Max. v, 3, 5, et vi, 2, 8, ubi de Bruto etiam mentio est. Brutus autem ille, Marci Bruti, qui Cæsarem interfecit, pater, Galliam Cisalpinam pro Lepido obtinebat, anno U. C. 677. Is quum in oppido Mutina obsessus Pompeio se dedidisset, a Geminio Pompeii jussu occisus est. (Plutarch. in Pomp.) Jam vero, ne tirones nominum similitudine decipiantur, meminisse attinet alterum fuisse Domitium, alterumque Carbonem, consulis fratrem, quos cum Scævola, Antistio et aliis, velut Syllæ faventes, dum ad Sacriportum dimicaretur, Damasippus prætor trucidavit. Vell. ii, 26; Cic. de Orat. iii, 3. — Ceterum hic Sallustius in Syllanæ victoriæ crudelitatem invehitur, quam dissimulabat, prima Epist. IV. Scilicet ibi Cæsaris iram adversus armatos concitare, hic victis et inermibus clementiam conciliare nititur. Pompeii tamen, licet mortui, odium eum non relinquit. Nam e tot cæsis hominibus, eos tantum nominat quos Pompeius cecidit.

2. *In villa publica.* Florus, de Sylla loquens, iii, 21: « Nec idem tamen cædium, qui belli finis fuit. Stricti enim et in pace gladii, animadversumque in eos qui se sponte dediderant. Minus est, quod apud Sacriportum et apud Collinam portam septuaginta amplius millia Sylla concidit: bellum erat. Quatuor millia deditorum inermium civium *in villa publica* interfici jussit. » Non *quatuor* sed *septem* millia tunc occisa tradit Seneca, de Clementia, i, 12: « Descenderit licet dictatura sua et se togæ reddiderit, quis tamen unquam tyrannus tam avide humanum sanguinem bibit, quam ille qui septem millia civium romanorum contrucidari jussit? Et quum in vicino, ad ædem Bellonæ sedens, exaudisset conclamationem tot millium sub gladio gementium, exterrito senatu: hoc agamus, inquit, P. C.; seditiosi pauculi meo jussu occiduntur. » Livii Epitom. lxxxviii: « Octo millia deditorum in villa publica trucidavit. » Vide etiam Plut. in Sylla; Valer. Max. ix, 2; Dionys. Hal. v extrem. et alios. Villa autem publica in campo martio fuit, domus amplissima et recipiendis hostium legatis destinata. Plutarchus ait, ἐν ἱπποδρόμῳ, quem intelligit Lipsius (ad Senecam) circum Flaminium. Uterque locus vicinus erat ædi Bellonæ, ubi, dum cædes ista fieret, senatus habebatur. — *Conscissam.* Vis maxima vocabuli, quod tamen Gronovius mutare vult in *concisam.* — *Occulta civium funera.* Præter strages illas publicas, occultæ etiam neces. — Vulgo jungunt *cædes in sinum parentum*, etc., pro *in sinu.* Malui

vastatio domuum, ante partam a te victoriam omnia sæva atque crudelia erant! Ad quæ te illi iidem hortantur: scilicet id certatum esse[3], utrius vestrum arbitrio injuriæ fierent; neque receptam, sed captam a te rempublicam; et ea caussa exercitus, stipendiis confectis, optumos et veterrumos omnium, advorsum fratres parentesque ac liberos armis contendere; ut ex alienis malis deterrumi mortales ventri atque profundæ lubidini sumtus quærerent, atque essent opprobria victoriæ, quorum flagitiis commacularetur bonorum laus. Neque enim te præterire puto, quali quisque eorum[4] more aut modestia, etiam tum dubia victoria, sese gesserit: quoque modo in belli administratione scorta aut convivia exercuerint nonnulli; quorum ætas ne per otium quidem tales voluptates sine dedecore attigerit. De bello satis dictum.

eum Cortio, *fuga in sinum*. Scilicet in magna trepidatione, et percussorum metu conterriti, *pueri in parentum*, *mulieres in liberorum sinum fugere* solent.

3. *Scilicet id certatum esse*. Supple, *volentes*, vel *contendentes*. — *Utrius vestrum*. Pompeii an Cæsaris. — *Receptam*. Ab injusta dominatione vindicatam. — *Exercitus stipendiis confectis*. Veteranos Cæsaris exercitus, quibus, post tot exhaustos ad augendam rempublicam labores, debita quies erat. — *Optumos et veterrumos omnium*. Hoc glossema putat Rupertus. Non ego. Quod enim Cæsariani milites optimi erant et veterrimi omnium militum romanorum, eo minus credi potest illos civile bellum incepisse, ut deterrimi mortales ventrem profundamque libidinem satiare possent. Nota oppositionem verborum *optumos* et *deterrumi*. — *Parentesque ac liberos*. Ut fit in bellis civilibus. Vulgo, *alii liberos*; nullo sensu. Gallicus interpres *Beauzée* jam proposuit *ac liberos*; Rupertus, *parentesque alibi*, *alibi liberos*. Forte non absurdum fuerit, *parentesque*, *alibi liberos*, semel posito, semel autem subaudito *alibi*. Certe turpe mendum deleri oportuit. Nam Cortius, qui *alii* refert ad milites, non attendit eos accusativo casu designari, *optumos* ... *veterrumos*.

4. *Quisque eorum*. In toto hoc loco de iis agitur, quos supra, II, n. 3, dixit in castris Cæsaris remansisse, quia nihil illis Romæ, ob creditores, tutum erat. Istiusmodi homines victorem ad sævitiam hortantur. Quibus certe non credendum; atque ut illi suæ aviditati prædam quærunt, ita suæ gloriæ Cæsar consulere debet. Ideo dixit auctor initio cap. III: *De te ipso primum, quod optumum factu est,*

V. De pace firmanda quoniam tuque et omnes tui agitatis; primum id, quæso, considera, quale id sit, de quo consultas : ita, bonis malisque[1] dimotis, patenti via ad verum perges. Ego sic existumo : quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate urbi romanæ fatum excidii adventarit, cives cum civibus manus conserturos; ita defessos et exsangues regi aut nationi prædæ futuros : aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes conglobatæ, movere aut contundere queunt hoc imperium. Firmanda igitur sunt et concordiæ bona, et discordiæ mala expellenda. Id ita eveniet, si sumtuum et rapinarum[2] licentiam demseris; non ad vetera instituta revocans, quæ jam pridem, corruptis moribus, ludibrio sunt; sed si suam cuique rem familiarem finem sumtuum statueris : quoniam is incessit mos, ut homines adolescentuli, sua atque aliena consumere, nihil lubidini atque aliis rogantibus denegare pulcherrumum putent; eam virtutem et magnitudinem animi, pudorem atque modestiam pro socordia æstument. Ergo animus ferox, prava via ingressus, ubi consueta non suppetunt, fertur accensus in socios modo, modo in cives : movet composita, et res novas veteribus acquirit[3]. Quare

existuma. — *Quorum ætas*, etc. Quia senes sunt.

Cap. V. 1. *Bonis malisque.* In *neutro* genere : commodis et incommodis.

2. *Sumtuum et rapinarum*, etc. Ad hoc Rupert. « Causas discordiæ ex abdito eruit. Nam ex sumptibus egestas, ex egestate rapinæ, e rapinis discordiæ oriuntur. » — *Ad vetera instituta.* Intelligit leges sumptuarias et cibarias, quæ dudum, licentia morum, obsoleverant. Eis vim suam reddidisse Cæsarem narrat Suet. XLIII. — *Revocans.* Sc. sumptus, vel mores. — *Finem sumtuum.* Si feceris ut nemo plura eroget ac consumat, quam res familiaris patitur. — *Eam virtutem..... æstument.* Sua atque aliena consumere virtutem et magnitudinem animi existimant; pudorem vero et modestiam pro socordia habent. De hoc usu demonstrativi pronominis, vide Catil. LVIII, n. 18.

3. *Res novas veteribus acquirit.* Vertit cl. *Dureau de la Malle.* « *Ils sacrifient la fortune de l'état pour relever la leur;* » confertque ex Catilina, *vetera odere, nova exoptant.* Sed non mihi quidem satis patet similitudo; nec video quomodo vox

tollendus fœnerator in posterum, uti suas quisque res curemus. Ea vera atque simplex via est, magistratum populo, non creditori, gerere, et magnitudinem animi in addendo, non demendo reipublicæ ostendere.

VI. Atque ego scio, quam aspera hæc res in principio futura sit, præsertim iis, qui se in victoria licentius liberiusque, quam arctius, futuros credebant. Quorum si saluti potius, quam lubidini consules; illosque nosque et socios in pace firma constitues. Sin eadem studia artesque juventuti erunt, næ ista egregia tua fama simul cum urbe Roma brevi concidet. Postremo sapientes pacis caussa bellum gerunt, laborem spe otii sustentant: nisi illam firmam efficis, vinci, an vicisse, quid retulit? Quare capesse, per deos, rempublicam, et omnia aspera, uti soles, pervade: namque aut tu mederi potes, aut omittenda est cura omnibus. Neque quisquam te ad crudeles pœnas[1] aut

veteribus significare possit, *la fortune de l'état*. Cortius totam phrasim vocat *ineptias*. Wasse suspicatur, *alia super alia cumulat*, quod sententiæ prorsus contrarium est; vel, *veteribus largitionibus id apud plebem assequuntur, ut ex præturis et consulatibus sumptui et libidini suppetant*. Sed dicat ipse unde petat *largitionibus*. Ceteri non melius nodum solvunt; qui nullus jam esset, si reponeretur vocula *pro*, quæ mihi videtur excidisse, ita ut sit, *res novas pro veteribus acquirit*. Nisi forte etiam verbum *acquirit*, i. e. *quærit ad*, ita capias ut intelligatur, *res novas, subsidium veteribus, quærit*. — *Tollendus fœnerator*. Quia isti homines juventutem perfida mutuum dandi facilitate ad nimios sumptus invitant. — *Magistratum gerere*. Ea vera atque simplex via est, qua magistratus officium suum ad populi utilitatem, non ad solvendum suis creditoribus æs alienum, gerant, seque magnificos ostendant in ditanda, non in spolianda republica. — *Gerere*. Absolute positum, ut Jug. LXXXV, n. 9. — Quod ad rem ipsam attinet, Cæsar, inquit Suet. XLI, « de pecuniis mutuis, disjecta novarum tabularum exspectatione, quæ crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducto summæ æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum aut perscriptum fuisset; qua conditione quarta pars fere crediti disperibat. »

CAP. VI. 1. *Ad crudeles pœnas*. Scil. adversus eos qui se in victo-

acerba judicia invocat, quibus civitas vastatur magis quam corrigitur; sed uti pravas artes malasque lubidines ab juventute prohibeas. Ea vera clementia erit, consuluisse ne merito cives patria expellerentur, retinuisse ab stultitia et falsis voluptatibus; pacem, concordiam stabilivisse; non, si, flagitiis obsequutus, delicta perpessus, præsens gaudium cum mox futuro malo concesseris.

VII. Ac mihi animus, quibus rebus alii timent, maxume fretus est, negotii magnitudine, et quia[1] tibi terræ et maria simul omnia componenda sunt. Quippe res parvas tantum ingenium attingere nequit: magnæ curæ magna merces est. Igitur provideas oportet, uti plebes, largitionibus et publico frumento corrupta[2], habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur: juventus probitati et industriæ, non sumtibus, neque divitiis, studeat. Id ita eveniet, si pecuniæ, quæ maxuma omnium pernicies est, usum atque decus demseris. Nam sæpe ego cum animo meo reputans, quibus quisque rebus clari viri magnitudinem invenissent, quæ res populos nationesve magnis aucto-

ria licentius liberiusque futuros credebant. — *Ea vera clementia erit.* Non hic agitur de *clementia* in hostes Cæsaris, sed in eosdem ipsos homines. Nonnullæ edd. *ea vero clementia erit.* Forsan bene, si adverb. *vero* intelligas *autem.* — *Ne merito cives patria expellerentur.* « Tunc demum clemens eris, si rem ita constituas, ut ne cives ea committant, ob quæ merito patria expellantur. » Atqui ad id sæpe adigebantur egestate et avaritia. Vulgo legitur *immerito,* quod est contra sensum. Ciacconius et Ursinus testantur libros scriptos habere *merito;* quod non revocare timidioris animi fuisset. Iidem, pro *expellerentur,* legi velint *expellantur;* sed nullam auctoritatem afferunt.

Cap. VII. 1. *Et quia*, etc. Hoc cum antecedentibus junge: « Animus meus maxime fretus est negotii magnitudine, et eo quod tibi terræ et maria componenda sunt. » Quod monemus, quia vulgo ita distinguitur, ut phrasis, *quia .... componenda sunt*, jungatur cum *magnæ curæ magna merces est.* Jam interpunctionem nostram recepit Cort.

2. *Largitionibus et publico frumento corrupta.* Sueton. Jul. xli: « Cæsar ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxit. »

ribus[3] auxissent, ac deinde quibus caussis amplissuma regna et imperia corruissent; eadem semper bona atque mala reperiebam; omnesque victores divitias contemsisse, et victos cupivisse. Neque aliter quisquam extollere sese, et divina mortalis attingere potest, nisi, omissis pecuniæ et corporis gaudiis, animo indulgens[4], non assentando, neque concupita præbendo, perversam gratiam gratificans, sed in labore, patientia, bonisque præceptis, et factis fortibus exercitando.

VIII. Nam domum aut villam exstruere, eamque signis, aulæis, aliisque operibus exornare, et omnia potius, quam semet[1], visendum efficere; id est non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse. Porro ii, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere, mos est, ubi animum, quem dominari decebat, servitio oppressere, nequidquam eo postea hebeti atque

3. *Magnis auctoribus.* Magnorum virorum opera. Ceterum mihi, ut Carrioni, magis placet *magnis auctionibus*, quod est in Fabri et Briconeti libris. Malim etiam, cum Ciacconio, *magnis auctibus.* Nam apud Liv. XXIX, 27, Scipio deos ita precatur : « Eaque vos omnia bene juvetis; bonis auctibus auxitis. » Quum tamen e vulgata sensus aliquis eliciatur, nihil ausus sum mutare.

4. *Animo indulgens.* Hæc mens auctoris : « Non corpori, sed animo hominem indulgere oportet. Indulgebit autem, non illi assentando et concupita præbendo, perversam gratiam gratificans, sed eum in labore, patientia, bonisque præceptis et factis fortibus exercitans. » Ad verbum *indulgens* refer simul et *gratificans*, et *exercitando.*

CAP. VIII. 1. *Omnia potius, quam semet*, etc. Confer egregium Cicer. locum, de Off. II, 22. Item Paradox. V, 2. — *Flagitio.* Dedecori. Et hic confer Cicer. de Offic. I, 39. — *Bis die ventrem onerare.* Simile quid ex Platone desumpsit Cicero, Tuscul. V, 35 : « Est, inquit, præclara epistola Platonis ad Dionis propinquos, in qua scriptum est his fere verbis : Quo quum venissem, vita illa beata, quæ ferebatur, plena italicarum syracusiarumque mensarum, nullo modo mihi placuit; *bis in die saturum fieri, nec unquam pernoctare solum*, ceteraque quæ comitantur huic vitæ, in qua sapiens nemo efficietur unquam, moderatus vero multo minus. » Scilicet Romanis veteribus prandium erat aut nullum, aut maxime modicum. In cœna tantum sibi magis indulge-

claudo, pro exercito uti volunt: nam imprudentia pleraque et se præcipitant. Verum hæc et omnia mala pariter cum honore pecuniæ desinent, si neque magistratus, neque alia vulgo cupienda venalia erunt. Ad hoc providendum est, quonam modo Italia, atque provinciæ tutiores sint: id quod factu haud obscurum est. Nam iidem omnia vastant[2], suas deserendo domos, et per injuriam alienas occupando. Item ne, ut adhuc, militia injusta, aut inæqualis sit: quum alii triginta, pars nullum stipendium faciet. Et frumentum id, quod antea præmium ignaviæ fuit[3], per municipia et colonias illis dare conveniet, quum stipendiis emeritis domos reverterint. Quæ reipublicæ necessaria, tibique gloriosa ratus sum, quam paucissumis absolvi. Non pejus videtur, pauca nunc de facto meo disserere. Plerique mortales ad judicandum satis ingenii habent, aut simulant; verum enim[4] ad reprehendenda aliena facta, aut dicta, ardet omnibus animus; vix satis apertum os, aut lingua promta videtur, quæ meditata pectore evolvat. Quibus me subjectum haud pœnitet; magis reticuisse pigeret. Nam sive hac, seu meliore alia via perges; a me quidem pro virili parte dictum et adjutum fuerit. Reliquum est optare, uti, quæ tibi placuerint, ea dii immortales approbent, beneque evenire sinant.

bant. — *Nequidquam.* Hoc sumpsi ex Haverc. Nam Cortius habet *nequaquam*, non satis commodo sensu.

2. *Iidem omnia vastant.* Iidem scilicet illi, qui obruti fœnoribus et omnibus fortunis exuti, nullam spem nisi ex rapinis habent; quales homines notat Cicero, in Catil. II, 9 et 10. — *Quum..... faciet.* Suspicor legendum *faciat;* quanquam nullibi invenio. Sensus tamen constare potest, vel si legas *faciet.* Oportet, inquit, militiam non inæqualem esse; atqui erit, quum (vel quandiu), ut nunc, alius triginta, alius nullum stipendium faciet.

3. *Præmium ignaviæ fuit.* Scilicet, quum Romæ nihil agentibus distribueretur. — *Illis.* Militibus. Vult nempe frumentum non ignavæ plebi, sed veteranis, per municipia et colonias distributis, dari.

4. *Verum enim.* Hoc cum Cortio, ex MSS. rescripsimus, quum sit in aliis *verum tamen.*

DECLAMATIO*

IN

M. TULL. CICERONEM

FALSO SALLUSTIO ADSCRIPTA.

I. Graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, M. Tulli, si te scirem judicio magis, quam morbo animi, petulantia ista uti. Sed quum in te neque modum, neque modestiam ullam animadverto, respondebo tibi; uti, si quam maledicendo voluptatem cepisti, eam male audiendo amittas. Ubi querar? quos implorem? P. C. diripi rempublicam atque audacissumo cuique esse perfidiæ? apud populum romanum, qui ita largitionibus corruptus est, uti sese, ac fortunas suas venales habeat? an apud vos,

* *Declamatio.* Nemo certe hanc declamationem Sallustii esse in animum induxisset, nisi afferret, tanquam ex Sallustio in Ciceronem, Quintilianus, IV, I, *graviter et iniquo animo maledicta tua paterer, Marce Tulli*; et IX, 3, *o Romule Arpinas.* Sed conjicit Cortius fieri potuisse, ut litterator aliquis, vel ipse, quicumque sit, auctor, ingenii sui monumento auctoritatem conciliaturus, ista margini ap. Quintilianum adscripserit, quæ postea in textum irrepserint. Quæ si falsa conjectura sit, et ex vera Sallustii oratione ista deprompserit Quintilianus, reliquum erit ut, deperdito Sallustiano opere, rhetor aliquis pauculas istas voces e Quintiliano arreptas in propriæ Minervæ operam instruserit. Has enim declamationes patet istiusmodi fuisse, quales in scholis ad exercitationem componebantur. Certe eas Sallustio et Ciceroni dudum abjudicaverunt Lipsius, Vossius, aliique doctissimi viri. Eas tamen huic nostro Sallustio addidimus, ne quid desideretur, quod in aliis edd. occurrat. Ceterum nullam iis explanandis operam impendimus, satis magna jam pro nostris viribus (utinam et pro legentium exspectatione!) in verum Sallustium impensa.

patres conscripti, quorum auctoritas turpissumo cuique et sceleratissumo ludibrio est? ubi M. Tullius leges, judicia populi romani defendit, atque in hoc ordine ita moderatur, quasi unus reliquus ex familia viri clarissumi, Scipionis Africani, ac non reptitius, accitus, ac paullo ante insitus huic urbi civis. An vero, M. Tulli, facta ac dicta tua obscura sunt? an non ita a pueritia vixisti, uti nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? scilicet, istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiæ jactura perdidicisti? Itaque minume mirandum est, quod eam flagitiose venditas, quam turpissume parasti.

II. Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos attollit; uxor sacrilega, ac perjuriis delibuta; filia matris pellex, tibi jucundior atque obsequentior, quam parenti par est. Domum ipsam tuam vi et rapinis, funestam tibi ac tuis, comparasti : videlicet uti nos commonefacias, quam conversa sit respublica, quum in ea domo habitares, homo flagitiosissume, quæ P. Crassi, viri consularis, fuit. Atque hæc quum ita sint, tamen Cicero se dicit in concilio deorum immortalium fuisse; inde missum huic urbi civibusque custodem, absque carnificis nomine, qui civitatis incommodum in gloriam suam ponit : quasi vero non illius conjurationis caussa fuerit consulatus tuus; et idcirco respublica disjecta eo tempore, quo te custodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quæ post consulatum cum Terentia uxore de republica consuluisti, quum legis Plautiæ judicia domi faciebatis; ex conjuratis alios morte, alios pecunia condemnabas; quum tibi alius Tusculanam, alius Pompeianam villam ædificabat, alius domum emebat; qui vero nihil poterat, is erat calumniæ proxumus, is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut insidias senatui fecerat, denique de eo tibi compertum erat. Quæ si tibi falsa objicio; redde rationem, quantum

patrimonii acceperis, quid tibi litibus accreverit, qua ex pecunia domum paraveris, Tusculanum et Pompeianum infinito sumtu ædificaveris? aut, si retices; cui dubium potest esse, quin opulentiam istam ex sanguine et miseriis civium paraveris?

III. Verum, ut opinor, homo novus Arpinas, ex C. Marii familia, ejus virtutem imitatur, contemnit simultatem hominum nobilium, rempublicam caram habet, neque terrore, neque gratia commovetur : illud vero amicitiæ tantum, ac virtutis est animi. Immo vero homo levissumus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum, modo illarum partium, fidus nemini, levissumus senator, mercenarius patronus, cujus nulla pars corporis a turpitudine vacat : lingua vana, manus rapacissumæ, gula immensa, pedes fugaces; quæ honeste nominari non possunt, inhonestissuma. Atque is, quum ejusmodi sit, tamen audet dicere : *O fortunatam natam me consule Romam!* Te consule fortunatam, Cicero? immo vero infelicem, et miseram, quæ crudelissumam proscriptionem civium perpessa est; quum tu, perturbata republica, metu perculsos omnes bonos parere crudelitati tuæ cogebas; quum omnia judicia, omnes leges in tua lubidine erant, quum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, omnium nostrum vitæ necisque potestatem ad te unum revocaveras. Atque parum est, quod impune fecisti : verum etiam commemorando exprobras; neque licet oblivisci servitutis suæ. Egeris, oro te, Cicero, perfeceris, quod libet; satis est perpessos esse; etiamne aures nostras odio tuo onerabis? etiamne molestissumis verbis insectabere? *Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ* : quasi vero togatus, et non armatus, ea, quæ gloriaris, confeceris, atque inter te, Sullamque dictatorem, præter nomen imperii, quidquam interfuerit. Sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnes artes edocuit, Jupiter

optumus maxumus in concilio deorum admisit, Italia exsulem humeris suis reportavit. Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paullos, Fabios, Scipiones superasti, quem tandem locum in hac civitate obtines? quæ tibi partes reipublicæ placent? quem amicum, quem inimicum habes? Cui in civitate fecisti insidias, ancillaris: (quo jure, quum de exsilio tuo Dyrrachio redisti, eum sequebaris?) quos tyrannos appellabas, eorum potentiæ faves: qui tibi ante optimates videbantur, eosdem dementes ac furiosos vocas. Vatinii caussam agis, de Sextio male existumas: Bibulum petulantissumis verbis lædis, laudas Cæsarem: quem maxume odisti, ei maxume obsequeris: aliud stans, aliud sedens, de republica sentis: his maledicis, illos odisti: levissume transfuga! neque in hac, neque in illa parte fidem habes.

DECLAMATIO IN SALLUSTIUM

QUÆ CICERONI FALSO TRIBUITUR.

I. Ea demum magna voluptas est, Crispe Sallusti, æqualem ac parem verbis vitam agere, neque quidquam tam obscœnum dicere, cui non ab initio pueritiæ omni genere facinoris ætas tua respondeat, ut omnis oratio moribus consonet. Neque enim, qui ita vivit, uti tu, aliter, ac tu, loqui potest: neque, qui tam illoto sermone utitur, vita honestior est. Quo me vertam, P. C.? unde initium sumam? majus enim mihi dicendi onus imponitur, quo notior est uterque nostrum. Quod si aut de mea vita, atque actibus, huic conviciatori respondero, invidia gloriam consequetur: aut, si hujus facta, mores, omnem ætatem nudavero, in idem vitium incidam procacitatis, quod huic objicio. Id vos, si forte offendimini, justius huic, quam mihi, succensere debetis, qui initium introduxit.

Ego dabo operam, ut et pro me minimo cum fastidio respondeam, et in hunc minime mentitus esse videar. Scio me, P. C., in respondendo non habere magnam exspectationem, quod nullum vos sciatis novum crimen in Sallustium audituros, sed omnia vetera recognituros, quis et meæ, et vestræ jam, et ipsius aures calent. Verum eo magis odisse debetis hominem, qui ne incipiens quidem peccare, minimis rebus posuit rudimentum; sed ita ingressus est, uti neque ab alio vinci possit, neque ipse se omnino reliqua ætate præterire. Itaque nihil aliud studet, nisi, uti lutulentus sus, cum quovis volutari. Longe vero fallitur opinione: non enim procacitate linguæ vitæ sordes eluuntur; sed est quædam calumnia, quam unusquisque nostrum testante animo suo fert, de eo, qui falsum crimen bonis objectat. Quod si vita istius memoriam vicerit; illam, P. C., non ex oratione, sed ex moribus suis spectare debetis. Jam dabo operam, quam maxime potero, brevi ut faciam. Neque hæc altercatio nostra vobis inutilis erit, P. C. Plerumque enim respublica privatis crescit inimicitiis; ubi nemo civis, qualis sit vir, potest latere.

II. Primum igitur, quoniam omnium majores Crispus Sallustius ad unum exemplum et regulam quærit; velim mihi respondeat, numquid, quos protulit Scipiones et Metellos, vel Fabios, ante fuerint aut opinionis, aut gloriæ, quam eos res gestæ suæ, et vita innocentissime acta commendavit? Quod si hoc fuit illis initium nominis et dignitatis, cur non æque de nobis existimetur? cujus et res gestæ illustres sunt, et vita integerrime acta. Quasi vero tu sis ab illis viris, Sallusti, ortus: quod si esses, nonnullos jam tuæ turpitudinis pigeret. Ego meis majoribus virtute mea præluxi; uti, si prius noti non fuerint, a me accipiant initium memoriæ suæ: tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras; ut etiam, si fue-

rint egregii cives, certe venerint in oblivionem. Quare noli mihi antiquos viros objectare : satius est enim, me meis rebus gestis florere, quam majorum opinione niti; et ita vivere, ut ego sim posteris meis nobilitatis initium et virtutis exemplum. Neque me cum iis conferri decet, P. C., qui jam decesserunt, omnique odio carent et invidia; sed cum iis, qui mecum una in republica versati sunt. Sed si fuerim aut in honoribus petendis nimis ambitiosus (non hanc dico popularem ambitionem, cujus me principem confiteor, sed illam perniciosam contra leges, cujus primos ordines Sallustius duxit); aut in gerendis magistratibus, aut in vindicandis maleficiis tam severus; aut in tuenda republica tam vigilans (quam tu proscriptionem vocas); credo quod non omnes tui similes incolumes in hac urbe vixissent. At quanto meliore loco respublica staret, si tu par ac similis scelestorum civium, una cum illis adnumeratus esses! An ego tunc falso scripsi, *cedant arma togæ*, qui togatus armatos, et pace bellum oppressi? an illud mentitus sum, *fortunatam natam me consule Romam;* qui tantum intestinum bellum, et domesticum urbis incendium exstinxi?

III. Neque te tui piget, homo levissime, quum ea culpas, quæ in historiis mihi gloriæ ducis? An turpius est, P. C., scribentem mentiri, quam illum palam hoc ordine dicentem? nam, quod in ætatem increpuisti, tantum me abesse puto ab impudicitia, quantum te a pudicitia. Sed quid ego de te plura querar? quid enim mentiri turpe duces, qui mihi ausus sis eloquentiam, uti vitium, objicere, cujus semper nocens eguisti patrocinio? An ullum existumas posse fieri civem egregium, qui non his artibus et disciplinis sit eruditus? an ulla alia putas esse rudimenta et incunabula virtutis, quibus animi ad gloriæ cupiditatem aluntur? Sed minime mirum est, P. C., si homo, qui desidiæ ac luxuriæ plenus sit, hæc, ut nova atque inusitata,

miratur. Nam quod ista inusitata rabie petulanter in uxorem et in filiam meam invasisti, quæ facilius se mulieres a viris abstinuerunt, quam tu vir a viris; satis docte ac perite fecisti. Non enim me sperasti mutuam tibi gratiam relaturum, ut vicissim tuas compellarem. Unus enim satis es materiæ habens; neque quidquam turpius est domi tuæ, quam tu. Multum te vero opinio fallit, qui mihi putasti parare invidiam ex mea re familiari : quæ multo mihi minor est, quam habere dignus sum. Atque utinam ne tanta quidem esset, quanta est; uti potius amici mei viverent, quam ego testamentis eorum locupletior essem! Ego fugax, Crispe Sallusti? Furori tribuni plebis cessi : utilius duxi quamvis fortunam unus experiri, quam universo populo romano civilis essem dissensionis causa : qui, posteaquam ille suum annum in republica perbacchatus est, omniaque, quæ commoverat, pace et otio resederunt, hoc ordine revocante, atque ipsa republica manu retrahente me, reverti. Qui mihi dies, si cum omni reliqua vita conferatur, animo quidem meo superet, quum universi vos, populusque romanus frequens adventu meo gratulatus est.

IV. Tanti me fugacem, mercenarium patronum hi æstimaverunt. Neque hercule mirum est, si ego semper justas omnium amicitias existimavi. Non enim uni privatim ancillatus sum, neque me addixi; sed quantum quisque reipublicæ studuit, tantum mihi fuit aut amicus aut inimicus. Ego nihil plus volui valere quam pacem; multi privatorum audacias nutriverunt. Ego nihil timui nisi leges; multi arma sua timeri voluerunt. Ego nunquam volui quidquam posse, nisi pro vobis ; multi ex vobis potentia freti, in vos suis viribus abusi sunt. Itaque non est mirum, si nullius amicitia usus sum, qui non perpetuo reipublicæ amicus fuit : neque me pœnitet, si aut petenti Vatinio reo patrocinium pollicitus sum, aut Sextii

insolentiam repressi, aut Bibuli patientiam culpavi, aut virtutibus Cæsaris favi : hæ enim laudes egregii civis, et unicæ sunt. Quæ si tu mihi, uti vitia, objicis, temeritas tua reprehenditur, non mea vitia culpabuntur. Plura dicerem, si apud alios mihi esset disserendum, P. C., non apud vos, quos habui omnium actionum mearum monitores. Sed, ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis?

V. Nunc ad te uti revertar, Sallusti, patremque tuum præteream; qui si nunquam in vita sua peccavit, tamen majorem injuriam reipublicæ facere non potuit, quam quod te talem filium genuit. Neque, tu si qua in pueritia peccasti, exsequar, ne parentem tuum videar accusare, qui eo tempore summam tui potestatem habuit; sed qualem adolescentiam egeris. Hac enim demonstrata, facile intelligetur, quam petulanti pueritia, quam impudicus et procax, adoleveris. Posteaquam immensæ gulæ impudicissimi corporis quæstus sufficere non potuit, et ætas tua jam ad ea patienda, quæ alteri facere collibuisset, exoleverat; cupiditatibus infinitis efferebaris, ut, quæ ipse corpori tuo turpia non duxisses, in aliis experireris. Ita non est facile exputare, P. C., utrum inhonestioribus corporis partibus rem quæsierit, an amiserit. Domum paternam vivo patre turpissime venalem habuit, vendidit : et cui dubium potest esse, quin mori coegerit eum, quo hic nondum mortuo pro herede gesserit omnia? Neque pudet a me eum quærere, quis in P. Crassi domo habitet; quum ipse respondere non queat, quis in ipsius habitet paterna domo. At hercule! lapsus ætatis tirocinio, postea sese correxit. Non ita est : sed abiit in sodalitium sacrilegii Nigidiani : bis judicis ad subsellia attractus, extrema fortuna stetit; et ita discessit, uti non hic innocens esse, sed judices pejerasse existimarentur. Primum honorem in quæstura adeptus, hunc locum et hunc ordinem despexit;

cujus aditus sibi quoque, sordidissimo homini, patuisset. Itaque timens, ne facinora ejus clam vos essent, quum omnibus matrum familiarum viris opprobrio esset, confessus est, vobis audientibus, adulterium; neque erubuit ora vestra.

VI. Vixeris, uti libet, Sallusti; egeris, quæ volueris; satis sit, unum te tuorum scelerum conscium esse! noli nobis languorem et soporem nimium exprobrare. Sumus diligentes in tuenda pudicitia uxorum nostrarum; sed ita experrecti non sumus, ut a te cavere possimus: audacia tua vincit studia nostra. Ecquod hunc movere possit, P. C., factum ac dictum turpe, quem non puduit palam, vobis audientibus, adulterium confiteri? Quod si nihil pro me tibi respondere voluissem, sed illud censorium elogium Ap. Claudii et L. Pisonis, integerrimorum virorum, quo usus est quisque eorum, pro lege palam universis recitarem; nonne tibi viderer æternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere non possit? Neque post illum delectum senatus te unquam vidimus; nisi forte in ea te castra conjecisti, quo omnis sentina reipublicæ confluxerat. At idem Sallustius, qui in pace ne senator quidem manserat, posteaquam respublica armis oppressa est, et idem victor, qui exsules reduxit, in senatum post quæsturam reductus est: quem honorem ita gessit, ut nihil in eo non venale habuerit, cujus aliquis emtor fuerit. Ita igitur egit, ut nihil non æquum ac verum duxerit, quod ipsi facere collibuisset; neque aliter vexavit, ac debuit, si quis prædæ loco accepisset magistratum. Peracta quæstura, posteaquam magna pignora eis dederat, cum quibus similitudine vitæ se conjunxerat, unus jam ex illo grege videbatur. Ejus enim partis exemplar erat Sallustius, quo tanquam in imam voraginem cœtus omnium vitiorum excesserat; quidquid impudicorum, cillonum, parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit in urbe, municipiis, coloniis, Italia tota, sicut

in fretis, subsederant, nominis perditi ac notissimi, nulla in parte castris apti, nisi licentia vitiorum, et cupiditate rerum novarum.

VII. At posteaquam prætor factus est, modeste se gessit et abstinenter. Nonne ita provinciam vastavit, ut nihil neque passi sint, neque exspectarint gravius socii nostri in bello, quam experti sunt in pace, hoc Africam interiorem obtinente? unde tantum hic exhausit, quantum potuit aut fide nominum transjici, aut in naves contrudi; tantum, inquam, P. C., exhausit, quantum voluit; ne causam diceret, sestertio duodecies cum Cæsare paciscitur. Quod si quidpiam eorum falsum est; hic palam refelle, unde tu, qui modo ne paternam quidem domum redimere potueris, repente tanquam somnio beatus, hortos pretiosissimos, villam Tiburti C. Cæsaris, reliquas possessiones paraveris? Neque piguit quærere, cur ego P. Crassi domum emissem; quum tu veteris villæ dominus sis, cujus paulo ante fuerat Cæsar? modo, inquam, patrimonio non comeso, sed devorato, quibus rationibus repente factus es tam affluens, et tam beatus? nam quis te faceret heredem, quem ne amicum quidem suum satis honestum quisquam sibi ducit, nisi similis, ac par tui?

VIII. At hercule egregia facta majorum tuorum te extollunt; quorum sive tu es similis, sive illi tui, nihil ad omnium scelus ac nequitiam addi potest. Verum, ut opinor, honores tui te faciunt insolentem. Tu, Crispe Sallusti, tantidem putas esse bis senatorem, et bis quæstorem fieri, quanti bis consularem, et bis triumphalem? Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere: is demum maledicit, qui non potest verum ab altero audire. Sed tu omnium mensarum assecla, omnium cubiculorum in ætate pellex, et idem postea adulter, omnis ordinis turpitudo es, et civilis belli memoria. Quid enim

hoc gravius pati potuimus, quam quod te incolumem in hoc ordine videamus? Desine bonos petulantissima consectari lingua: desine morbo procacitatis isto uti: desine unumquemque moribus tuis æstimare: his moribus amicum tibi facere non potes, videris velle inimicum habere. Finem dicendi faciam, P. C. Sæpe enim vidi gravius offendere animos auditorum eos, qui aliena flagitia aperte dixerunt, quam eos, qui commiserunt. Mihi quidem ratio habenda est, non quid Sallustius merito debeat audire, sed ut ea dicam, si qua ego honeste effari possum.

JULII EXSUPERANTII

OPUSCULUM

DE

MARII, LEPIDI AC SERTORII

BELLIS CIVILIBUS*.

I. Quum Lucius Metellus proconsul contra Jugurtham in Numidiam exercitum duceret, Marium ex gregariis militibus, genere ignobilem, sed virtute præstantem secum habuit. Quem quum militibus quæstorem fecisset, ita se factis fortibus promiserat[1] ut hostibus terrori, romano imperatori carus esset. Sed victimas immolanti numinibus,

* Hoc opusculum suis Sallustii editionibus addiderunt optimi editores, inter quos Cortius et Hav., utpote quod amissæ Sallustianæ Historiæ breviarium quoddam esse videatur. Hoc illi tradunt in uno Sallustii codice, ex bibliotheca Pithœana, post Catilinarium et Jugurthinum bellum inveniri. Et nos quoque id invenimus in Regiæ Bibliothecæ Parisiensis membrana, n° 6085 (quam littera C designare solemus), in qua leguntur etiam, post Exsuperantium, sententiæ Publii Syri. Codex autem ille, qui, teste Catalogo, Mazarinæus fuit, et XI° sæculo exaratus videtur, a vulgatis editionibus in nonnullis locis recedit, et aliqua, quæ obscura aut parum latina videbantur, clariora et elegantiora exhibet; quæ suo quodque loco notare nobis cura erit.

Jam vero Julium Exsuperantium ineunte sæculo quinto vixisse docti arbitrantur, quod Exsuperantium aliquem sui coævum in Itinerario nominat Rutilius. Neque plura de eo ad nostram notitiam pervenere.

Cap. I. 1. *Se..... promiserat.* Se in spem majoris dignitatis extulerat. *Promiserat* idem fere est quod, *porro miserat, protulerat.* Plin. XVI, 26 : « In maxima tamen admiratione pinus est..... Nec ulla arborum avidius se *promittit;* » i. e. in fructum effert, ut ait Rob. Steph.

in oppido Numidarum cui nomen est Utica, haruspices magna quædam impendere Mario responderunt : atque hortati sunt ut quæ vellet, auderet, peteretque celsiora natalibus, meritisque majora, siquidem cuncta videbatur favor spondere fortunæ. Tunc capiendi consulatus invasit magna cupiditas, ad quem petendum, paratis suffragiis[2], relicta provincia Metello, Romam venit : ibique de Metelli rebus loquendo corruptius ac suam extollendo virtutem, effecit animos vulgi cupidos novitatis, in suum excitando favorem, adjuvantibus tribunis plebis. Nam eo tempore inter patres et populum, studio dominationis, erant excitata certamina. Ita factum est ut, quasi in perniciem nobilitatis, quam lacerabat injuriis, Marius novis extolleretur honoribus. Itaque, comitiis consularibus, universus populus, qui ad eligendum convenerat, Marium consulem jussit : et, erepta Metello provincia, in Numidiam missus est.

II. Sed is accepto consulatu[1], quasi spolium victoriæ superatis patribus ostentabat, aperteque se eorum potentiæ profitebatur adversum. Sed quum militem novum scriberet, primus omnium[2] capite censos cives infidosque atque inutiles duxit ad bellum; ut hac ratione, cum publico detrimento, populo gratiam redderet, a quo speratos honores acceperat. Nam populus romanus per classes divisus erat, et pro patrimonii facultate censebatur[3]. Ex iis omnes, quibus res erat[4], ad militiam ducebantur. Diligenter enim pro victoria laborabant, qui cum libertate[5], bona, patriam defendebant. Illi autem quibus nullæ

2. *Paratis suffragiis.* Sic codex regius. Vulg. *paratus suffragiis.*

Cap. II. 1. *Sed is accepto consulatu.* Sic idem codex. Vulg. abest *sed.*

2. *Primus omnium.* Hoc fert noster; optime, ut arbitror. Vulgo, *primum omnium.*

3. *Censebatur.* Fuit primum in codice nostro *censebantur*; sed erasa est littera *n.*

4. *Ex iis omnes, quibus res erat.* Noster, *et hi omnes, quibus res erant.* Hic vulgatam præferendam censui.

5. *Cum libertate.* Vulgo *ex liber-*

opes erant, caput suum, quod solum possidebant, censebantur, et belli tempore in mœnibus residebant. Facile enim poterant exsistere proditores; quia egestas haud facile habetur sine damno[6]. Hos igitur Marius, quibus non fuerat respublica committenda, duxit ad bellum. Sed forte[7] secum L. Syllam legatum unum de nobilibus in provinciam duxit, atque ibi confecto feliciter bello, et Jugurtha capto, ad urbem rediere victores. Atque statim, virtute cognita, Marius in Galliam missus[8], quæ tunc romanos fines hostili incursione vexabat.

III. Eodem tempore, Mithridates cum magnis copiis universam Asiam urbesque sociorum expugnando atque vastando cœpit adfligere. Ad quem coercendum L. Sylla est cum exercitu destinatus, cujus in africano bello probata erat corporis atque animi magnitudo. Hoc ubi Mario compertum est, terminare quod gerebat prælium festinavit: et homo infinitæ cupidus gloriæ, non patiebatur libertatem dignitatemque romanam alterius virtute defendi. Contusis igitur Gallis, vastataque natione penitus barbarorum, Romam iterum victor intravit.

Itaque instinctu ejus, Sulpicius, tribunus plebis, legem tulit, ut auferretur Syllæ provincia ac Mario daretur. Hoc Syllæ ubi nunciatum est, Murenam legatum suum provinciæ Valerianisque præfecit militibus, quos infidos bellis existimabat esse civilibus; et cum parte exercitus, injuriæ dolore commotus, ad exstinguendam Marianam venit factionem. Statim ut Romam venit, resistentem sibi

tate. Jam Cortius conjecit *cum libertate,* quod noster diserte exhibet; nam non *ē*, sed *c̄* scriptum est; quo signo sæpe notatur præpos. *cum.*

6. *Quia egestas haud facile habetur sine damno.* In Catil. XXXVII, dixit Sallust.: *Egestas facile habetur sine damno;* i. e. facile est egestatem a damno et jactura tueri. Quod Exsuperantium non intellexisse constat, quum sententiam corruperit, addendo *haud.*

7. *Sed forte secum.* Sic noster. Vulgo abest *secum.*

8. *In Galliam missus.* Sc. adversus Cimbros et Teutones. Jug. CXIV.

Sulpicium et seditiosis concionibus romanum populum disturbantem, cum multis quos sibi socios adsciverat, trucidavit; atque Marium ipsum machinatorem tantæ contumeliæ, in exsilium impetu detrusit armorum. Atque ille (quotiens victor!) per Gallorum atque Afrorum rura, quæ ipse vastaverat, naufragus atque egenus erravit.

IV. Dum hæc aguntur, Cinna et Octavius facti sunt consules : quorum Cinna de partibus Marianis fuit. Hic legem tulit, ut novi cives, qui aliqua ratione romanam acceperant civitatem, cum veteribus, nulla discretione, suffragium ferrent. Hoc videlicet in eorum gratiam faciebat, qui Marium suffragiis suis extulerant, et amplissimis honoribus decorarant. Sed hæc lex injuriosa erat in veteres cives, qui meritum dignitatis videbantur amittere, si cum novis indignis in ferendo suffragio jungerentur. Ob hoc itaque Octavius collega commotus, ut seditionibus privaretur[1], collegam suum Cinnam, adnitentibus veteribus civibus, in exsilium misit armatus, munitus videlicet copiis Syllæ. Quæ quum agerentur, maximus ex utrisque partibus civium numerus interemptus est. Expulsus igitur Cinna quum vagaretur, ad Africam, ubi Marius inops erat, forte pervenit : atque ibi communicato consilio, sollicitatis animis perditorum, et de ergastulis erutis servis, exercitum confecerunt; et armata validissima manu juventutis ad urbem venerunt, atque Octavium Syllæ satellitem superatum necaverunt. Tunc varia crudelitas pervagata est, ut nobilitas omnis ad fugitivorum trucidaretur arbitrium[2] : atque eo immanis sævitia Cinnæ fuit,

Cap. IV. 1. *Ut seditionibus privaretur.* Ut respublica sine seditionibus esset. Dictio suspectæ latinitatis.

2. *Ad fugitivorum... arbitrium.* Scriptores latini *fugitivos* intelligere solent, servos a dominis profugos; monetque Cortius hic quoque sic accipi eam vocem. Et modo quidem dixit servos ex ergastulis ereptos a Mario et Cinna fuisse. Fieri tamen possit, ut ipse auctor intellexerit Marium et ejus fugæ comites; quoniam statim Cinnam inter trucidatores nominat.

ut nec illis parceret, quorum opera erat victor effectus. Et quum hac insolentia in omnes communiter baccharetur, quum haberet conciones[3], a militibus suis occisus est. Tum Marius ne sine socio[4] dominatum sustinere non posset, in locum, Carbonem sibi in septimo consulatu collegam subrogavit.

V. Tum Sylla, tanta indignatione commotus, contra Marium[1] atque Carbonem exercitum duxit; et inter se ferali certamine romani exercitus conflixere. In quo bello superatus est Marius. Tum vero Sylla victor, quidquid in urbe remanserat, crudeliter persequutus est; et rempublicam vindicatam non reddidit legibus, sed ipse possedit: ac se talem præbuit, ut Cinnana ac Mariana, quam ultum ierat[2], dominatio quæreretur. Hinc Sallustius: «Bonis initiis malos eventus habuit.» Nam fuerunt bona principia, quod oppressam voluit civium defendere libertatem; mali eventus, quod superatis dominis et ducibus sævis, gravius ipse civitatem quassavit, qui se publicæ calamitatis fore promiserat defensorem. Hic, quum teneret imperium, multas leges ac jura præscripsit, multis civitatibus immunitates[3] vectigalium dedit, multos romana civitate donavit.

3. *Quum haberet conciones.* Dissentiunt in morte Cinnæ scriptores, quod ostendet nota Puteani ad Velleium, II, 24. Noster sequitur Appian. Bell. Civ. I. Cortius.

4. *Tum Marius, ne sine socio.* Fallitur auctor. Marius enim prior mortuus est, et Cinna, in ejus locum, Valerium Flaccum consulem subrogavit; quo interfecto in Asia, Carbonem assumpsit. Vide Appian. et reliquos. Abstractus est, quod videret Marium juvenem, illius Marii qui septies consul fuit, filium ab Floro, Livio aliisque, cum Carbone consulem prodi. Cortius. — *In locum.* Scilicet Cinnæ.

Cap. V. 1. *Contra Marium.* Juvenem scilicet, quamvis patrem intellexerit Exsuperantius. Vid. Appian. Bell. Civ. I; Vell. II, 25 et seqq.

2. *Quam ultum ierat.* Sic optime noster. Vulgo, *quod ultum erat;* quam lectionem frustra tueri nititur Cortius, quum non meliorem noverit. — *Quod superatis dominis.* Sic Cort. et Haverc. Noster: *ut superatis dominis.*

3. *Multis civitatibus immunitates.* Vulgo, *multas.... immunitates.* Jam Cortius conjecit *multis*, quod disserte exhibet noster.

VI. Hujus acta dum conatur Lepidus in suo consulatu subvertere, contra collegam Catulum civile prælium gessit et victus est. Nam congregatis iis, in quorum possessiones novos colonos de suis militibus Sylla victor immisit, ac sibi conjunctis liberis proscriptorum, ingentem congregavit exercitum pollicendo, si vicissent, se bona patria restituturum. Plebi quoque, multis muneribus publice privatimque largitis[1], carus videbatur, ac publicæ libertatis adsertor. Sed in Etruriæ littore[2] commisso prælio, cœperat Lepidus esse superior, per armatam multitudinem quæ, odio rerum Syllanarum, se Lepidi partibus applicarat. Sed Pompeius de Gallia rediens, non passus est Lepidi audaciam cum publicis detrimentis impune bacchari. Nam fugientes ejus copias ac se implicantes festinatione formidinis, ita prostravit, ut majore numero privatus in Sardiniam confugeret; ut impedito commeatu populum romanum fatigaret inopia, ac suas vires armis copiisque et omni instrumento reficeret. Atque ibi contrario proprætore[3], variis præliis gravibusque conflixit. Nam sollertissime tutando provinciam, effecit ut Lepidi consilia vana forent. Undique enim prohibitus, et munitionibus a civitatium expugnatione depulsus[4], nequivit cogitata perficere. Ac dum multa parat, morbo gravi oppressus et mortuus est.

Cap. VI. 1. *Publice privatimque largitis.* Sic noster. Jamque Cortius non conjecerat modo, sed rescripserat *largitis*, pro nominativo *largitus*, qui ante eum scribebatur estque etiam in Haverc. Ipse Sallust. Fragm. p. 348, passive dixit: *dilargitis proscriptorum bonis.*

2. *Sed in Etruriæ littore.* Hav. *In Etruri littore*, quod etiam noster, evidenti errore. Jam Cortius rescripsit, *Etruriæ.*

3. *Contrario proprætore.* Sic vulg. Item noster. Cortius conjicit, *cum contrario* (i. e. adverso) *proprætore.* Vide an legendum potius, *cum Triario proprætore.*

4. *Et munitionibus a civitatium expugnatione depulsus.* Sic noster, clarissimo sensu; pro vulgato, *et munitionibus ac civitatum expugnatione depulsus*, quod probum sensum non efficere jam viderat Cortius. *Civitatium* dixit, antiquo et Sallustiano more, pro *civitatum* (vide Catil. XL, n. 4). — *Oppressus et mortuus est.* Sic noster. Vulg. *ac mortuus est.*

VII. Cujus socius et administer Perpenna, ob delictum tanti facinoris supplicium timens, ex Sardinia in Hispaniam transvectus est; ac se Sertorio sociavit, qui tum romanis armis quassabat imperium. Nam hic Sertorius de Marii partibus fuit. Nam, Norbano et Scipione consulibus, quum ex Asia Sylla contra Marium atque factionem veniret infestus, timens senatus iram, ne malo publico certamina inter duces orirentur, statuit, ut curarent consules, ne respublica acciperet detrimentum. Hoc itaque senatus-consulto excitati consules, contra venientem Syllam atque omnibus exitium minitantem, præsidia sibi cujusque generis parare cœperunt, et duces idoneos ad quorum industriam pertineret cura bellorum, in queis elegere Sertorium. Parato validissimo exercitu processere; et vetante Sertorio, colloquia consules permiserunt inter suum et Syllæ exercitum, et facta proditio est, omnisque exercitus Syllæ traditur. Tunc Sertorius destitutus, omnique copiarum nudatus auxilio, in Etruriam confugit, iram metuens Syllæ, ne exigeret gravem quasi de superato hoste[1] vindictam. Erat autem Etruria[2] fidissima partibus Marianis, qui ab ipsis romanam, quam antea non habebant, acceperant civitatem. Timentes igitur Etrusci, ne beneficium tantæ dignitatis, a Marianis acceptum, Sylla revocaret, si adversæ partes essent amputatæ[3], penitus ad Sertorium se, atque alios ejusdem factionis duces applicarunt, omnia quæ imperarentur[4], sine recusatione promittentes esse facturos. Itaque factum est, ut rursus firmissimus XL cohortium comportaretur exercitus. Nam et multi milites qui se venienti Syllæ tradiderant, frustra-

Cap. VII. 1. *Quasi de superato hoste.* Sic noster. Vulgo abest *quasi.*

2. *Erat autem Etruria*, etc. Cortius monet in MS. fuisse *in Etruria*, quod etiam in nostro vidimus. — *Qui.* Scil. Etrusci; quæ notio latet in voce *Etruria.*

3. *Amputatæ.* Afflictæ, concisæ.

4. *Omnia quæ imperarentur.* Sic noster. Vulgo *imperarent.*

VARIÆ LECTIONES

QUIBUS ALIQUA NOTIS ADDENDA INTERSERUNTUR.

CATILINA.

Cap. I. *Sese student præstare.* Nostri A et E, *student sese præstare.* Supervacaneum duximus monere rem vel tironibus notam, *sese* cum *præstare*, non cum *student*, jungendum esse.

Animalibus. Nonnulli, *animantibus.*

Animi imperio, corporis servitio magis utimur. Sententiam huic persimilem feliciter admodum expressit vir inter nostrates altitudine ingenii celeberrimus, *De Bonald, Recherches philosophiques :* « L'HOMME EST UNE INTELLIGENCE SERVIE PAR DES ORGANES.

Cum dis. Nostri omnes, *diis.* Sed egregie ostendit Cortius etiam Prisciani ætate positas fuisse pro monosyllabis voces *dii* et *diis*, et per unum *i* scriptas. Item de verbis *imperi, ædifici, peculi, isdem;* quæ per longum *I* scribit Vossius de Arte Grammat. XXIX : sed hoc non semper observatum fuisse ex Grutero et Norisio constat.

Inter mortalis. Vox frequens apud Sallustium amplius aliquid, quam *homines*, significans. « Nam, inquit Fronto, apud Gellium, XIII, 28, multorum hominum appellatio intra modicum quoque numerum cohiberi atque includi potest; multi autem mortales, nescio quo pacto et quodam sensu inenarrabili omne fere genus..... et ordinum, et ætatium, et sexus comprehendunt. » Ceterum totum de hac re Gellii caput maximo cum fructu legetur.

Veget. A, B, C, D, *eget.* E, *indiget.* Unus apud Haverc. *augetur.* Havercamp. sequuti sumus.

Cap. III. *Ac mihi quidem.* B, D, E et plures Cortiani, *at* mihi quidem.

Auctorem rerum. In nostro C, erasum est *u*, ita ut nunc legatur *actorem.* Ceteri, *auctorem.*

Facta dictis sunt exæquanda. B, E, *exequenda.*

Studio ad rempublicam latus sum. E, *a studio ad rempublicam delatus sum;* quod longe dissimilem sensum efficit. Prius habent C et D, sine ulla varietate. Item Cortius; quamvis multi ejus codices exhibeant *a studio.* Scilicet isti librarii intellexerunt : *relicto litterarum studio, reipublicæ operam dedi.* Sallustius autem dixit : *Studium meum et animi propensio ad capessenda reipublicæ munia me impulit.*

Quum ab reliquorum malis moribus. Sic Cortius et noster C; optime. Ceteri, *ab reliquis.*

Honoris cupido eadem, quæ ceteros, fama atque invidia vexabat. Intelleximus : *eadem me, quæ ceteros, honoris cupido, per famam et invidiam vexabat.* Forsan satius fuerit cum Cortio intelligere : *me vexabat honoris cupido*, propterea que me vexabat etiam *eadem, quæ ceteros, fama atque invidia;* quod tamen eodem redit. Noster A, pro *eadem quæ*, habet *eademque..... vexabant.* Jam conjecit Cortius : *honoris cupido, eademque, quæ ceteros, fama atque invidia.* Sed Sallustianum est conjunctionem omittere.

Cap. IV. *Procul habendam decrevi.* D, *mihi....procul agere decrevi;* male.

Cap. V. *Supra quam cuiquam.* Cortius, *supra quam cuique.* Nostrorum quatuor, *cuiquam.* C neutrum habet.

Satis loquentiæ, sapientiæ parum. Ita E, ubi tamen suspicor scriptum fuisse *eloquentiæ*, et *e* postea erasum. Ceteri *eloquentiæ.* B, *satis eloquentiæ, parum scientiæ;* perperam.

Ex pulcherruma. Sic quatuor e nostris; solus E, *ex pulcherrima atque optima.*

Cap. VI. *Metu percussi.* Ita Cortius ex optimis MSS. Nostri omnes *perculsi.* Eligat lector.

Cap. VII. *Nam regibus boni, quam mali suspectiores sunt.* Rem dilucide explanavit *Montesquieu, Esp. des Lois*, III, 5.

In castris usu militiam discebat. Cortius, *in castris per usum....* A, C, D, E, *in castris per laborem usu....* Bipontinum, qui et ipse Rupertum, sequuti sumus.

Sic quisque hostem ferire, etc. Ita plures Cortiani. Nostri omnes, *sic se quisque.* Ipse Cortius *sese quisque.*

Divitias honestas. Decentes, et convenientes conditioni suæ; quæ sufficerent rei familiari, ne *turpe* aliquid pati cogerentur. Cortius.

Cap. VIII. *Sed profecto fortuna*, etc. *Montesquieu, Gr. et déc. ch.* I: *Les places que la postérité donne sont sujettes comme les autres aux caprices de la fortune. Malheur à la réputation de tout prince qui est opprimé par un parti qui devient le dominant, ou qui a tenté de détruire un préjugé qui lui survit!* Cujus sententiæ initium quam sit Sallustiano loco simile, per se apparet.

Scriptorum magna ingenia. C, *magna scriptorum ingenia.* Hic, in nota, contulimus *robora virorum* ex Curtio, III, 5; lege III, 2.

Ita eorum qui ea fecere, etc. Nostri omnes totam phrasim exhibent, ut edidimus; nisi quod E, *quantum ea facta verbis potuere extollere.* Cortius: *Ita eorum, qui fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere*, etc.

Cap. IX. *In amicis fideles erant.* A, C, D, *in amicos.* E, *in amicis.* B habet quoque *in amicis*, sed prius habuit *in amicos.* Correctio ex perantiqua, si non ex eadem, manu est.

Cap. X. *Cuncta maria terræque patebant.* Sic nostri omnes. Ciacc. male, *parebant.* Patebant scilicet atque aperta erant romanis armis atque imperio.

Deos neglegere. Sic nostri C, D, E, et optimi Cortiani. A, B, *negligere.*

Post, ubi contagio, quasi pestilentia, invasit. Sic A, B, C, sine ulla interpunctione. E, *cunctos invasit.* D, *contagium.*

Cap. XI. *Propius virtutem.* Ita C. Sed B, D, E, *virtuti.* A, *virtuti*; sed ultima littera immutata fuisse videtur.

Bonus, ignavus. Nostri omnes, *bonus et ignavus.* Cortium sequuti sumus, qui ad hæc : nostri retinent copulam præter Struvianum, qui, ut vetusti quidam Riviani, ejicit, pro more Sallustii ceterorumque, quando diversa duo conjungunt. Jug. LI : *arma, tela; equi, viri; hostes, cives permixti;* LX : *clamor permixtus hortatione, lætitia, gemitu*; XCVII : *equites, pedites permixti*..... Plaut. Asin. I, 3, 94 : « Dignos, indignos adire atque experiri certum est mihi. » etc., etc.

Ex bonis initiis. Sic ex Bip. et Grutero edidimus. Cortius, *bonis initiis.* Item nostri A, B, C, E, nisi quod B habet ex supra lineam, altera manu. D, *de bonis initiis.*

Fœda crudeliaque in civibus *facinora facere.* Nostri omnes, *in cives.* Vide notam 13, cui addemus ex Justino, XXXVIII, 6 : « Neque *in se uno*, sed *in aliis* quoque *omnibus* hac semper arte grassatos. » Et ex Senec. Thyest. *v.* 311 : *In patre* facient, quidquid *in patruo* doces. »

L. Sulla, exercitum quem in Asia ductaverat. Sic C, D. *Ductaverat in Asia*, A, B. Sed E corrupte, *quem asyam ductaverat.* Conferatur *Montesquieu, Grand. et Déc.* totum caput XI, hoeque imprimis : « *Il ruina dans son expédition d'Asie toute la discipline militaire; il accoutuma son armée aux rapines, et lui donna des besoins qu'elle n'avait jamais eus. Il corrompit une fois des soldats, qui devaient dans la suite corrompre les capitaines.* »

Ne illi corruptis moribus. Sic A, C. Reliqui, *nedum.* — *Temperarent.* Sic C, D, optime. Reliqui male, *obtemperarent.* In E calamo inducta est prima syllaba *ob.*

Cap. XII. *Nihil pensi atque moderati habere.* Sic Cortius et noster A. Sed B, *neque moderati.* C, E, *nihilque.* D, *neque quidquam.*

Quæ fortissimi viri victores hostibus reliquerunt. Sic ex Hav. et Bip. edidimus. Forsan abundet *hostibus*, quod nullus nostrorum agnoscit, rejicitque Cortius. Quanquam tres apud eum codd. hanc vocem habent.

Cap. XIII. *Maria constrecta.* Sic A. Ceteri, *constrata.* Exemplum affert Vell. II, 33 : « Lucullus, summus alioqui vir, profusæ hujus in ædificiis, convictibus et apparatibus luxuriæ primus auctor fuit. Quem ob *injectas moles mari*, et receptum *suffossis montibus* in terras mare, haud infacete Magnus Pompeius Xerxem togatum vocare assueverat. »

Viri pati muliebria. Sic ex Bip. edidimus. Cortius, *viros* : repetit nempe ex antecedentibus, *lubido incesserat viros*, etc. Duo codd. apud Haverc. et plures Cortiani, *viri.* Nostri omnes, *viros.* Utique sensus patet.

Dormire priusquam somni cupido esset. Seneca, Epist. CXXII : « Sunt qui officia lucis noctisque pervertunt, qualis illorum conditio dicitur, quos natura pedibus nostris subditos e contrario posuit. »

Ea omnia luxu antecapere. Sibi videlicet ea omnia per artem quærendo. Famem nempe luxu antecapiunt, dum, ut ait Seneca, ad Helv. IX,

« vomunt ut edant; edunt ut vomant, et epulas quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. » SITIM vero præcipiunt, qui, inquit idem, Ep. CXXII, « jejuni bibant; qui vinum recipiunt inanibus venis; » et qui quærunt (CXIX) « quemadmodum sitim prima potione sedatam revocent. » Porro per sudorem sitim sibi conciliabant, teste Columella, in præfat.; cujus verba hæc sunt: *educto sudore sitim quærimus.* Et FRIGUS quoque contra naturam captabant in subterraneis porticibus, quas Vitruvius alicubi hypogæas deambulationes nominat. De his S. Ambrosius, Ep. XII: « Luxuriosum est hypogæa quærere, captantium frigus æstivum, eo quod resoluti deliciis æstus aliter ferre ac tolerare nequeant, et ideo quærant umbrosa penetralia. » Vide etiam Salmasium et Casaubonum ad Spartian. Adrian. X; et Plin. Epist. V, 6. Item Suet. Aug. LXXXII: « Æstate apertis cubiculi foribus, ac sæpe in peristylio saliente aqua, atque etiam ventilante aliquo, cubabat. » Et Claudian. in Eutrop. I, 108:

> Et quum se rapido fessam projecerat æstu,
> Patricius roseis pavonum ventilat alis.

Erant enim flabella elegantiorum pavonina, ut etiam Martialis indicat. LASSITUDINEM denique quærebant, cursu, gestatione, aliisque exercitationibus, quæ ad tuendam valetudinem reperta, luxus in delicias trahebat. Senec. de Brevit. vitæ, XII: « Nec illos quidem inter otiosos numeraveris, qui sella se et lectica huc et illuc ferunt, et ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt. Quos quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare, alius admonet; et eo usque nimis delicati animi languore solvuntur, ut per se scire non possint, an esuriant. »

CAP. XIV. *Omnium flagitiorum atque facinorum.* Sic A, C, D, optime. B, E, *omnium flagitiosorum atque facinorosorum.*

Ganeo, manu, ventre, etc. A, *alea, ganeo, manu, ventre.* B, *Ganeo*, supra lineam; *alea, manu, ventre.* Et C, E, *Ganeo, alea, manu, ventre.* D non habet *alea*, quam interpretationem credimus vocis *manu.*

Laceraverat. A, *dissipaverat.* Ceteri, ut edidimus.

Quam quod cuiquam id compertum foret. Sic A, C; sed B, omittit *quam;* D, E, omittunt *quod.*

CAP. XV. *Cum virgine nobili, cum sacerdote Vestæ.* Ita nostri omnes, nisi quod B, *deæ Vestæ.*

Et alia hujuscemodi. Nullus nostrorum agnoscit *et;* quod si integrum esset, recideremus. — De sceleribus Catilinæ, vide supra, p. 117 et seqq.

Privignum adulta ætate. Sic A. Ceteri, *adultum.*

Quietibus. Ad hoc Cortius: « Eo numero etiam Cicero, Offic. I, 29: « Ludo autem et joco uti illo quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris. »

Ita conscientia mentem excitam vastabat. Sic optime C, D, E. Sed A, *exagitatam*, et supra lineam, *excitatam;* item *vastabat*, et supra, *vexabat.*

B credo habuisse *excitam*, nam vox prope deleta est; habet autem *vexabat*. Unice verum est, quod cum Cortio edidimus.

Cap. XVI. *Ipsi consulatum petundi magna spes*. Sic A, D, E, nisi quod pro *petundi* habent *petendi*. C, *petenti*; B, *ipsi Catilinæ consulatum petendi magna spes erat*. Bene igitur est, quod dedimus; jamque suis MSS. Cortius confirmaverat. Conjecit Gruterus, *potiundi*; nosque verba *petundi magna spes* ad hunc sensum traximus. Idem aliquando sensisse se ait Cortius; qui tamen postea suspicatus est, spem tunc temporis fuisse Catilinæ *petendi* tantummodo, necdum *adipiscendi* consulatum. Nam prius erat *petere*, quam *eligi*; nec vero cuivis *petere* licebat, teste Velleio, II, 92. Imo ipse Catilina id frustra tentaverat, anno 688 (vide infra, c. XVIII, et Fast. Conjur.), destiteratque invitus a petitione. Sed, jam anno 689, rursus consulatum ambiit in annum 691, candidatusque erat, quum circiter kal. junias anni 690, socios suæ conjurationis convocavit. Non ergo satis causæ est, cur nos prioris sententiæ pœniteat. Rem tamen peritioribus judicandam libenter relinquimus.

Opportuna Catilinæ erant. Nullus nostrorum habet hoc *erant*. Bene igitur fecerit, qui id recidet.

Cap. XVII. *Participes nobiles*. Sic omnes nostri.

Cap. XVIII. *Sed antea item conjuravere pauci..... de quo*. Nostri omnes, *de qua*, (scilicet *conjuratione*). Alterum edidimus ex Havercamp. Nunc movet nos codd. auctoritas, ut cum Cortio malimus, *de qua*.

Quam verissume. Sic A, B, C, D. Sed E, *quam brevius*, et supra lineam, multo recentiore manu, *verissime*.

Cap. XIX. *Boni quam plures*. Sic D. Ceteri, *complures*.

In provincia.... iter faciens occisus est. Sic A. Ceteri *in provinciam*. Hoc quoque edidit Cortius, et intelligit *intra provinciam*, multisque contendit promiscue quartum et sextum casum usurpavisse Veteres, etiamsi *motus* non esset. De hac re quid sentiamus vide Jug. CXII, n. 3. Quod ad Pisonem attinet, non ibat in provinciam, sed jam in provincia erat, quum occisus est. Hoc patet ex sequentibus, et ex Dione, XXXVI, et præsertim ex Asconio ad Cic. Orat. in Tog. Cand. « Piso..... perierat in Hispania, missus a senatu per honorem legationis ..... Ubique dum injuriam provincialibus facit, occisus erat, ut quidam credebant, a Cn. Pompeii clientibus, Pompeio non invito. »

Quos in exercitu ductabat. Qui in ejus exercitu erant. C, E, *in exercitum*. Ceteri, ut edidimus.

Cap. XX. *Spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent*. Sic A, C, D. *Spes magna dominationis..... fuisset*, B, E.

Simul quia vobis, eadem quæ mihi, bona malaque intellexi. C et D, *malaque esse intellexi*. A, *eademque*, pro *eadem quæ*, facili lapsu. Cortius hæc omnia arbitrio suo mutavit, finxitque: *Simul quia vobis, eadem mihi, bona malaque intellexi*. Intelligit *eadem mihi*, ut Græci ταὐτὰ ἐμοί, non inusitato apud Latinos hellenismo.

In paucorum jus atque ditionem concessit. Vulgo, et nostri omnes, *pau-*

corum potentium; quod damnat Cortius. Vide infr. ad Jug. cap. XXXI.

Quæ quousque tandem patiemini, fortissumi viri. Sic E. Ceteri, *o fortiss. viri.*

Hæc ..... vobiscum consul agam. Ita edidit Cortius ex optimis suis codd. Nostri omnes *vobiscum una*, vel *una vobiscum.* — *Nisi forte me animus fallit.* Cortius delet *me*, quod nostri codd. retinent.

Cap. XXI. *Cum eo se consulem.* Sic A, C, D, E. Sed B, *cum eo consule initium agendi facturum*; omisso *se*, et in margine adscripto, altera manu. — E, *agendi belli*; male. Cortius ex varietate codd. ansam arripit ad fingendam novam lectionem: *eo consulem initium agendi facturum*; intelligitque EO, *propterea.*

Admonebat alium egestatis. Sic A, B, C. Male D, *admonebat alium* causa *egestatis.* E, *monere*; cui præpositum est recentiori manu, *ad*; et supra syllabam ultimam *re*, additum *bat*, interpretationis causa, manuque non recenti.

Atque eo, dictitare, fecisse. Sic B, C, D. Omittit A verbum *fecisse*, quod in E manifesto erasum est. Manent adhuc vestigia.

Cap. XXIII. *Sed in ea conventione.* Sic D. Ceteri, *conjuratione.* Prius optimis confirmat argumentis Cortius.

Probri gratia moverant. Omnes nostri, *amoverant.* Præterea B et E, *a senatu.* Edidimus *moverant*, cum Bip. qui ipse Rivium sequutus est. Hoc invenisse se testatur Riv. in cod. Fabriciano; et sic quidem fere Veteres loquebantur. Fortasse illa vocalis *a* in antecedente dictione extrema, in eum errorem librarios induxit, ut hanc quoque in sequenti scriberent.

Huic homini non minor vanitas quam audacia inerat. Sic A. Ceteri..... *vanitas inerat quam audacia.* Deest *inerat* in quibusdam Cortianis; quod ideo Cortius omnino recidit.

Nisi obnoxia foret. Plures e nostris, *nisi sibi*, vel *ni sibi.* Variant inter se. D, ut edidimus.

Quæ quoque modo audierat. Sic habuit C. Sed ex *quoque* erasum est *que*, et rescriptum, *quæ et quo modo*. Hoc quoque habent A, B, D. Corruptum est E.

Invidia æstuabat. Sic B et E, optime. A, *æstimabat*, et supra lineam, *æstuabat.* Duo reliqui, corrupte, *invidiam æstimabat.*

Cap. XXIV. *Adscivisse dicitur.* Nostri omnes, *adscivisse* sibi *dicitur.* Optimorum fide codd. delevit Cortius.

Cap. XXV. *Quam decus atque pudicitia fuit.* Sic A, C, D. Ceteri, *fuere.*

Lubidine sic accensa. Ita nostri omnes. In A, super *libidine*, rescriptum est *libido*; hoque Cortius prætulit ex nonnullis suorum.

Cap. XXVI. *Neque petitio, neque insidiæ.* Sic omnes præter B in quo legitur *petitiones.* Hoc etiam habent plures Cortiani. Sed ipse Cortius animadvertit de ultima tantum petitione sermonem esse.

Cap. XXVIII. *L. Vargunteius.* Sic A, C. *Uuargunteius*, D. *Guargunteius*, B, E. Eadem litterarum mutatione factum est ex *Willelmo, Guillelmus*, et sexcenta ejusmodi.

Curius ubi intellegit. Pro *intelligit*, quod habet A. — C, *intellegit quan-*

tum..... impendeat; prorsus ut edidimus. B, prima manu, *intelligit quantum..... impendebat;* secunda, *intellexit.* D, *intellegit quantum periculum consuli impendisset.* In E sciolus aliquis duas ultimas syllabas verborum, *intelligit* et *impendeat*, erasit, dediteque ex suo, *intellexerat, impendebat.*

Cap. XXIX. *Nulli earum rerum consuli jus est.* Ita nostri omnes, nisi quod B, *ulli earum rerum consuli jus non est.* Rivius, Gruterus, Cortiusque in nonnullis codicibus affirmant esse, *nullius earum rerum.* Cortius tamen et Haverc. retinent *nulli*, nec immerito, ut arbitror. Nam verisimile non est in mentem librario alicui venisse, scribere *nulli* pro *nullius.* Reposuerit potius aliquis *nullius*, quum *nulli* non intelligeret. Quanquam fieri posse non nego, ut inscius erraverit, qui primus scripsit *nulli.* Quæ res utcumque sit, vox *nulli* non jungenda est cum *consuli*, sed cum vocibus, *earum rerum.* Itaque *nulli* secundus casus, neutr. generis, erit. Probavimus enim Catil. II, n. 24, Veteres dixisse *nulli, nullo; soli, solo.* Ter. Andr. III, 5, 2: « Quandoquidem tam iners, tam *nulli* consilii sum. »

Cap. XXX. *Quas Fæsulis allatas sibi dicebat.* Haverc. *Adlatas sibi dicebat a Q. Fabio.* Sed voces *a Q. Fabio* in nullis MSS. esse testantur Gruter. et Cortius; nec certe sunt in nostris. Primus hæc infarsit C. Popma, ex auctoritate nescio qua; tanquam necessarium sit posteritatem scire, quis litteras attulerit.

Igitur senati decreto. Diximus in notis, qua auctoritate repositum fuerit *senati.* Ceterum nostri omnes habent *senatus.* Scilicet, se barbaros credidissent librarii, si formam antiquam retinuissent.

Itemque uti gladiatoriæ familiæ. A, C, D, E, *itemque decrevere.* Cortius intrusum suspicatur *decrevere*; ideo uncinis includit. Sed neque hoc verbum ponit post *ad hoc;* ita ut, si illi crederetur, omnino abesset. Nos illud cum Bip. æquiori loco reposuimus. Ceterum totus locus in A sic concipitur: « ad hoc, si quis indicavisset de conjuratione quæ contra rempublicam facta erat, præmium servo libertatem et S. C. (sestertia centum); libero impunitatem ejus rei et sestertiorum *ter* ducenta millia: *itemque decrevere* uti gladiatoriæ familiæ.... » Illud *ter* in suis nonnullis etiam vidit Cortius, quod natum esse credit ex extremitate vocis *sestertiorum.* D, *sestertia ducenta millia:* ubi abundat vox *millia;* nam *sestertia ducenta* per se esse *ducenta millia sestertiorum* nemo ignorat. In B *decrevere* bis comparet: *præmium decrevere servo libertatem..... Item decrevere uti.....*

Cap. XXXI. *Rogitare, omnia pavere.* Sic A, C, E. Sed B, *rogitare deos.* D, *rogitare*, et supra lineam, *deos*, altera, ut videtur, manu.

Et quasi sui expurgandi. « Sic Aldina, Crispinus, aliique. Alii et scripti et editi, *aut sui*, alii *et sui.* Gruterus ejusque sequaces, *et ut sui.* Cortius lectionem Aldinam dissimulans fecit, *atque sui.* » Bipont. Nostri omnes *aut sui;* nisi quod B, *haud sui*, et supra lineam, *aut.*

Postulare, patres conscripti ne quid de se temere crederent. A, B, E, *postulare a patribus cœpit, ne quid*, etc. C, D, *postulare patribus cœpit.* Nihil certius, quam hoc, *patribus cœpit*, natum esse e compendio scripturæ P. C.; deinde librarium aliquem, quum barbarum esse, *postulare patribus*, intelligeret, addidisse præpositionem.

Inquilinus civis urbis Romæ. Sic omnes nostri et Cortiani. Frustra igitur Gruterus deleri velit, *urbis Romæ.*

Cap. XXXII. *Optumum factum.* Sic scripsimus ex Haverc. et Cortio. Causas diximus, Catil. LV, n. 2. Nostri omnes, *factu;* nisi quod E, supra *u*, videtur habuisse lineolam, qua littera *m* repræsentatur.

Manlius ex suo numero ad Marcium regem mittit. Haverc. *legatos ad Q. Marcium regem.* A. *ad Marc. reg. legatos mittit.* B, *legatos mittit ad Marc. Reg.* C, D, *legatos ad Marc. Reg. mittit;* E item, nisi quod habet, *misit.* Est in omnibus nostris vox *legatos*, sed varia positione. Abest a nonnullis Cortianis; eamque delevit Cortius.

Cap. XXXIII. *Plerique patriæ, sed omnes fama atque fortunis expertes.* Sic A et C. Ceteri, *patria.* Nempe librarios offendit casus mutatio.

Sæpe majores vestrum miseriti plebis romanæ. Omnes, *miserti.* B, et E, *majores nostri.* A, C, D, *majores vestri.* Vide quæ ad hunc locum notavimus. Cortius et Riv. tuentur *miseriti.*

Argentum ære solutum est. Sic quatuor nostri. Solus E, *ex communi ære;* inscitia librarii. Nam alii ignorantes quid sit *ære argentum solvere*, supra vocem *ære* scripserant, interpretandi causa, *communi.* Ille vero hoc in textum intrusit.

Cap. XXXIV. *Ad hæc Q. Marcius.* Haverc. *respondit.* Item nostri omnes. Quod verbum ab optimis MSS. abesse testantur Wasse et Cortius, hicque abjecit; recte, ut opinor.

Cap. XXXV. *Gratam in magnis periculis fiduciam.* Hanc lectionem optimis rationibus tuetur Cortius, quas hic referre longum sit. Quatnor e nostris, ut vulg. edd., *grata mihi magnis in meis periculis fiduciam.* C non habet *meis.*

Veram licet cognoscas. Cortius, *agnoscas.* Nostri omnes, *cognoscas.*

Cap. XXXVI. *In agro Arretino.* Sic edidit Cortius ex optimis MSS. Nostri omnes Reatino.

Omnia domita armis parerent. Sic omnes nostri, nisi quod, in E, *parerent* secunda manu scriptum est, nullo scripturæ prioris manente vestigio. Nullam causam video cur Cortius rescribat *paterent.*

Tanta vis morbi, uti tabes. Nostri, *atque uti tabes*, præter E, ubi erasum est *atque.* Hanc copulam rejiciendam esse, aliis MSS., confirmat Cortius.

Cap. XXXVII. *Prætulerant.* Sic Cortius, pro vulg. *prætulerat*, quod habent etiam nostri.

Cap. XXXVIII. *Namque uti paucis verum absolvam.* Frustra Cortius recidi vult *verum*, quod in omnibus nostris comparet.

Cap. XXXIX. *Sed postquam Cn. Pompeius*, etc. Operæ pretium est conferre locum auctoris toties jam laudati, *Montesquieu, Gr. et déc.* XI: « *Les lois de Rome avaient sagement divisé la puissance publique en un grand nombre de magistratures, qui se soutenaient, s'arrêtaient et se tempéraient l'une l'autre; et, comme elles n'avaient toutes qu'un pouvoir borné, chaque citoyen était bon pour y parvenir; et le peuple, voyant passer devant lui plusieurs personnages l'un après l'autre, ne s'accoutumait à aucun d'eux. Mais, dans ces temps-ci,*

le système de la république changea : les plus puissants se firent donner par le peuple des commissions extraordinaires ; ce qui anéantit l'autorité du peuple et des magistrats, et mit toutes les grandes affaires dans les mains d'un seul ou de peu de gens (plebis opes imminutæ, paucorum potentia crevit). *Fallut-il faire la guerre à Sertorius, on en donna la commission à Pompée. Fallut-il la faire à Mithridate, tout le monde cria Pompée. Eut-on besoin de faire venir des blé à Rome, le peuple croit être perdu si l'on n'en charge Pompée. Veut-on détruire les pirates, il n'y a que Pompée. Et lorsque César menace d'envahir, le sénat crie à son tour et n'espère plus qu'en Pompée.*

Ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata. Haverc. Cortius et nostri omnes, *dubiis rebus novandis.* In A tamen scriptum erat *novandi;* tantummodo supra lineam littera *s* addita est, sed eadem manu. Credo eam ex vocabulo sequenti, *spes*, adscitam esse. Wasse testatur se in duobus MSS. legisse *novandi.* Item Cortius. Hoc cum Bipont. reposuimus.

Neque illis, qui victoriam adepti forent. Sic omnes nostri. Frustra Cortius recidit *forent.*

Cujusque modi genus hominum. Sic C, D, E. Sed A, B, *cujuscumque modi.*

Quod modo usui foret. Haverc. *quod modo bello usui foret.* Cortius uncinis includit *bello :* Bipontinus omnino recidit, hæcque adnotat : « Codices variant : *bello usui foret; usui bello foret; usui foret bello.* Vocem igitur subdititiam delemus. Neque enim qui fortuna novis rebus idonei sunt, omnes bello usui. » Quatuor nostri, *bello usui foret.* E, *usui bello foret.* Vox *bello* huc translata videtur ex cap. XXXII, *antecapere quæ bello usui forent.*

Cap. XL. *Principibus civitatium.* Sic Haverc. Nostri, *civitatum.* Cortius verbum hoc delevit.

Percontatus. Variant MSS. inter hoc et *percunctatus.* Posterius habent Haverc. et Cortius. Donat ad Ter. Hecyr. 1, 2, 2 : « *Et percunctatum* et *percontatum* scribitur. Sed *percontatum* a conto dicitur, quo nautæ utuntur ad exploranda loca navibus opportuna ; si vero, *percunctatum*, ab eo quod a cunctis perquiratur, dicitur. » Festus autem censet *percunctationem* dici, quod is, qui curiose quid interrogat, per cunctas res it. Ceterum fieri potest, ut æque falsa sit utraque origo. Certe, *percontari* et *percunctari*, unum et idem verbum esse mihi videtur, varia tantum scriptura. Nec minus certum est, id derivatum esse a *cunctari.* Sed hujus ipsius scriptura verane sit, et habeat *cunctari* aliquam cognationem, quæ ad sensum pertineat, cum adjectivo *cunctus*, id plane me nescire fateor.

Pollicitos operam suam dimittit. Haverc. *domum dimittit*, sicque nostri omnes. Inutilem hanc vocem, *domum*, rejecit Cortius, aliquot MSS. auctoritate.

Cap. XLII. *Cuncta simul agere.* Sic Cortius. Nostri, *agebant.*

Ex senati consultu. Sic Cortius. Noster A, *ex senatus-consulto.* C notas tantum exhibet, s. c. ; unde B et E fecerunt, *ex sociis Catilinæ.*

In ulteriore Gallia C. Murena. Omnes codd. *in citeriore*, quod falsum probavimus.

Cap. XLIII. *Lentulus, cum veteris..... constituerunt.* Hanc lectionem Cortius optimis codd. confirmavit. Nostri, *constituerat.*

Natura ferox, vehemens, manu promptus, maximum bonum in celeritate putabat. Nostri omnes: *natura ferox, vehemens, manu promptus erat; maximum*, etc. Sicque Haverc. Nos Cortium et Bip. sequuti sumus.

Cap. XLIV. *Memineris te virum.* Sic Cortius et Bip. Ceteri, *te virum esse;* itemque nostri omnes, nisi quod unus, *esse virum.* Propter hanc positionis varietatem rejecit Cortius hoc verbum, *esse;* quod si quis reposuerit, non repugno.

Cap. XLV. *C. Pomtino.* A, C, D, *Pomptino.* Haverc. male, *Pontinio.*

Cetera, uti facto opus sit, ita agant. Cortius, *ita agant, permittit.* Haverc. *ita agant. Permittit illis homines militares: sine tumultu;* etc. Sicque nostri A, B, C, D. Item E, *permittit his;* nec distinguit post *homines militares.* Totum hoc prognatum est ex eo, quod librarius aliquis, post *ita agant*, addiderit, *permittit illis;* hocque alter cum sequentibus junxerit, non intelligens *homines militares* de Valerio et Pomtino dici.

Pontem obsidunt. Sic A, C, D. Duo reliqui, *obsident.* —— *Cito cognito consilio.* Sic nostri omnes.

Cap. XLVI. *Nam lætabatur.... civitatem periculis ereptam esse.* Vulgo, *lætabatur intelligens.... civitatem periculis ereptam esse.* Sic scripti omnes omnino et ed. vet. aliæque, inquit Cortius. Sic quoque nostri codices. Inutilem tamen hanc glossam cum eo delemus; et jam deberi voluerat Gruter. Mox iidem scripti et editi: *porro autem anxius erat dubitans.... quid facto opus esset.* Quod si jam per se non satis appareret, vocem *intelligens* interpretationis loco, ab aliquo librario, adscriptam fuisse, id certe manifestum faceret, absurdum illud *dubitans*, quod statim occurrit. Hoc sine dubio intrusum est; ergo et alterum.

Impunitatem perdundæ reipublicæ fore. Iidem addunt, *credebant*, quod non dubito eodem relegare, quo *dubitans* et *intelligens.* Cortius tamen retinet, deleto *fore.* Bipont. Hackianamque ed. sequimur.

Ipse manu tenens, perducit. Hav. *in senatum perducit*, nisque B, C, D, E. Sed A, *in senatu perduxit.* Rivius et Wasse ab aliquot MSS. abesse testantur *in senatum;* Cortiusque expungit, tanquam interpretationem, verbo *perducit*, ab aliquo adscriptam, quasi non statim legeretur *in ædem Concordiæ.*

XLVII. *Omnia, uti gesta erant, aperit: se paucis ante diebus*, etc. Haverc. et nostri omnes, *aperit, docetque se*, etc. Hoc *docetque* abest ab uno Cortiano et ab edit. Hack.; ideo recidit Cortius. Et id quidem Sallustio additum videtur ut supra, *intelligens* et alia.

Quos habere solitus. Sic Cortius. Nam Haverc. *quos ille habere solitus erat.* Sed neque Cortiani, neque nostri inter se consentiunt de positione vocum *ille* et *erat.* Quidam etiam Cort. habent *esset;* alii omittunt *ille.* Merito igitur hæ voces suspectæ sunt.

Abdicatus magistratu Lentulus. Sic Cortius. Item noster B. Præterea E, *abdicatus a magistratu;* sub qua lectione vera latet. Ceteri, *abdicato magistratu.*

Qui tum ædilis. Nostri addunt *erat*, ut mox etiam post *retractus*. Utrumque retinet Haverc.; Cortius, varietate codd. inductus, utrumque delet.

Cap. XLVIII. *Gaudium atque lætitiam agitabant.* Haverc. *agitabat.* Item A, B, C, D. Nam E corrupte, *exagitabat.* Cortius ex aliquot suis prætulit *agitabant.*

Prædæ magis quam detrimento. A, B, C, E, *quam detrimento fore.* D, *quam detrimentum fore.* Haverc. retinet *fore.* Cortius, post Gruterum, verbum *fore* supervacuum putat, ideoque recidit. Jure an injuria, parum scio; nec magni refert.

L. Tarquinius. Ciaccon. et Ursinus voluerunt legi *Tarquitius.* Nostri tamen, una voce, *Tarquinius.*

De itinere hostium senatum edocet. Sic Haverc. et Cortius ex aliquot MSS. Nostri omnes, *docet.*

Neque amplius potestatem faciundam. Sic quatuor nostri, nisi quod, in E, erasa est littera *a*, ita ut nunc *i* esse videatur; sed signum litteræ *m*, super dimidium illud *a*, adhuc videtur. B, corrupte *potestatem faciundi.* Aliqui Cortiani, *potestatem sui faciundam.*

Qui æstumarent illud a P. Autronio machinatum. Haverc. *indicium illud.* Item quatuor nostri. B, *illud indicium.* Delet hoc *indicium* Cortius, simili fretus positionis varietate.

Cap. XLIX. *Ipsi singulatim circumeundo.* Sic Cortius ex plurimis codd. Alii apud eum, et nostri, pars *singillatim*, pars *sigillatim.*

Seu animi nobilitate. Sic B et E. Ceteri, *mobilitate.*

Cap. L. *Qui pretio remp. vexare soliti.* Haverc. et nostri omnes addunt, *erant.*

Lectos et exercitatos in audaciam. C, D, ut edidimus, *lectos et exercitatos.* Ceteri, *electos*, quomodo et Haverc. Utrumque *lectos* seu *electos*, recidit Cortius, non satis probabili de causa. Item omnes Cortiani et quatuor nostri, *orabat in audaciam.* Solus E, *in audaciam orabat.* — *Grege facto.* Omnes, *ut*, vel *uti*, *grege facto.* Abest *ut* a pluribus Cortianis.

Cap. LI. *Quam quid in illis jure fieri posset.* Nostri omnes, *in illos.* Cortius ex uno suorum dedit *in illis*, multo elegantius.

Hoc idem vobis providendum est. Cortius male sustulit, *vobis.* Lectionem, *hoc idem*, bonis rationibus tuetur. Nostri tamen omnes, ut Hav. *hoc item.*

Neu magis iræ, quam famæ consulatis. Nostri omnes, *iræ vestræ.* Cortius delevit *vestræ*, aliquot suis MSS. fretus. Et quidem Sallustianæ brevitatis est, tam inutile adjectivum non addere.

Quæ belli sævitia. Nostri omnes, *esset.* Id ob ceterorum codd. varietatem delet Cortius. Unus enim habet, *est;* alter, *foret.*

Qui demissi in obscuro vitam habent. Sic ex plurimis suis Cortius. Sic etiam nostri A, B, C. Haverc. et D, E, *agunt.* Sed *agunt* mox recurrit. Præterea *habere* Sallustianum est. Catil. IV: « Reliquam ætatem a rep. procul *habendam* decrevi. »

Fama atque fortuna pares sunt. Haverc. *fama atque fortuna eorum pares sunt.* Item nostri omnes. Trium codd. auctoritate, vocem *eorum* delet Cortius.

Quum præsenti diligentia. Vide notam 34. Nostri omnes *præsertim.* Idem in suis omnibus esse fatetur Cortius; nosque certe reponeremus, si integrum esset.

In minore negotio legem timere. Sic nostri Cortianique omnes. In nota 40, pro *Vossius*, lege *Wassius*, seu *Wasse.*

Omnia mala exempla ex bonis orta sunt. Nostri quatuor, *ex rebus bonis;* E, *ex bonis rebus.* Scilicet librarius aliquis adscripsit *rebus*, ne intelligeretur *hominibus.* Alius intellexit *bona*, res familiares; unde nonnulli ediderunt: *omnia mala exempla* ex rebus domesticis *orta sunt.* Quæ stultitia, quod mireris, etiam Haverc. editionem occupavit.

Cui item exercitus in manu sit (n. 51). Sic B, D, E. Duo alii, *in manus sit.* Cortius, *in manus*, resecto *sit.*

Circumveniri innocentes (n. 56). Nos certe, si integrum esset, libenter reponeremus *circumvenire*, quod est in plerisque Cortianis, in edd. Venet. veteribus, et in omnibus nostris, nisi quod in E erasa est ultima littera *e*, rescriptumque recentiori manu, *i.* Scilicet, factiosi *cœpere circumvenire innocentes;* et alia hujuscemodi *fieri cœpere.* Vide Jugurth. XXXV, n. 4, et XLVI, n. 7. Ceterum Haverc. et Bip. retinent *circumveniri.*

Alia hujuscemodi. Haverc. *aliaque.* Nostri A, B, C, E hoc *que* non agnoscunt.

Cap. LII. *Nam cetera tum persequare.* Haverc. *nam cetera maleficia;* et ad hæc Gruter. « Ita libri vetustatis minimæ; nam mediæ, *maledicta;* supremæ, *malefacta*, quomodo etiam editio prima. » Præterea Cortius vidit in uno cod. *cetera mala.* Ex illa varietate colligit ille nihil aliud scripsisse Sallustium, quam *cetera.* Nostri A, B, *maleficia;* D, E, *malefacta;* C, *maleficia;* sed hic codex prius habuit *malefacta*, quod in *maleficia* correctum est, perantiqua, et forsan ipsa scribentis, manu.

Tamen respublica firma. « Codd. inserunt *erat;* unus, *fuit:* quam inconstantiam Cortius delevit. Et pulchre hoc loco omittitur. » Bip. Nostri omnes, *erat.*

Sed cujus hæc cumque modi (n. 9). Sic Cortius. Haverc. addit *videntur*, quod est in omnibus nostris. Idem tamen testatur ab uno suorum abesse hanc vocem. Cortius in duobus reperit non *videntur*, sed *sint;* quæ varietas semper indicio fuit, aliquid falsi subesse. Delevit igitur.

Ipsos per municipia habendos. « Vulgo h. l. inseritur *in custodiis;* quod, quum a vetustissimo MSS. Commeliniano abesse notet Gruterus, pro glossemate habendum. Et sane Cato lenius dicere voluit, ut, quam anceps sententia Cæsaris sit, ostenderet. Similiter absolute verbo utitur Tac. Ann. 1, 62: « Et Maroboduus quidem Ravennæ habitus. » Bipont. Cortius tamen et Haverc. retinuerunt *in custodiis*, idque in omnibus nostris legitur. Nec nos obstamus, quin olim reponatur.

Eo magis refert mihi atque vobis timere. Nostri omnes, *me mihi atque*

vobis timere, sicque Haverc. Sed Cortius recidit *me*, multorum codd. auctoritate fretus, hocque addit: « Et abjecto hoc pronomine, latius, pro more Sallustii, patet sententia, quasi intelligendum foret, *me mihi*, *vos vobis timere*..... Jam *sibi timere*, est *pro se, incommodum suum, ne sibi quid accidat*, timere. »

Vos cunctamini etiam nunc. Haverc. addit, *et dubitatis*, quod tamen ab uno suorum abesse testatur, sicut a multis aliis abest, teste Cortio, et Putsch. et Gruter. Nostri tamen illud retinent.

Apprehensis hostibus (n. 33). Sic A, C, D. Duo reliqui, *deprehensis*.

Prospera omnia cedunt (n. 38). « Vulgo, *prospere omnia*. Nostrum Cortius dedit codd. fide; et Sallustianum magis. Bip. » Haverc. etiam docet in sex MSS. esse, *prospera*. Item nostri B, C, D, E.

Nisi iterum patriæ bellum fecit (n. 43). Sic B et E. Nisi *iterum jam patriæ*, A. Et C quoque habuit *jam;* sed erasum est. D, *nisi alterum jam patriæ bellum fecit*. Opinor *jam* ab aliquo intrusum fuisse, ut interpretaretur *iterum*. Bene id recidit Cortius.

Catilina cum exercitu faucibus urget. Sic A, C, D. Duo reliqui, *in faucibus*.

Cap. LIII. *Senati decretum fit.* Sic A. Ceteri, *senatus*. Cortius ex uno suorum MSS. notam hanc margini adscriptam excerpit: « Hoc in loco omnes fere codd. mendosi sunt, in quibus certe legitur *senatus*. At Sallustius *senati* profecto dixit, ut Priscianus hoc probat, qui textus hujus ad verbum meminit in capitulo de nominibus quartæ declinationis, lib. VI. »

Ac veluti effeta parente. A, *veluti*. Ceteri omnes, *sicuti*. — *Effeta parente.* Forsan multis errasse videbimur, quod hoc, Bipontini, Glareani Riviique auctoritate permoti dederimus, quum MSS. fere una voce clament, *effeta parentum;* quod nostri quoque habent, retinueruntque Cortius et Havercamp. Satius fuisset lectionem difficilem explanare, et id quidem in nota, huic loco adscripta, tentavimus. Sed fatemur non ita nunc nobis arridere conjecturam, *effeta parentum tempestate*. Neque vero magis placet secunda Gronovii sententia, *effeta parentum virtute*. Certe urbs Roma est, quæ hic *effeta*, et jam non apta generando, dicitur; nec, quæ fuerit mens auctoris, in dubium venit. Sed primusne an sextus casus sit, *effeta;* et quomodo vox ea ad genitivum *Romæ* referri possit; deinde quo sensu jungi debeat cum altero genitivo *parentum;* ea demum quæstio est. Ac primum, ut nunc quidem mihi videtur, Roma hic dicta est *effeta parentum*, eodem modo quo (Jugurth. LXXIX) quædam Numidiæ loca dicuntur *nuda gignentium*. Ut enim ibi *gignentia* vocantur quæ terra fert, ideo quod similia sui *gignendi* vim habent; ita hic *parentes* nominantur, ut vim habentes prolem sui similem *pariendi*. Et attende auctorem plus dixisse, quam si scripsisset, *effeta virorum*. Nam si qua civitas parentes generosam prolem daturos non jam procreat, in ea certe fons ipse virtutum exaruit. Jam vero *effeta* nominativum esse arbitror; hicque eamdem esse structuram, quam explanavimus, Jug. I,

n. 7; ubi, similiter admodum, nominativus suo verbo caret. Sic orationem instituit, ut si dicere voluisset : *ac, veluti effeta parentum (respublica), multis tempestatibus haud sane quemquam virtute magnum tulit.* Nisi malis ellipsim existimare, quæ ita suppleatur : *ac veluti effeta parentum ea fuerit.*

Quæ res quum ita esse mihi videantur, non jam dubito quin restituendum sit in textu, *effeta parentum* (vel *parentium*, recepta apud Sallustium scriptura). Utique non admodum me piget errasse prius. Sic enim multas conjecturas cognoscet lector, et quæ vera sit facilius dispiciet, quum etiam falsas non ignorabit.

Multis tempestatibus. Jamdudum; ex longo tempore. Sic, Jug. XCVI, *in paucis tempestatibus*, pro *brevi tempore.*

Cap. LIV. *Eo magis sequebatur.* Sic auctoritate Manutii scripsit Cortius. Haverc. *eo magis illum adsequebatur*, sicque noster A. Tres alii, *illam assequebatur.* D, *illa assequebatur.* Hoc, licet corruptum, Cortianam tamen lectionem confirmat.

Cap. LV. *Quæ supplicium postulabat.* Haverc. *quæ ad supplicium.* Egregie probat Cortius recidendum esse *ad.*

Quibus præceptum erat. Ante hæc vulgo ponunt, vindices *rerum capitalium.* Sed variant codd. Alii, *vindices*; alii, *judices*; alii *indices*, quod habent omnes nostri; nisi quod C aliud quid habuisse videtur; sed erasa est prima littera et supra scriptum (mira stultitia) *demonstratores.* Docet Cortius voci *triumviros*, paulo supra, adscriptam esse glossam, *vindices rerum capitalium*; quæ sine dubio inde in hunc locum migraverit. Igitur tria hæc verba delet.

Exitum vitæ invenit. Cortius, Haverc. et omnes nostri, *exitium vitæ.* Et quidem Festus : « *Exitium* Antiqui ponebant pro *exitu.* » Sed Festus nullum profert exemplum. Præterea Cort. et Haverc. fatentur codices aliquot habere *exitum*, sicque omnes latinos scriptores loqui. Hoc igitur prætulimus; monito tantum lectore, ut ipsi integrum judicium sit.

Cap. LVI. *Legiones numero hominum expleverat.* Haverc. *duas legiones*, nescio qua auctoritate. Nullus nostrorum agnoscit *duas.*

Sperabat propediem magnas copias se habiturum. Sic nostri A, B, C, D, et omnes præter Cort. et Bip. edd. E, *sperans.* Judicabit sine dubio lector, audacius fecisse Cortium qui delevit *magnas copias*, eo fretus, quod in uno suorum vidit *magnam copiam*; ex altero autem sublatæ sunt hæ duæ voces. Certe si hic legamus *magnas copias*, vox *copia*, in brevissimo capite, sæpius recurret. Sed rursus, nihil ex arbitrio, et sine justis auctoritatibus, in libris novandum est, quod sententiam auctoris immutet. Ceterum ex sequenti capite apparebit, in toto hoc loco male habitum fuisse a librariis Sallust.; quod quidem arti criticæ liberius judicium permittit; Cortianamque audaciam, si non absolvit, at certe excusat.

Cap. LVII. *Profugeret in Galliam.* Nostri omnes, *in Galliam transalpinam*; manifesto errore. Etiam A, supra *transalpinam*, interpretationis loco habet *Frantiam*, eadem, ni fallor, manu.

Eadem illa existumans Catilinam agitare. Vulgo, *eadem illa existumans, quæ supra diximus;* quod sensum turbat. Nam hic de ipso Catilinæ in Galliam profugiendi consilio agitur; et de re proxime dicta, absurdum fuerit subjicere, *quæ supra diximus.* Verisimile est id ab aliquo librario intrusum, qui non intelligeret *eadem illa.* Nostri tamen omnes illud habent. Sed Cortius testatur ceteros multum variare. Unus, *quæ prædiximus;* duo apud Wassium, *quæ supra memoravimus;* alius, *dixi;* alius etiam, *dixerim.* Quæ inconstantia totum hoc spurium esse evincit.

Qua illi descensus erat. Quod cum Bipontino recidimus, *in Galliam properanti,* in omnibus tamen nostris legitur. Sed in uno Cortiano hoc punctis a cetero corpore separatur; alius autem habet *properanti in Galliam;* alius, tantummodo *in Galliam*, excluso verbo *properanti.* Quæ omnia glossam redolent, licet non tam evidenter, quam *transalpinam*, et, *quæ supra diximus.*

Cap. LVIII. *Verba virtutem non addere.* Sic omnes nostri. Nullus in textu exhibet *viris.*

In dextris portare. Vulgo addunt *vestris*, quod habent omnes nostri; sed Cortiani variant, ideoque Cortius rejecit.

Eadem illa advorsa fiunt. Sic Cortius ex uno suorum. Nostri, *fient.*

Cap. LIX. *Ab dextera rupes aspera.* Vide n. 3. Nostri quatuor, *rupe aspera*, nisi quod, in E, emendator quidam, additis duobus S, fecit *rupes asperas.* B, *rupem asperam.* Quam recepimus lectionem, tuentur Manut. Glarean. Gruter.

Centuriones omnes lectos et evocatos. Sic C et D. — A, *electos et evocatos.* B, *electos et vocatos.* E, *lectos et vocatos*, sed initio utriusque participii supra lineam additum est *e.*

Pro aris atque focis suis cernere. Sic Cortius. Nostri omnes, *certare.*

Tribunus, aut præfectus, aut legatus, aut prætor cum magna gloria fuerat. Haverc., *cum magna gloria in exercitu fuerat*, sicque quatuor nostri. C, *cum magna in exercitu gloria fuerat.* Cortius unum codicem habuit, in quo primitus non fuere verba, *in exercitu.* Ea igitur delet. Et sæpius quidem recurrit in hoc capite vox *exercitus.* Præterea interrogat Cortius ubi, si non *in exercitu,* tribunus, aut præfectus aut legatus fuisse, homo militaris potuerit. Quanquam, qui tueri volet *in exercitu*, existimabit forsan Sallustium hoc præsertim animadverti voluisse, scilicet Petreium multos annos fuisse apud exercitum. Porro *ibi fuerat*, ut tribunus, aut præfectus, aut legatus.

Cap. LX. *Quem quisque pugnando locum ceperat.* Haverc. *quem quisque vivus pugnando, etc.* Nostri omnes agnoscunt *vivus*, sed varia positione. Abest ab uno Cortianorum. Abest etiam apud Florum IV, I : « Quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. » Atqui Florus hic Sallustium prorsus exscribere videtur. Delet ergo Cortius ; bene an perperam, integrum lectori judicium sit.

JUGURTHA.

N. B. *In hac Sallustii parte breviores erimus, quum quæ ex nostris MSS. colligere pretium operæ fuit, ea fere omnia, suo quodque loco, in notis indicaverimus.*

Cap. I. *Neque fortunæ eget.* Haverc. *fortuna.* Ex nostris alii, *fortuna*; alii, *fortunæ.*

Quippe probitatem. Sic Cortius. Haverc. *quippe quæ.* Item nostri quatuor. C non habet *quæ.*

Cap. III. *Aut eo magis honesti sunt.* Hic, ad notam 3, primum addere mens fuit, quæ sequuntur; eaque, ne longius fieret, in hunc locum rejecimus : HONESTI, *honorati;* nec mirum si hunc quoque sensum habeat *honestus*, quum omnia seu adjectiva, seu participia in *tus* exeuntia aliquid semper passivæ significationis teneant. *Tus* in latino sermone, τός et θείς in græco, *te* in teutonico, *tas* in sanskrito, signa passivi sunt. HONESTUS ergo est *honore* affectus vel præditus ; MODESTUS, *modo* vel moderatione præditus, non, ut perperam creditum est, *in modo stans*; et alia sexcenta.

Cap. IV. *Furtim et per latrocinia.* « Vulgo h. l. infarta legas, quæ codex Remens. I non agnoscit, et a glossa cum Cortio censemus : *potius quam bonis artibus.* Quis enim non videt, *furtim et per latrocinia* opponi antecedentibus, *per virtutem ?* » BIPONT. Hoc tamen, *potius quam bonis artibus*, habent omnes nostri.

Cap. VI. *Non se luxu neque inertiæ corrumpendum dedit.* Nostri omnes *luxui.* Alterum tuentur multi e Cortianis; sive *luxu* ablativus sit *(luxu corrumpendum)*, non inusitata Sallustio duorum casuum conjunctione; sive etiam *luxu* pro dativo accipiatur, de qua declinatione Gellius, IV, 16, disputans et alia affert, et hoc Virgil. Æneid. :

> Teque aspectu ne subtrahe nostro;

item Lucilii:

> Quod sumtum atque epulas victu præponis honesto.

Ceterum si descriptam eleganter morum similium imaginem conferre velis, adi Claudian. III, Consul. Honor. vers. 39 et seqq.

Si talem virum interfecisset. Haverc. *dolis interfecisset*, quod etiam habent A.

B, C, E. Cortius delevit *dolis*, duorum codd. auctoritate; idemque addit: « *Nam dolis interficere* ita etiam potuisset, ut Numidæ deciperentur, nec certum haberent fraude an fato perierit. » Et jam quidem illum *dolis interficere* voluerat, quum Numantiam mitteret hostili ferro periturum.

Cap. VIII. *Jugurtham in prætorium abduxit.* Sic Cortius ex duobus suis. Haverc. nostrique A, D, E, *adduxit.* B, corrupte, *aduxit;* C, optime, *abduxit.*

Cap. X. *Nam ut alia magna et egregia tua omittam.* Sic Cortius ex multis suis. In aliis vidit, *egregia tua facta*, quod etiam in nostro A legitur. E habet *facta*, omittit *tua.* B et Haverc. *egregia tua facinora.* C et D, ut edidimus.

Quia plus potest, facere videtur. Sic Cort. ex duobus suis. Haverc. nostrique omnes, *tamen quia plus potest.*

Cap. XI. *Atque ea modo animo habere.* Sic Cortius ex aliquot suis codd. Haverc. nostrique quatuor, *cum animo.* E, *in animo;* sed aliud quam *in* prius habuisse videtur.

Cap. XIII. *In duas partes discedunt.* Sic Cortius ex quibusdam codd. Haverc. *discedunt Numidæ.* Item nostri omnes.

Cap. XIV. *Munimenta regni me habere.* Sic Cort. ex duobus suis. Haverc. et nostri, *me habiturum.*

Socium et amicum populo romano. Hav. *populi romani.*

Magis fides ejus quam fortuna petenda erat. Sic Cortius et nostri omnes. Haverc. male, *pendenda erat.*

Neque pati cujusquam regnum per scelus crescere. Sic Haverc. Cortius vero : *Neque cujusquam regnum per scelus cresceret;* i. e. *prohibere injuriam, et prohibere ne... cresceret.* Tuetur quidem ingeniose suam lectionem Cortius. Primo tamen eo duntaxat nititur, quod unus cod. verbum *pati*, non nisi in margine, exhibeat; deinde ipse, pro arbitrio, *crescere* mutat in *cresceret.* Qui quum illinc infirmo, hinc nullo adminiculo fretus videatur, veterem nos lectionem ex MSS. reposuimus.

Qui vestram amicitiam colerent. Sic Cortius ex multis MSS. Haverc. et nostri, *diligenter colerent.* Unus, apud Cortium, *diligerent, colerent;* quo argumento inductus ille ait : « Ita vero existimo, sciolum quemdam explanasse verbum *colerent*, eamque glossam esse tandem in textum receptam. »

Si quid ex improviso accidisset. Haverc. *si quid ex improviso mali accidisset.* Item nostri omnes. Cortius delet *mali*, quod ab uno suorum abest. Meliusne fuisset hanc vocem reponere, lector viderit.

Næ ille..... graves pœnas reddet. Hanc lectionem Cortius egregie confirmat. Haverc. et noster A, *ne ille.... reddat.* Quatuor reliqui, *ut ille... reddat.*

Per vos, per liberos atque parentes vestros. « Cortius operam abutitur, quum hæc exigit ad solemnem illam transponendi formulam, *per ego te deos oro;* legitque *per vos liberos atque parentes.* » Bipont.

Cap. XVI. *Dando et pollicitando perfecit.* Haverc. *dando et pollicendo*

multa. Nostri omnes agnoscunt *multa*. Unus E, *pollicitando*. Abest vox *multa* a duobus Cortianis, et ab uno apud Havere.

Uti famæ, fidei,.... commodum regis anteferret. Monendus est lector, Cortium et ejus sectatores legere, *fama*, *fide*, quæ jam habet editio Hackiana, et exhibent duo e nostris codicibus; sive, inquit Cortius, *fama* pro antiquo dativo habeas, decurtato ex *famai* (nam *fide* pro *fidei* usitatum nemo nescit); sive sextum utrumque casum esse velis; quod ille tuetur hoc Cicer. exemplo, pro Balbo, VIII: « *Quum magna pars in iis civitatibus fœderis sui libertatem* civitate *anteferret*. » Havere. legit *famæ*, *fide*, quod forte optimum est. Bipont. sequati sumus.

Cap. XVIII. *Nomine Numidæ* (n. 15). « Ita plerique codd. et Cortius edidit; quum jam Aldina, Crispinus etc. dedissent *Numidæ nomen*. Sed in aliis vel *nomine* omissum, vel, ut in ed. Putschii (et Havere.) *Nomo-Numidæ*, quod ineptum est. » Bipont. Nostri A, C, D, *nomine Numidæ*. B, E, *nomine Numidæ*, prorsus ut edidimus.

Possidere ea loca. Havere. et nostri A, C, E, *possedere*. Cortius et B, D, *possidere*.

Sub imperium cogere. Sic Cortius. Havere. et nostri, *coegere*.

Cap. XXI. *De controversiis suis jure potius quam bello discepture*. Hoc nostri codices, itemque multi editi non habent. Primus ex membranis restituit Popma, quem sequuti Gruter. Cort. Havere. Bip.

Cap. XXII. *Si ab jure gentium sese prohibuerint*. Sic Cortius ex uno codice. Havere. *prohibuerit;* item nostri quatuor. D, *prohibuerint*.

Cap. XXIV. *Et illa quæ antea in senatu questus sum*. Cortius pro arbitrio delet *illa*. Reposuimus nostrorum omnium fide.

Si ulla apud vos memoria avi mei Masinissæ. Havere. *memoria remanet*. Item nostri omnes. Cortius duorum codd. fide expunxit. Et certe minime Sallustianum h. l. esse videtur.

Cap. XXV. *Summa ope enisum, ne decretum fieret*. Havere. et nostri omnes, *ne tale decretum fieret*. Unus e Cort. omittit *tale;* alter, *ne id fieret decretum*. Quorum fide, Cortius edidit, *ne decretum fieret*.

Majores natu, nobiles, amplis honoribus. Havere. et tres nostri, *amplis honoribus usi*. B, E, *amplis usi honoribus*. Cortiani tres optimi hoc *usi* non agnoscunt. Ideo delet Cortius.

Cap. XXVII. *Omnis invidia, prolatandis consultationibus, dilapsa erat*. Sic Cort. ex duobus MSS. Et optime, ait ille, si quid video. Flor. IV, 2: « Et peractum *erat* bellum sine sanguine, si Pompeium opprimere Brundusii potuisset. » Livius, XXV, 31: « Quod ni tam in tempore subvenisset, victoribus victisque pariter perniciosa fames *instabat*. » Havere. et nostri omnes, *dilapsa foret*.

Tanta vis gratiæ atque pecuniæ regis. Iidem addunt *erat;* quod delet Cortius. Unus enim illius codd., *pecuniæ erat regis;* alter, *pecuniæ regis incesserat;* tres alii, *tanta vis gratiæ erat*. Quæ inconstantia fidem facit illud ex Sallustio non esse.

Consules declarantur. Sic Cortius. Haverc. *declarati.* Item quatuor e nostris. Unus, *declarati sunt.*

Cap. XXVIII. *Urbes aliquot pugnando capit.* Sic Cortius. Haverc. *cepit.*

Cap. XXIX. *Participem negotii Scaurum acceperat.* Sic Cortius ex multis codd. Haverc. *accepit.* Item nostri omnes.

Cap. XXX. *Patres solliciti erant.* «Verba *solliciti erant* delet Cortius, suspicione Gruteri modesta immodestius et contra codd. abusus. Non vero redundant; sed sequentia rationem addunt, ob quam fuerint solliciti. Scilicet eorum animis *parum constabat, probarentne.... an,* etc.» Bipont.

Ac potissumum, quæ in concione, etc. Supple, *perscribere.* Haverc. *ac potissumum ea dicam quæ in concione.* Et sic quidem D. Alii, etiam corruptius, *eam dicam quam.* Cortium sequimur, qui de ea re optime disseruit.

Cap. XXXI. *Etiam nunc timetis, quibus decet terrori esse.* Haverc. *timetis eos, quibus vos decet terrori esse.* Quatuor nostri agnoscunt *eos,* non *vos:* E autem, *vos,* non *eos.* Utrumque rejicit Cort.

Item multi vestri ordinis in carcere necati sunt. Sic Cortius ex duobus suis. Haverc. *vestri item ordinis multi mortales.* Etiam omnes nostri, *multi mortales.*

Neque eos, qui fecere, pudet aut pœnitet. Sic Cortius. Havercamp. *qui ea fecere.*

Quod majus dedecus est (n. 16). Sic Cortius ex suis quinque. Alius, *quod magis,* corrupta lectione, sed quæ confirmat *quod.* Etiam noster D, *quod magis.* B et E, *quod majus.* C, *quo magis.* A, *quo majus.* Ita et Havercamp.; hocque vulgari grammaticæ accomodatius est: sed non istis semper legibus tenetur Sallustius.

Ad paucos maximæ divitiæ (n. 18). «Vulgo, *ad paucos potentes,* quod glossema absit, ut Catil. xx, n. 11; et mox n. 20.» Bipont. Nostri tamen omnes habent *potentes;* ut in loco dicto Catilinæ, *potentium.* Cortius *potentium* delet, hocque in nota disputat: «In hanc sententiam discedent, qui reputabunt secum, vocabulum *paucorum,* libera etiamtum republica, invisam adeo *oligarchiam* notasse. Neque aliter noster infra, XXX, *calumnia paucorum;* XXXIX, *paucorum potentia crevit;* Jug. III, *potentiæ paucorum decus atque libertatem suam gratificari;* XXXI, *quum regna, provinciæ, leges... penes paucos erant;* XLI, *paucorum arbitrio belli domique agitabatur.* Lentulus, Cic. XII, Epist. 15, *sive potentia paucorum, qui et antea pari contumelia viros clarissimos affecerant;* Cic. Agrar. II, 3, *quum me intelligam non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi populi romani judicio consulem factum.*» Quanquam, in hoc Jugurthæ loco, Cortius retinet *potentes.* Nos, his expositis, integrum lectori judicium relinquimus.

Quare moneo hortorque (n. 23). Havercamp. *hortorque vos;* item omnes nostri.

Neque ego, Quirites, hortor (n. 25). Sic Cortius. Haverc. et quatuor

nostri, *neque ego vos.* E, *neque vos*, omisso *ego :* Item unus e Cortianis; alter, *neque ego*, deleto *vos.*

Cap. XXXII. *Hæc atque alia hujuscemodi sæpe dicundo.* Haverc. *sæpe indicendo.*, sicque quatuor nostri. Solus B, *sæpe dicendo.* Cortius recte animadvertit solitos fuisse librarios præpositionem *in* sexto casui adjungere, interpretationis causa, atque ita ex vocibus separatis *in dicendo*, natum esse *indicendo.*

Eumque..... Romam duceret. Cortius frustra delet, *eumque.*

At Cassius, perlata rogatione. Haverc. *at Cassius prætor, perlata rogatione.* Quidam apud illum MSS. *prætor populi romani.* Nostri A, C, D, *at Cassius p. r. rogatione perlata;* B, *at Cassius perlata rogatione p. r. a Caio Memmio.* Quod manifesto natum est ex eo quod duas voces, *rogatione* et *perlata*, primis tantum litteris in textu notatas, aliquis integras margini adscripserit, deinde alius retulerit in textum, nec tamen *p. r.* deleverit. Notandum quoque est, in nostris A et C super litteram P aliquem scripsisse *li*, et super litteram R, *ni*, intelligentem scilicet *populi romani.* Unice verum est, quod cum Cortio edidimus.

Cap. XXXIII. *Quorum potentia aut scelere cuncta gesserat.* Sic Cortius. Nam Haverc. *cuncta ea gesserat, quæ supra diximus;* item nostri quatuor; nam B omittit *ea.* Plurimi Cortiani, pro *diximus*, habent *memoravimus.* Alii ita variant, ut nullum dubium supersit, quin totum hoc e margine in textum transierit.

Quibus juvantibus, quibusque ministris egerit. Haverc. *ea egerit.* Cortius *ea* rejicit, propter codd. varietatem. Nostri omnes agnoscunt *ea;* nisi quod in E duæ voces *ea egerit*, a secunda manu sunt, eraso quod prius scriptum fuit.

Cap. XXXVIII. *Subdolus augere amentiam.* Nostri quatuor *subdole ejus;* A, *sub dolo.* Rivius, Manutius, Gruterus, Wassius tuentur *subdolus.* Præterea Cortius duorum MSS. fide recidit *ejus.*

Ita delicta occultiora fore. Hæc verba pro arbitrio transfert Cortius post, *alii signo dato, locum uti desererent.* Quorsum attinet immutare, quum sensus constat?

Nox atque præda ..... remorata sunt. Post duo nomina feminini generis posuit *neutrum* plurale: ideo hic locus citatur a grammaticis. Vide Periz. ad Sanct. Minerv. x, 4, n. 6.

Cap. XXXIX. *Mederi fraternæ invidiæ animus ardebat.* Haverc. *animo ardebat;* item A, C. Nam D, *in animo;* B et E, *animus.*

Cap. XL. *Quem legatum Bestiæ supra docuimus.* Haverc. *fuisse supra memoravimus.* Nostri omnes, *docuimus.* Quatuor agnoscunt *fuisse.* A, prorsus ut cum Cortio edidimus.

Cap. XLI. *Sed ubi.... mentibus decessit.* Sic A, C. Reliqui, *discessit.*

Paucorum arbitrio belli domique agitabatur. (n. 8). Sic Haverc., Cortius et nostri A, C, D. In A superscriptum est, *impersonalis modus.* B, *belli resp. domique agitabatur.* E, *r. p. bello domique agitabatur.* Manifestum est vocem *respublica*, interpretationem esse alicujus librarii, qui vim non intelligebat verbi *agitabatur.*

Dissensio civilis, quasi permixtio terræ, oriri cœpit (n. 12). Sic scripti et editi omnes; nec scire potuimus quid sibi vellet Cortius, sic ea proferendo : *et permixtio civilis, quasi discessio terræ, oriri cœpit.* Durius illi videtur, *permixtio terræ;* levius, *dissensio civilis.* Quod etiamsi esset (nec esse concedo) nostrumne est Veterum scripta ex divinatione refingere, quum præsertim nulla cogit necessitas, nullaque auctoritas suffragatur?

Cap. XLII. *Ferro necaverant.* (n. 4). Haverc. quatuorque nostri, *necaverat.* D, *necaverant*, quod Cortii auctoritatem fulcit.

Tempus quam res maturius deserat. Sic Cortius ex uno suorum. Ceteri et nostri variant inter *deseret* et *desereret.* Certe *desereret* interpretatio est subjunctivi præsentis *deserat;* et ex *desereret*, natum est *deseret.*

Cap. XLIII. *Senati auctoritate socii nomenque latinum, reges ultro auxilia mittere; postremo*, etc. (n. 5). Haverc. et nostri A, C, D, *senatus auctoritate, socii nomenque latinum et reges ultro auxilia mittendo, postremo omnis civitas summo studio adnitebatur :* ita ut primo casu accipiatur *senatus*, isque et *socii*, et *nomen latinum*, et *reges*, et *civitas* ad unum referantur verbum, *adnitebatur.* Magis profecto Sallustianum videtur quod, cum Cortio, edidimus. Friget enim, *senatus auctoritate adnitebatur*; atque etiam, *reges auxilia mittendo adnitebantur.* Præstat multo infinitivus narrationis, *mittere*, quod in tredecim MSS. est apud Cortium, et in tribus apud Haverc. In alio apud eumdem, *mittebant*, manifesta interpretatio infinitivi *mittere.* In nostro quoque E legitur *mittere*, sed secunda manu. De auctoris sententia, vide notam quam huic loco apposuimus.

Cap. XLIV. *Exercitus ei traditur a Sp. Albino proconsule.* Haverc. *Sp. Albini proconsulis.* Cortius, *Sp. Albini pro consule.* Omnes nostri, ut edidimus.

Sed neque muniebantur (n. 6). Hoc in Sallustii textum revocavimus ex fragmento quod apud Frontonem invenit Angelus Maius Mediolanensis (Ed. Francfurt. 1813, p. 317). Hanc vir doctissimus notam Sallustiano loco subjecit : « Verba *neque muniebantur* inserebat hic Popma e cod. antiquissimo; expungebat Gruterus; aberant ab editionibus plerisque omnibus; nunc codex Frontonianus invicte confirmat. Quin ejusdem lectionis vestigia deprehendebam in duobus aliis Sallustii codd. Ambrosianis f. 138 et p. 89. part. sup. » In nullo nostrorum comparet; nisi quod E, in margine, inter alia, exhibet *nec muniebant;* sed hæc, ut glossa, non ut ipsius Sallustii verba, ibi adscribuntur. Satis superque fuerit Frontonis auctoritas.

Cap. XLV. *Vigilias crebras ponere, et ipse cum legatis circumire.* Haverc. *et eas ipse cum legatis circuire;* quomodo et nostri A, E. Cortius revocavit *circumire*, quod habent etiam B, C, D. *Eas* vero recidit ille, uno codice fretus. Id nostri omnes habent; imo D, *eas ipsas.*

Cap. XLVI. *Quæ ex voluntate forent, regi nunciare jubet.* Jubet legatos nunciare regi etc. Cortius et Hav. *regi nunciari.* Item B, C, D. Bip. ex Aldina, nostrique A, E, *nunciare;* quod sequuti sumus, ut magis Sallustianum. Similiter enim, paulo post n. 7, legitur *insidiis locum tentare*, ubi *tentari* planius, primo quidem aspectu, videri possit.

Cap. XLVII. *Huc consul, simul tentandi gratia*, etc. (n. 2). Rem in notis explanavimus, nostrorumque scripturam exhibuimus. Cortius locum hunc tentat satis infeliciter : *huc consul, simul tentandi gratia, si paterent opportunitates loci, præsidium imposuit.* Infelicius etiam Bip., *huic consul simul tentandi gratia et opperiundi*, etc. Frustra exponunt *si*, ut *an*, quod hoc loco minime necessarium est. Docere tentavimus, quomodo ellipsis suppleri possit. Sed rem, etiam nihil addendo, intelliges, si totam dictionem ad nostram linguam referre velis, habita quidem sensus, non elegantiæ ratione : *le consul, pour sonder les intentions de Jugurtha, et en cas que la position se trouvât avantageuse, y mit garnison.* Longum sit referre varia ceterorum tentamenta, quæ a vero omnia plus minusve recedunt.

Quæ bello usui forent, comportare. Bip. *comportari*, sine auctoritate.

Frequentiam negotiatorum et commeantium juvaturum exercitum. Bipont.: *frequentiam negotiatorum et commeatuum juvaturam exercitum*; isque addit: « commeatus h. l. sunt, commeantes negotii causa, diversi a negotiatoribus incolis. » Cortius : *frequentiam negotiatorum et commeatum* [*juvaturum exercitum*] *etiam paratis rebus munimento fore.* Quod uncinis includit, supervacuum arbitratur. — Bipont. *pacatis* proponit, pro *paratis* : male.

Cap. XLVIII. *In immensum pertinens.* Sic Cortius. Haverc. *pertinguns.* Item nostri omnes.

Quæ humi arido atque areneso gignuntur. Sic Cort. Haverc., nostrique A, C, D, nisi quod hic, *in arido.* B, E, *humo arida atque arenosa.*

Cap. XLIX. *Cum omni equitatu pedites delectos collocat* (n. 3). Sic Cortius. Haverc. nostrique omnes, *cum omni equitatu et peditibus delectis, suos collocat.* Sed qui sunt *sui*, nisi equitatus et pedites? Apud Cortium, unus cod. omisit conjunctionem *et*; in quinque aliis legitur *delectis suis.* Alius non agnoscit *suos*, et quatuor habent *dilectos.* Quæ inconstantia quum mendum aliquod arguat, refinxit Cortius, valde probabiliter, *cum omni equitatu pedites delectos collocat.*

Monte degrediens cum exercitu, conspicatur. Haverc. Cortius et C, *degrediens.* A, B, D, E, *digrediens.* Omnes nostri codd. *conspicitur*; item Cortius. Haverc. *conspicatur.* Quid verum sit, in nota, diximus.

Paullisper agmen constituit. Sic Haverc. et quatuor nostri. B, *instituit.* Cortius, ex uno codice, *constitit*, quod interpretatur *consistere fecit*, tueturque exemplo Cæsaris, B. C. 1, 41 : « Afranius copias educit, et in medio colle sub castris *constitit.* » Sed ibi quoque alii legunt *constituit.* Et illud ipsum *constitit* non necessario ad copias refertur; intelligere possis, *ipse constitit* (*stetit*) *Afranius.*

Cap. LIII. *Utrimque magno clamore concurritur.* Sic Haverc. et omnes nostri. Cortius, *concurrunt.*

Cap. LIV. *Puberes interfici jubet, alia omnia militum prædam esse.* « Ex scripto nostro et Servio veram lectionem reposuimus : *puberes interfici jubet; alia omnia militum* præda *esse.* Antea vitiose legebatur; *puberes interficit. Jubet alia omnia militum prædam esse.* » Pustom. Posterius hoc habent qua-

tuor nostri. B, *interficit. Jubet alia omnia militum prædæ essent.* Cortius, aliquid recidendi libidine : *puberes interficit : alia omnia militum prædæ esse.* Havercampi lectionem sequuti sumus, quæ parum a Putsch. recedit. Eo modo accusativus *prædam* pendet a verbo *jubet.* Et quidem, in exercitu severe habito, forsan non supervacaneum est, scriptorem monere, si omnia prædæ sunt militibus, id *jussu* imperatoris fieri.

Cap. LV. *Ita quo clarior erat, eo magis anxius.* Haverc. *quo clarior, eo magis anxius erat.* Verbum *erat*, cum Cortio in priori membro posuimus. Idem Cort. ex sua conjectura dat, *animi anxius.* Sed, inquit Bip., « *animi anxius* est, metuens, incertus, quod hic certe locum non habet. » Per *anxium*, intellige *cautum*, *vigilantem.* Nullus nostrorum agnoscit *animi.* Omnes, *quo clarior* erat, *eo magis anxius* erat.

Quo fuga atque formido latius crescerent. Sic nostri et Haverc. Cortius, *crescerent.*

Cap. LVIII. *Clamorem hostilem a tergo accepit.* Haverc. et noster A, *clamorem et tumultum hostilem.* B, C, *clamorem hostilem, vel tumultum ;* D, *clamorem ut tumultum;* E, *clamorem tumultum.* Inde patet quam recte insulsam glossam, *et tumultum*, deleverit Cortius.

Cap. LX. *Ceteri quoquomodo potuere.* Sic Gruter. et Cortius ex plurimis MSS. Sic quoque nostri A, C, E. Cortius divisim scribit. Manuscripti, conjunctim. Haverc. *quo quisque modo.* B, *quoque modo ;* D, *quomodo.*

Denique utrimque prælium nox diremit. A, B, D, *deinde.* C et quidam apud Cort., *denique.* Hoc Cortius prætulit; alterum Haverc. Tota phrasis in E desideratur.

Cap. LXI. *In his urbibus quæ ad se defecerant.* Haverc. et nostri B, C, D, *ab se defecerant;* E, *ab sese ;* B, *ab Jugurtha ;* quidam Cortiani, *a*, vel, *ab rege.* Sed alii apud eumdem, *ad se*, quod firmat etiam Arusianus Messus.

Cap. LXII. *Ubi primum opportunum.* Sic Cort. ex duobus MSS. Haverc. *opportunum fuit ;* quod agnoscunt omnes nostri.

Mittuntur ad imperatorem legati, Jugurtham imperata facturum. Haverc. et nostri omnes : *qui Jugurtham imperata facturum dicerent.* Cortius ex uno MS. citat, *qui per Jugurtham*, quod ut pessimum damnat. Ex altero, *diceret*, pro *dicerent.* Inde colligit glossam esse, *qui dicerent.* Hæc ipsius verba : « Sed nemo paulo humanior non sentiet dictiones, *qui dicerent*, esse ab aliena manu, minime Sallustiana et parum historica. Historici enim aliique hoc additamentum respuunt, et sic supra, cap. XXV, *litteras ad Jugurtham mittunt, quam ocissume ad provinciam accedat.* Cato in Fragm. historic. ex Festo : *propterea quod complures venerant, Ætolos pacem velle;* hoc est, *venerant*, qui dicerent *Ætolos pacem velle.* »

Cap. LXIII. *C. Mario per hostias dis supplicanti.* Sic Haverc. et nostri omnes. Cort. *supplicante.*

Cuncta prospera eventura. Sic Cortius. Haverc. et quatuor nostri, *prospere ;* B, *prospera.*

Novus nemo tam clarus, neque tam egregiis factis erat. Sic Cort. Haverc.

et C. Nam A, D, E, et multi apud Haverc. et Cort. *egregius* factis. B et alii Cortiani, *egregius factus*, male.

Quin his indignus illo honore..... haberetur. « *Quin his*, intellige nobilibus. » Biport. Ceterum Haverc. Cortius et quatuor nostri, *quin is indignus*. B, et plures Cortiani, *quin indignus*. Unde suspicari licet melius rejiciendum esse, seu *his*, seu *is*.

Cap. LXV. *Uti contumeliarum imperatoris cum suo auxilio pœnas petat.* Sic Cortius ex quatuor MSS. Haverc. *in imperatorem*, quod non latinum est : quis enim dixit, *pœnas petere in aliquem?* Præterea, sensus est, petere pœnas (vel ultionem) contumeliarum ab imperatore illatarum. Multi Cortiani et omnes nostri, *imperatori*. Ceteri apud Cort. *imperatorem* (sine præpositione), aut *imperatore*.

Si Jugurtha captus aut occisus. Haverc. addit, *foret ;* quod, quum mox recurrat, recte hinc delevit Cortius.

Cap. LXVI. *Dein, compositis inter se rebus, diem tertium constituunt.* Haverc. et omnes nostri, *in diem tertium*. Cortius delet *in*, et suam lectionem elegantia et more historicorum tuetur. Ad verbum *constituunt*, aliqui codd. addunt, *cædem*, aut *occisionem*, aut *interfectionem*.

Cap. LXVII. *Turpilius, unus ex omnibus Italicis.* Haverc. *Turpilius præfectus*. Ultimam hanc vocem Cortius omisit, sine dubio glossam ratus. Eam nostri omnes habent.

Nisi, quia illi..... turpis vita fama integra potior..... Haverc. *potior fuit :* item quatuor nostri. B, *potior erat*. Neque *fuit*, neque *erat* scripsisse videtur Sallustius. Ceterum conjunge *nisi*, cum *videtur*, hoc modo : *illud parum comperimus, nisi..... improbus intestabilisque videtur*. Vulgo, hoc sensu, dicitur *nisi quod;* sed non desunt exempla, ubi *quod* omissum sit. Terent. Adelph. IV, 5, 64 : « Nescio ; nisi, quia tam misere hoc cupio esse verum, eo vereor magis. » Nos quidem hoc e Cortio citamus. Nam in aliis Terent. edd. deest *nisi*. Ceterum facile per se intelligitur, cur Sallust. et Terent. omiserint *quod*. Parum enim elegans fuerit *nisi quod, quia*.

Cap. LXIX. *Vaccenses, ubi animum advortere.* Sic Cortius et nostri A, C. Haverc. et reliqui, *animadvertere*.

Cap. LXX. *Hominem nobilem, magnis opibus, carum acceptumque popularibus suis.* Haverc. et nostri quatuor, *magnis opibus clarum, acceptumque popularibus*. B, corrupte, *acceptumque clarum popularibus*. Cortius his exemplis suam lectionem tuetur : Catil. XLVIII : « Hominem nobilem, *maxumis divitiis, summa potentia.* » Jugurth. XXXI : « Homines sceleratissumi, *cruentis manibus, immani avaritia ;* » et LXIII : « Novus nemo tam clarus, neque tam *egregiis factis* erat. » Nam, pergit ille, *carus acceptusque* est ex formula, et Sallustio adamatum. Jug. XII : « Qui proxumus lictor Jugurthæ, *carus acceptusque* semper fuerat ; » et CVIII : « Mauro ob ingenii multa bona *carus acceptusque*. » Sæpissime autem *carus* et *clarus* in MSS. permutantur.

Præmia Metelli in pestem ne converteret. Hanc lectionem Cortius e suis

MSS. confirmat. Haverc., *monere ne præmia Metelli in pestem converteret.* Omnes nostri habent *monere.*

Cap. LXXI. *Quæ ipse paravisset facere, perfidia clientis sui præventa.* Haverc. *dicit, quæ ipse paravisset facere, perfidia clientis sui præventum.* Multis probat Cortius verbum *dicit*, hoc loco, ut sæpe alibi, perperam insertum, idque delet, unius codicis fide. Delet etiam *facere*, sed ex conjectura, illudque retinet Bip. *Præventum* vero qua auctoritate nitatur, viderint qui istud malunt. Nostri omnes et Cortiani, *præventa.*

Cap. LXXIII. *Senatus paullo ante Metello decreverat.* Hanc lectionem egregie, ex suis MSS., tuetur atque confirmat Cortius. Haverc. *sed senatus paullo ante Metello Numidiam decreverat.* Nostri codd. non minus h. l. variant, quam Cortiani.

Cap. LXXIV. *Ceteri omnes.... primo concursu pulsi fugatique.* Sic Cort. ex aliquot MSS. Nostri omnes et Haverc. *primo congressu.*

Romani signorum et armorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti. Haverc. et nostri quatuor, ut in nota indicavimus. E magis accedit ad veram lectionem: *Romani signorum aliquanto numero, hostium paucorum potiti sunt.*

Numidas, in omnibus prœliis, pedes magis quam arma tuta sunt. Dixit *tuta* pro *tutata*, vel *tuita.* MSS. variant inter *tuta, tutata, tuti, tutati.* Ex nostris, A, *tuta sunt.* B, D, E, *tutati;* C, *tutata.* Cortius et Hav. *tuta.*

Cap. LXXIV. *Ea fuga impensius modo rebus suis diffidens.* Haverc. et nostri omnes, *ea fuga Jugurtha*, etc. Vocem *Jugurtha*, quam Cortius delevit, forsan satius fuerit reponere.

Id oppidum magnum et opulentum. Sic Haverc. et noster E. Ceteri, cum Cortio, *in oppidum.*

Ubi plerique thesauri. Hoc recipit et tuetur Cortius. Nostri omnes, *ibique;* nisi quod, in B, erasa est particula *que.*

Spatio millium quinquaginta. Haverc. *in spatio.* Item nostri omnes. Cort. delevit *in*, optimi codicis fide.

Qui se post regis fugam Metello dederant. Haverc. *dediderant.* Cortiani omnes nostrique, *dederant.*

Cap. LXXV. *Ubi ad id loci ventum, quo Numidis præceperat.* Scilicet, quo præceperat venire. Haverc. *Quod..... præceperat*, minus bene. Cortius tuetur *quo* multis MSS.

Cap. LXXVI. *Deinde locis, ex copia, maxume idoneis vineas agere, aggerem jacere, et super aggerem impositis turribus, opus et administros tutari.* Sic totum hoc, excussis diligenter codicum variis lectionibus, concepit Cortius. Haverc. *Deinde* jubet *locis, ex copia, maxume idoneis vineas agere:* superque eas *aggerem jacere, et super aggerem impositis turribus*, etc. Primo *jubet* a pluribus MSS. abesse testatur Cortius. Deinde quis non videt quam absurdum sit illud, *imponere aggerem super vineas?* Certe qui hoc Sallustio obtrusit, nunquam audiverat, quid sint vineæ, aut quid sit agger. Ceterum nostri omnes hoc mendo laborant.

Cap. LXXVII. *Deinde, ubi ea impetrata.* Perperam Bip. delet *ubi*,

quod habent Cort. Haverc. nostrique omnes; et voces *ea impetrata* pro ablativo, quod *absolutum* vocant, accipit. Magis e Sallustiano ingenio videtur, ut intelligas : *ubi ea impetratata sunt*. Et hoc quidem *sunt* in quibusdam nostris supra lineam legitur.

Emissæ eo cohortes Ligurum quatuor. Hoc quoque Bip., non tamen sine aliquorum codd. auctoritate, mutat in, *eo missæ cohortes*. Cortius, Haverc. et omnes nostri, *emissæ eo*. Quod quidem aptius videtur; nam hoc est nostro sermone, *on y détacha quatre cohortes;* eoque sensu, *emissæ* significantius est, quam *missæ*.

Cap. LXXIX. *Eam rem locus admonuit*. Hav. *eam rem* nos *locus admonuit*. Cortius delet *nos*, multorum codd. fide.

Postquum utrimque legiones, item classes, sæpe fusæ fugataeque. Cortius omittit *sæpe*, quod Haverc. et nostri omnes habent. Id eo libentius reposuimus, quod ne admonet quidem Cortius se delevisse, nedum dicat cur deleverit.

Cap. LXXXII. *Nam consulem factum, jam antea acceperat*. Sic Cortius. Haverc. *ante acceperat*. B. *antea acceperat;* ceteri, *ante*, omisso *jam*.

Supra bonum atque honestum. Sic legendum probat Cortius; non, ut vulg. *aut*. Conjunctiones *atque* et *aut* sæpe in MSS. confundi nemo nescit. Tres nostri, *aut;* D, *et;* B, *atque*.

Cap. LXXXIII. *Quanquam opibus confideret, non debere incerta pro certis mutare*. Haverc. et nostri, *tamen non debere*. Optimi cod. fide Cortius delet *tamen*.

Ille probare partim, alia abnuere. Sic Hav. et omnes nostri, nisi quod in E est, *aliaque*. Cortius ex quibusdam suis, *ille probare, partim abnuere*. Sed hoc ex eo natum videtur, quod aliquis librarius primo scripserit, *probare partim, partim abnuere;* alius deinde, ob concursum, semel *partim*, seu errore, seu sponte, omiserit.

Cap. LXXXV. *Sed mihi contra ea videtur* (n. 2). Haverc. omittit *ea*, quod plurimorum codd. fide tuetur Cortius, nostrique omnes agnoscunt.

Cogere ad militiam quos nolis offendere (n. 3). Haverc. *eos quos nolis offendere*. Recte in MSS. aliquot apud Cort. omittitur *eos;* quod evidenter a glossa profectum est.

Is sibi imperatorem alium quærat (n. 8). Cortius, aliquot MSS. fide, omittit *sibi*, quod tamen sententiæ necessarium videtur. Illud habent tres nostri : omittunt B et C.

Atque ego scio, Quirites (n. 9). Cort. *ac ego scio*. Haverc. *at*. Variant codices. Nostri quatuor, *atque*. Solus D, *at*.

Nam quanto vita illorum præclarior (n. 13). Sic Haverc. Unus tamen codex apud illum et aliqui Cortiani, *quantum :* item noster B. Ceteri, *quanto*. Quum Sallustius vulgaris grammaticæ regulas non semel deseruerit, in ea re nihil affirmari potest. Majorem auctoritatum numerum sequuti sumus.

Si jam respondere velint (n. 14). Haverc. *si jam mihi respondere*. Nostri omnes, *mihi*. E omittit *jam*. Cortius expunxit, *mihi*, veterum edd. fide.

Ex animi sententia. Alii inserunt *mei*, idque propugnat Ursinus, apud Haverc., quamvis, teste Cortio, omittant plurimi MSS. et omnes veteres edd. Omittunt quoque nostri A, E; retinent B, C, D.

Num id pœnitendum sit. Haverc. et nostri non *id*, sed *eorum* exhibent. Alterum tuetur Cortius duobus MSS. et Carrionis auctoritate. Quid enim, inquit, necesse fuit *eorum* ad *consilia* potius referre, quam *id* ad ipsum factum ?..... Jam *id pœnitendum* non insolentius dicitur, quam apud Cicer. de Invent. II, 13 : « Utrum id facinus sit, *quod pœnitere* fuerit necesse? » Columell. II, 11 : « Itaque hic ager, sive exercetur, seu cessat, colono est *pœnitendus*, ac tanquam pestilens refugiendus. » Auctoribus a Cortio laudatis addamus nos : Sueton. Tit. X : « Neque enim exstare ullum suum factum *pœnitendum*, excepto duntaxat uno. Liv. I, 35 : « Sub haud *pœnitendo* magistro, ipso Anco rege, romana se jura, romanos ritus didicisse. » Pluribus supersedemus, in re minime dubia.

Hæc atque talia majores vestri faciundo (n. 20). Hav. *hæc atque alia*, sicque quatuor nostri. D, *hæc atque talia*, quod optime confirmat Cortius.

Bonis oportere plus gloriæ quam divitiarum. Hav. addit *esse*, quod agnoscunt etiam nostri. Sed abest a plurimis Cortianis, et recte hic subauditur, quum statim occurrat.

Tamen omnes bonos reip. subvenire decebat. Sic Cortius ex aliquot suis : item nostri B, C, D. Haverc. et B, *decet*. E, corrupte, *omnes reip. subvenire debent*.

Cap. LXXXIX. *Verum etiam multo magis locorum asperitate.* Cortius ex conjectura delet *verum etiam*.

Quæ procul a mari incultius agebat. Sic Hav. et quatuor nostri. D, *agebatur*. Perperam rescribit Cortius, *qui..... agebant*.

Cap. XC. *Neque milites prædari sinere.* Sic Cortius nostrique omnes. Hav. *Prædare*.

Infidum, neque beneficio neque metu coercitum. Haverc. et B, C, *ante neque beneficio, neque*, etc. A, D, *infidum ante; neque* etc. E, *infidum antea, neque* etc. Cortius, fide meliorum codd. delet *ante*. Et id cum ipsa re magis congruit. Vide notam huic loco subjectam.

Cap. XCIII. *Animum advortit inter saxa.* Sic Cortius ex optimis MSS. Hav. et quatuor nostri, *animadvertit*. C, *animum advertit* : et sic fere loquitur Sallustius.

Castelli planitiem perscribit (n. 5). Sic Cort. Hav. et tres nostri. A, *castelli planitiem pervenit*, et supra hanc vocem, altera manu, *vel perscripsit, vel investigavit*. C, *in castelli planitiem pervenit*. Glossa unius e Cortianis, *perscribit in mente*. Recte ille, inquit Cortius; dictum est enim pro *concipit, perdiscit*. Inconstantia librorum ex eo oritur, quod insolentior visus fuerit hic sensus verbi *perscribit*.

Eadem regreditur. Hoc tuentur Cort. et Hav. Quidam enim, ex quibus nostri quinque, *eodem*. Sed hic agitur de via *qua* regreditur, non de loco, *quo* tendit.

Uti escenderat. Sic Cort. Hav. et optimæ edd. ex aliquot MSS. Tres

nostri *ascenderat*; B, *ascendit*; A *ascenderat*, sed *a* recenti manu, pro erasa littera, scriptum est. Mox, pro *qua ipse escenderat*, B, D, *descenderat*, quod nostram lectionem etiam confirmat. Nam hoc natum certe est ex *escenderat*.

Cap. XCIV. *Quibus allevati facilius escenderent.* « Vulgo, *allevati milites*. Qui *milites?* Centurionesne an tubicines, an utrique? Imo dele vocem superfluam, quum allevati se satis ipsum sustentet. » Cortius. Nostri omnes habent *milites*.

Quæ dubia nisu videbantur. Sic Cortius ex aliquot suis, sive pro ablativo accipias *nisu*, sive pro dativo, ut supra diximus ad cap. VI. Haverc. et A, C, D, *nisui*; B, corrupte, *visui*; E *nisu*.

Cap. XCV. *Quos uti ex Latio et a sociis cogeret.* Haverc. *qui uti ex Latio et a sociis exercitum cogeret.* Noster A, *quod uti ex Latio et ex sociis cogeret*; D, *quem uti ex Latio et a sociis cogeret.* C, *qui uti ex Latio et a sociis cogeret*; B, item; sed post *cogeret*, addit *exercitum*; quod etiam agnoscit E. Etiam quidam apud Cort. pro voce *exercitum*, habent *auxilia*, aut *milites*. Cuncta hæc a glossa. Cortius ex uno protulit *quos*. Inde facilis lapsus fuit in *quod*. Sed, quum hoc grammaticam violaret, alii fecerunt *quem*, alii, *qui*. Sed hi necesse habuerunt addere *exercitum*, ne sententia nulla esset. Inde corruptus Sallustius.

Sed quoniam tanti viri res admonuit. Hav. *sed quoniam nos*. Nostri quoque pronomen habent, sed varia positione.

Incertum habeo pudeat magis, an pigeat disserere. Hanc tuetur lectionem Cortius, et habet noster A. Reliqui omnes habent *magis*; sed B, D, *pudet magis an piget*; E, *ac piget*. Qui indicativo usi sunt, retulerunt *incertum habeo* ad antecedentia, *quæ fecerit*; quum referendum sit ad ea quæ sequuntur. Haverc. omittit *magis*.

Cap. XCVI. *Quis rebus brevi Mario militibusque carissumus factus.* Hav., *quibus rebus et artibus*. Cortius, aliquot librorum fide, delet *et artibus*; quod tamen habent quatuor nostri; E, *atque artibus*.

Cap. XCVIII. *Ipsi duces feroces, quia non fugerant, pro victoribus agere.* Haverc. *quia non fugere, ut pro victoribus agere.* Cortius, *quia non fugerent*; quod fecit ex *non fugere ut*. Nostri omnes, et plerique apud Cortium, *non fugere aut*, unde Bipont. fecit *non fugerant*. Hoc eo libentius arripuimus, quod supra extremitatem verbi *fugere*, in C, scriptum est *rant*, manu, si non eadem, certe antiqua. Particula *aut* nullum prorsus sensum habet.

Cap. C. *Et sane Marius illo et aliis temporibus belli* (n. 7). Haverc. *Jugurthini belli*. Cortius, varietate codicum inductus, delet *Jugurthini*, quod nostri omnes habent.

Cap. CI. *Igitur Sulla, quem primum attigerant.* Haverc. *hostes attigerant*. Cortius delet *hostes*, aliquot suorum auctoritate. Illud tamen agnoscunt omnes nostri. Etiam E, corrupte: *qui primum hostes attigerat*.

Tum Marius apud primos agebat. Sic Cortius; item B, C, E. Haverc. *erat*, ut et noster A, qui tamen supra *erat*, habet *agebat*. D, *agitabat*. *Agere*, hoc sensu, maxime Sallustianum est.

Quod ibi Jugurtha cum plurimis. Nostri omnes, *erat;* Haverc. *instabat*, sed plurimi apud eum, *agebat*, etiam hoc loco. Unde mihi constat Sallustium semel duntaxat scripsisse *agebat;* cujus locum bis invasit *erat*, semel pro interpretatione, semel ellipsim supplendi gratia positum. Nostram lectionem tuetur Cortius.

Quum Sylla, profligatis quos adversum ierat, rediens. Illud *rediens* est a mala manu et male adhuc toleratum, inquit Cortius. Nos tamen illud retinuimus ex Haverc. et nostris omnibus, quum præsertim nulla causa id delendi occurrat, nec ullam attulerit Cortius.

Cap. CII. *Duo quam fidissumos ad eum mitteret.* Testatur Cortius unum e suis sic primitus habuisse videri; nempe *s* litteram, quæ nunc voci *duo* adhæret, alieni coloris esse. Noster certe alibi *duo, ambo,* pro *duos, ambos* scripsit; verbi gratia, Jug. XXVIII, *duo familiares.* Attamen utroque loco Haverc. et quinque nostri codices habent *duos.* Cortius autem, in c. XXVIII, *duo* ex manuscriptis duobus expressit. Nil mirum si librarii barbaræ ætatis ignoraverint, antiquos optime dixisse *duo*, in quarto casu.

De se et de populi romani commodo. Sic Cort. ex MS. Basileensi, cui suffragatur noster A. Ceteri, et Haverc. *de suo.*

Profecto ea re ad hoc tempus multo plura bona accepisses. « Sic Aldina. At Rivius, *profecto ex populo romano, ad hoc tempus,* etc. Cortius, qui in nota illustrat dictionem, *ad hoc tempus*, in textu (per mendum, an consulto), omittit; pariterque asseclæ. Ald. vero *ea re* (hoc est, *ob id*) legens placet magis; ne *populo romano* ter dicatur in breviori oratione. » Bipont. Nos Bipontinam lectionem admisimus, quia Aldina innititur, ingenioque Sallustii accommodata est. Ceterum Cort. Haverc. nostrique omnes habent *ex populo romano.*

Perpessus es. « Sic Ald. Crisp. et ceteri. Alii male, *perpessus esses.* » Bip.

Sed ob regnum tutandum arma cepisse. « Aliqui codices non agnoscunt *ob;* hinc Gruterus conjicit, *regni tutandi* (s. causa). Cortius, more suo, fecit *regnum tutatum*, ut hoc supinum esset. Lenius *regnum tutandi.* » Bipont. Nostri omnes, ut edidimus.

Cap. CIII. *Exercitu in hibernis composito.* Sic Cort. et noster D. Hav. aliique nostri, *hibernaculis.*

Cap. CV. *Præterea sagittarii et cohors peligna.* Sic Cortius ex duobus MSS. Haverc. et B, D, *præterea iere sagittarii;* E, *præterea sagittarii iere;* C, *præterea vero sagittarii;* denique A, optime, *præterea sagittarii;* prorsus ut edidimus.

Cap. CVI. *Incerto voltu ad Sullam accurrit.* Haverc. *Incerto vultu pavens;* quomodo et nostri omnes. Unius suorum fide, Cortius delevit illud *pavens*, quod certe dictionis, *incerto voltu*, interpretatio fuit.

Cap. CIX. *Igitur Sulla respondit: pauca se coram Aspare loquuturum.* Sic Haverc. Cortius vero; *igitur Sulla: pauca coram Aspare loquuturum.* Testatur enim a quibusdam MSS. abesse *respondit;* ab aliis *se.* Et noster quidem A Cortianam lectionem exhibet. Ceteri agnoscunt *respondit*, et *se;* nisi quod pronomen hoc in B supra lineam est.

Cap. CXI. *Denique regi patefacit.* Sic Cortius, unius cod. fide. Hav. et nostri, *patefecit.*

Cap. CXIII. *Ceterum dolo an vere, parum comperimus.* Quod vulgo addi diximus, *cunctatus*, est in omnibus nostris; a quibusdam autem Cortianis abest, et recte, ut opinor, deletur.

Cap. CXIV. *Et inde usque ad nostram memoriam* (n. 3). Cortius delet *usque*, quod habent omnes nostri.

INDEX GEOGRAPHICUS.*

A.

Aborigines; p. 16. Italiæ populi, regionem, ubi Roma deinde condita fuit, incolentes, a quibus Latini orti sunt. Narrat Dionys. Halicarn. Ant. Rom., eos has sedes expulsis Siculis occupasse, admistosque Pelasgis oppida crebra munivisse, quorum aliqua etiam Dionysii ætate supererant. Aborigines Italiæ indigenas esse vulgo putabant Romani, nomenque ipsum ex hac opinione tractum est. Nam quod eos quidam Aberrigenas (ab errabunda vita) appellaverint, id verum nomen detorquendo factum esse testatur ipse Dionysius. Idem narrat, Catonem eos ex Achaia advectos credere, multis ante trojanum bellum ætatibus, nec alios esse quam qui vocantur Œnotrii. Sed hæc omnia incerta; virque doctissimus *Fréret* (*Mém. de l'Acad. des Inscrip.*, *t* 18) probare nititur nec Pelasgos nec Aborigines e Græcia in Italiam mari appulisse; sed terra huc antiquitus devenisse homines ejusdem, quam Græcos, originis, qui vel Pelasgi vel Aborigines dicti sunt, ipse censet, confirmantque ductæ ex linguarum analogia conjecturæ, quas hic referre longius fuerit. Ceterum vix crediderim Aborigines, quum Roma condita est, tam feros incultosque fuisse, quam quis ex Sallustii verbis suspicari possit. Si enim urbes jam ante habebant, quam Latini vocarentur, non omnino sine legibus et sine imperio esse poterant. Imo et nostra humanitas quomodo non erubescat, quum legimus morem fuisse priscis illis populis, quos barbaros vocamus, ut, quoties illaturi bellum aut excepturi ultra fines exercitum mitterent, sacri viri absque armis, cum libaminibus et fœderum oblatione, præirent armatis? unde mos fecialium Romanis deductus. (Dionys. Halic. Antiq. Rom. circa initium.)

---

* In componendo hoc Indice plurimum eo usi sumus, quem gallice conscripsit vir geographiæ scientia præcellens, *Barbié du Bocage*, ex Instituto gallico, subjecitque gallicæ versioni sui in eodem Instituto collegæ cl. *Mollevault*. Item nobis auctores fuere *De Brosses* et *d'Anville*, quorum eruditæ investigationes jampridem suo pretio æstimatæ sunt. Necnon aliquot addidimus ineditas de geographia hispanica notas, quas a se latine scriptas, pro humanitate sua, nobis commodavit vir inter Hispanos suæ patriæ locorum peritissimus Joannes Antonius *a Llorente*. Quæ huic Indici interserentur ejus notæ, auctoris nomine subscribentur.

Achæi; p. 439. Non hic de Græciæ, sed de Scythiæ Achæis agitur. Vid. Fragm. incert. libr. n. 68.

Ægyptus; p. 179. Magna regio, quam aliqui veterum, inter quos Sallustius et Pompon. Mela, 1, 8 et 9, Asiæ partem faciebant; nos Africæ. Notandum tamen est plerosque veterum Asiam ad Nilum tantummodo proferre, ita ut Ægyptus, in dextra fluminis ripa, Asiæ sit, in sinistra vero Africæ; et ipse Mela rem sic interpretatur, 1, 1 et 4, quamvis idem loco supra dicto, non satis ipse sibi constans, Africam ad Catabathmon finiat. Ægyptus, imperante Augusto, pars romanæ ditionis erat.

Ænus; p. 434. Urbs Thraciæ maritima ad Hebri ostium, quæ Æneam auctorem sibi ferebat. Sed Servius jure animadvertit eam antiquiorem esse, quum apud Homerum nominetur. Hic fuit Polydori tumulus, Plin. iv, 11. Plura vide apud *De Brosses*, 1, 58.

Æthiopes; p. 180, 442. Africæ populi, post Gætulos, meridiem versus, quos ultra nullos in ea regione Sallustius noverat. Loca exusta solis ardoribus, quibus contermini erant, magnæ solitudines fuisse videntur, quas nunc dicunt *le désert de Sahara*. Communi Æthiopum nomine apud antiquos designabantur omnes nigri coloris homines.

Africæ situs et descriptio; p. 174 et seqq.

Africum mare; p. 178. Mediterraneum mare, quod Africam a septentrione claudit. Libycum vocat Mela, 1, 4. Hic errare nobis videtur doctissimus auctor, quem sæpissime ducem sequuturos nos prædiximus. Is enim Africum mare intelligit eam Oceani partem, quæ finit Africam ab occidente, et in cujus littore expositos esse Mauros dicit Mela, loco citato. Sed ex contextu patet Sallustium, hoc loco, id tantum legentes monere, scilicet Libyes ad septentrionem, prope maritimam oram, Gætulos vero ad meridiem in interioribus terris habitare. Optimus etiam codex (apud Cortium) nostram sententiam confirmat; in quo est, pro recepta lectione, *mare nostrum*, cum glossa, *Africum vel Mediterraneum*.

Allobroges; p. 64 et seqq. Galliæ transalpinæ gens, ea incolens loca quæ hodie vocamus *le Dauphiné et la Savoie*. Ii se consuli Q. Fabio Maximo, dicto inde Allobrogico, dediderant, anno ante Chr. 121.

Alpes; p. 386. « Montes longissimi tractus, qui Italiam a Germania et Gallia, tanquam muro nativo, separant. Albia et Alpionia olim dictos fuisse scribit Strabo. Stephano etiam ἄλβεια et ἄλπεια dicuntur. Ὄλπεις sunt Phavorino. » Hactenus Ortelius, qui multa addit ad confirmandam opinionem, olim vocabulum *Alpes* altum quemlibet montem significasse.

Amisus; p. 405, 449. Urbs Asiæ ad meridionale Ponti littus, in regno Mithridatis, a Phocæensibus, Milesiis, Atheniensibusque condita. Ea, victo Mithridate, Pompeiopolis nomen accepit. Vid. *De Br.* iv, 81.

Antipodes; p. 442. Populi pedibus nostris oppositi, e contraria parte orbis terrarum. Vid. Fragm. incert. lib. n. 79.

Apulia; p. 45, 49, 66, 72. Italiæ inferioris pars, mari Adriatico contermina, quam Græci dixerunt Iapygiam. Ea fere loca complectitur quæ hodie vocant *la Capitanate*, *la terre d'Otrante*, *la terre de Bari*, in

Neapolitano regno. In Apulia fuere veteres Calabri; ii enim non eam regionem incolebant, quæ nunc Calabria dicitur. *D'Anville*, Geogr. Antiq.

Armeni; p. 176. Armenia; p. 412, 415, 443. Armenia est Asiæ regio, cujus nomen, nescio an recte, arbitratur *De Brosses*, v, 7, significare *montem Lunæ*: ei enim deæ gentem illam in monte sacrificare solitam fuisse. Ejus regionis pars hodie Persarum, pars Turcarum dominationem agnoscit. Armenios vero, qui Herculem Phœnicium sequuti sunt, non ex ea gente esse suspicatur idem *De Brosses*. Quippe Armenia multum a Tyro distat; et omnino fieri potest, ut librorum Hiempsalis interpres, punica nomina latine reddendo, erraverit, Armeniosque vocaverit qui Amorrhei vel Aramei, vicini Phœnicibus, erant. Ceterum hæ sunt meræ conjecturæ.

Arpinum; p. 250. Oppidum Latii, prope Campaniam, ubi nati sunt Plautus, Marius et Cicero. Hodie *Arpino*, in regno Neapolitano.

Arretinus ager; p. 58. Arretium fuit urbs Etruriæ, quam hodie dicunt *Arezzo*. Vid. infra *Reatinus*.

Asia; p. 24, 174, 425. Una ex tribus, antiquitati notis, terræ partibus, in qua etiam alii Ægyptum, alii Ægypti partem ponebant. Eo nomine vocare solebant Romani, quem habebant in Asia provinciem.

B.

Baleares insulæ; p. 321. Insulæ duæ in mediterraneo, funda bellicosæ. Græci Gymnesias dixerunt, teste Plinio, III, 5. Hodie *Majorca* et *Minorca*, a dispari magnitudine.

Ballera; p. 371. Mons in Hispania, quem *De Br.* existimat esse montem *Belonam*, cujus meminit Stephanus; in ea parte ubi nunc est *Tarifa*, ad fretum Gaditanum.

Bithynia; p. 377, 409, 418. Ejus positio et varia nomina; 436. Asiæ regio Propontidi, Bosphoro et Euxino mari adjacens.

Bruttium; p. 66, 436. Italiæ regio, eadem fere quam dicunt hodie citeriorem ulterioremque Calabriam. Eas terras occupaverunt, anno circiter 356 ante Chr., pastores Lucani a dominis fugitivi, qui propter hanc fugam, domestica lingua Bruttii dicti sunt; ea enim vox fugitivum, græce δραπέτην, sonat. *De Brosses*, IV, 53. Recentius nomen *Abruzze*, licet a Bruttio derivatum, non eam tamen regionem, sed Samnium designat; *d'Anville*.

C.

Cabira; p. 412. Oppidum Ponti Mithridatis regia nobilitatum, quod a se captum Pompeius Diopolin appellavit; Augustam vero, Augusto imperante, vocavit Pythodoris regina, unde Straboni est Σεβαστή. Nomen ipsum Cabira *De Brosses*, IV, 37, interpretatur *potens*, *maximum*, sive quod oppidum illud regni primarium esset, sive quod Soli, deorum apud orientales homines maximo, consecratum.

Calx; 445. Nomen plurium oppidorum; vid. Frag. inc. lib. n. 91.

Camertem; p. 45. Hominem ex Camerino oppido, in Umbria, prope agrum Picenum. Oppidum hoc doct. *Barbié du Bocage* Syllæ temporibus conditum autumat a Camertibus, qui prius Camertam, in ejusdem Umbriæ montibus incolebant: Camertam enim a Sylla deletam, quia Mario faverat. Hæc et alia docet unus ex eruditis Strabonis interprett. *De Laporte du Theil*, in excerpt. dissertat. Francisci Dini Italici.

Campania; p. 444. Pars Italiæ, cujus primaria urbs Capua.

Cappadocia; p. 415. Asiæ minoris regio, Euphratem et Armeniam ab oriente, ab occidente Phrygiam et Lycaoniam habens. Cappadocia Straboni et Halicarnassæo Leucosyria quoque dicitur. Ea sub Persarum regibus, a Tauro monte usque ad Euxinum patebat. Nunc Caramaniam vulgo dicunt. Plura *De Br.* III, VI.

Capsa; p. 291, 294, 305. Urbs Numidarum, inter vastas solitudines, a Mario incensa, iterum a Cæsare adversus Jubam regem bellante deleta. Urbem *Cafsam* describit doctiss. Anglus *Shaw*, quam Jugurthinam Capsam fuisse arbitratur.

Capua; p. 49, 50. Urbs Campanorum celeberrima, quam condidisse credebatur Capys Æneæ socius. Virg. X, 145:

Et Capys: hinc nomen Campanæ ducitur urbi.

A Tuscis tamen Servius, ad hunc versum, conditam affirmat, viso, inquit, falconis augurio, qui Tusca lingua Capys dicitur. Capua hodierna tribus fere millibus ab antiqua distat; quæ fuit in loco dicto nunc Italicis, *santa Maria di Capoa*.

Carbs; p. 444. Hic de Caribus tantum insulanis mentio: vid. Fr. inc. lib. n. 85. Ceterum Caria est regio Asiæ minoris, mari et Lydiæ contermina.

Carthago; p. 21, 179, 213, 268. Carthaginienses, 82, 153, 180, 271. Urbs a Tyriis condita, duce sorore Pygmalionis Elissa, cui cognomen Dido, anno ante Chr. circiter 852 (ut conjicit *De Brosses*), deleta vero a Romanis A. U. C. 608, ante Chr. 146. Hæc urbs rursus ædificata fuit et colonia eo deducta, imperante Augusto. Jam vero ante Tyrios cum Elissa advectos eas sedes tenebat antiquissima Phœnicum colonia; urbsque dicebatur *Cadmeia*, id est, Orientalis; vel *Caccabe*, i. e. caput equinum, ob tale caput in effodiendis murorum fundamentis inventum. Urbem munivit amplificavitque Dido, nomenque imposuit *Carthadt*, seu *Cartha-Hadath*, i. e. urbem novam; sive quia a se aucta et quasi renovata erat, sive propter Uticam, i. e. urbem veterem, in opposito sinus, ubi sita erat, littore, multis ante ætatibus conditam. Ex punico vocabulo Græci fecerunt Καρχηδών, Latini, *Carthago*. Nunc pauca duntaxat tantæ urbis vestigia reperiuntur, non procul a castello hodie dicto *le fort de la Goulette*, prope Tunetum. Vid. *De Brosses*, Jug. VIII.

Catabathmos; p. 175, 179. Duo hoc nomine loci fuerunt, magnus scil. et parvus Catabathmos. De magno hic loqui videtur Sallustius, quem

hodie vocant Arabes *Akabet Assolom*, inquit eruditiss. *d'Anville*, in Africæ descriptione. Cetera diximus in nota ad Jug. cap. XVII.

Cea insula; p. 444. Insula in mari Ægæo, de qua Plinius, IV, 12; nunc *Zia*. Altera est Cea, usitatius Cos, e regione Halicarnassi in Caria, (Plin, V, 31); nunc *Stanco*, nomen corruptum ex verbis εἰς τὰν Κῶ.

Chalcedon; p. 411. Χαλκεδὼν Ptolemæo; Straboni Καλχεδὼν. Urbs Asiæ ad Bosphorum Thracium, in Bithynia. Eam urbem cæcorum nominabant, quia ejus conditores Græci longe opportuniorem Byzantii positionem non elegissent. Eam nunc Turcas vocare *Kadi-Keui*, i. e., Burgum Cadi, ait *d'Anville*.

Charybdis; 438, 440. Gurges in mari, ad Siciliæ littus, saxo Scyllæ oppositus; vid. Fragm. inc. lib. n. 65.

Cilicia; p. 418, 425. Asiæ minoris regio, Taurum montem a Septentrione, mare usque ad Syriam a meridie habens. Cilices maritimis latrociniis insignes fuere; quos a Servilio, dein a Pompeio profligatos devictosque nemo nescit.

Cimbri; p. 354. Germaniæ populi, cum Teutonibus a Mario devicti.

Cirta; p. 182, 183, 184, 187, 188, 203, 272, 290, 313. Urbs Numidiæ non procul a mari, quod regni caput habuit Syphax, dein Masinissa, ejusque filius Micipsa. Deducta eo colonia romana Cirtæ Juliæ nomen accepit; postremo Constantia vocata est, in Constantini Magni honorem. Hodie Constantina dicitur, urbs inter maximas Algeriensis provinciæ celebrata. Vid. *d'Anville*, Geogr. Antiq. Nomen Cirtæ, e punico *Karth*, quod urbem significat, deductum putant viri doctiss. *Bochart* et *De Brosses*.

Corduenni; vid. p. 439, n. 67.

Corycus; p. 372. Urbs Ciliciæ maritima, dicta nunc, corrupto antiquo nomine, *Curco*. *d'Anville*.

Cretenses; p. 410. Creta; p. 436. maris Mediterranei insula, jovis incunabulis et centum urbibus quondam clara. Nunc *Candia* vulgo dicitur.

Crotoniensem; p. 70. Croton, civitas Italiæ in Bruttio, Milone athleta memorabilis, qui Pythagoræ discipulus fuit. Nunc *Cotrone*, in sinu Tarentino.

Cumæ; p. 444. Urbs Campaniæ celebris, a Chalcidensibus Euboeis condita, de qua Virgilius, Æn. VI, 2.

Cyrene; p. 179. Cyrenenses; p. 268. Urbs Africæ nobilissima, unde Cyrenaïca regio nomen invenit. Eam Strabo, lib. ultim., a Theræis græcis conditam scribit, qui Laconica profecti, Theram insulam prius coluerunt, dehinc in continente Cyrenem ædificaverunt. Diodor. lib. V, scribit ex quorumdam sententia nomen hoc tractum a Cyrene virgine, quam raptam Apollo in ea loca, ubi postmodum civitas condita est, asportavit. Contra *De Brosses* dictam putat Cyrenem a *Kur* (*scaturire*), quod ibi multi fontes erant. Nunc reliquiæ tantum hujus urbis supersunt, nomine *Kurin*, in regno Tripolitano. Cyrenaïcam regionem, quæ et Pentapolitana dicebatur, describit Plin. V, 5. Urbem Cyrenem con-

ditam narrat Solinus, XXX, a Lacedæmonio Batto, rege Marcio res romanas tenente, anno post Trojam captam DLXVIII.

CYZICUM. (vel Cyzicus); p. 401; 411, 449. Insula in Propontide, quæ duobus pontibus continenti adhæret, estque in ea urbs clarissima, de qua Florus: « Cyzicum nobilis civitas, arce, mœnibus, portu, turribusque marmoreis, Asiaticæ plagæ littora illustrat. Hanc ille [Mithridates] quasi alteram Romam toto invaserat bello, etc. » Lege Strabon. XII. (Ex not. Varior.)

D.

DALMATÆ; p. 448. Dalmatia, regio Illyrica est, ad mare Adriaticum spectans, contermina Liburniæ, occasum versus. Dalmatæ ab Augusto Cæsare domiti fuerunt.

DARDANIA; p. 376, 444. Monuimus p. 444, n. 86, Dardaniam fuisse in Thracia, antequam hoc nomen Asiæ regio acciperet. Atqui p. 376, de Dardania Thraciæ mentio est, quam Curio subegit.

DURIUS; p. 387. n. 14. Flumen Hispaniæ. Vid. *Turiam*.

DYRRACHIUM; p. 369. Nobilis Macedoniæ civitas et portus, olim Epidamnus, auctore Mela, unde proximus in Italiam, Adriatico mari, trajectus. Nunc *Durazzo*.

E.

ENCELADUS; Mons in Sicilia: p. 445, n. 88.

ETRURIA; p. 45, 47, 347, 361, 362. Magna Italiæ regio, quæ, Romæ initiis, a dextra Tiberis ripa, ad flumen Macram, in finibus Ligurum, protendebatur. Incolæ Latinis Tusci et Etrusci, Græcis Tyrrheni dicti sunt; unde Tuscum vel Tyrrhenum mare, quod et inferum. Sed antea latius patebant Tuscorum fines, totamque Italiam superiorem complectebantur, ut patet ex Livio, V, 33.

EUPHRATES; p. 415, 443, 447. Fluvius Asiæ quem Strabo scribit ex Niphate, monte Armeniæ, magnum, profundum et celerem nasci; influere autem in mare Rubrum, prius tamen Babyloniam per medium dividere, et Tigri conjunctum Mesopotamiam facere. (Ex notis varior.) Per *mare Rubrum*, hic intellige sinum Persicum, quo influit Euphrates Tigri conjunctus, prope urbem *Bassora*.

F.

FÆSULÆ; p. 43, 48. FÆSULANUS AGER; p. 67.

FÆSULANUM (hominem); p. 108. Fæsulæ, mediocre in Etruria oppidum, nunc *Fiezoli*, non procul a Florentia.

G.

GADIR; p. 378. Vide, *Tartessus*. GADES; p. 420.

GÆTULI; p. 175, 177, 180, 270, 290, 306, 310, 319. Magna Africæ gens, ultra Numidiam, meridiem versus, circa montem Atlantem. *Getulia* quoque, sine diphthongo, scribitur. « Getuli, inquit Isidor, IX, Getæ dicuntur fuisse, qui ingenti agmine a locis suis navibus

conscendentes, loca Syrtium in Libya occupaverunt; et quia ex Getis venerant, derivato nomine Getuli cognominati sunt. » Hanc opinionem verissime, ut opinor, refellit *De Brosses*; sed ipse aliam non minus incertam profert, scilicet Getulos a punico vocabulo *geth* (pecus) vocari: quippe Getulos ex iis populis fuisse, qui *pastores* dicuntur. Ceterum hanc etymologiam, ut et multas alias, non omittendam censuimus, quia si non vera, at certe ab ingeniosissimo et doctissimo scriptore reperta est.

Gallia; p. 64, 333. Galli; p. 94, 97, 333. Amplissima Europæ regio, inter Rhenum, Alpes, mare Mediterraneum, Pyrenæos montes, et Oceanum; cujus incolas Romani Gallos, Græci Celtas (vel Celtogalatas), quod verum gentis nomen fuit, appellabant.

Gallia citerior; p. 66. Galliam citeriorem, seu Cisalpinam, et aliquando Galliam (sine adjectivo) dicebant Romani eam Italiæ partem, quæ ab Alpibus ad fluvium Rubiconem, inter Adriaticum mare et sinum Ligusticum, protenditur: hanc quippe regionem, regnante Tarquinio prisco occupaverant Galli transalpini, expulsis Tuscis, seu Etruscis, qui antiquitus eam tenebant; Liv. v, 34 et 35. Galliam quoque Togatam dixerunt, ob concessum incolis usum togæ romanæ.

Gallia ulterior; p. 66, 67. Vera Gallia, trans Alpes sita, respectu Romæ: unde eam quoque Transalpinam dixerunt. Sed peculiari nomine Ulteriorem Galliam vocat Sallustius, eam tantummodo Galliæ partem quam in provinciæ formam redegerant Romani, quæ et Narbonnensis dicebatur, ea loca complectens, quæ hodie sunt *le Languedoc*, *la Provence*, *le Dauphiné*.

Germani, p. 427. Nobiles illi populi, a Gallis Rheno flumine divisi, quos etiam Teutonas vocabant, quod ipsi nomen nunc quoque retinent. Germanus a duobus Teutonicis vocabulis ducitur, *ger*, bellum, et *man*, vir.

Getæ; p. 446. Populi Thraciæ, qui a Romanis Daci quoque vocantur. Strabo tamen, lib. vii, Getas a Dacis ita distinguit, ut Getæ sint qui ad Pontum, in orientem, vergunt; Daci, qui in oppositum, Germaniam versus.

H.

Hadrumetum; p, 179. Urbs romanæ in Africa provinciæ, a Phœnicibus condita. Locum ipsum, ubi fuerit, ignorari testatur *d'Anville*; nec tamen procul sitam fuisse ab urbe, quæ nunc vocatur *Susa*, in agro Tunetano. Doctissimus autem Anglus *Shaw*, eam affirmat nunc stare, nec aliam esse quam *Hamamet*, satis amplam hodie quoque civitatem. Nomen Hadrumetum, seu Adrumetum deducit *De Brosses* a punicis vocabulis *Ader-Muth*, quæ interpretatur mortem vel tumulum *Ader* (qui deus ignis est).

Heraclea; p. 412. Plures hujus nominis urbes fuere. Hic mentio est de Heraclea Pontica, græca urbe, in Bithynia, ad Euxini maris littus, cujus nomen et positio adhuc agnoscitur in vulgari appellatione *Erekli*. *D'Anville*.

Hippo; p. 179. Duæ fuerunt in Africa urbes Hipponis nomine, quod *sinum* interpretantur *De Brosses et Bochart*. Et ad sinum quidem maritimum utraque posita erat. Alter Hippo *regius* dicebatur in Numidia, cujus episcopus fuit divus Augustinus; prope locum ubi nunc est *Bone*, nomen ab Hippone corruptum. Alter, Hippo Zarytos, in provincia romana, propius Carthaginem, de quo hic loqui videtur Sallustius. Ejus nomen Arabes corrupere in *Ben-zert*, vulgo *Bizerte*, (quasi Hip-zert, Hippo-Zarytos) quæ urbs inter maximas est in agro Tunetano. Cognominis origo, græca vox Diarrhytos (διάῤῥυτος), quod adjacet navigabile stagnum, unde in modum fluminis æstuarium emergit, quod vice alterna, prout æstus aut repressit aut impulit, nunc infertur Mari, nunc redditur stagno. Plin. Epist. IX, 33.

Hispania; p. 156, 159, 176. Duæ Hispaniæ; p. 34.

Hispania citerior; p. 35, 39, 369. Maxima Europæ regio, Mediterraneo et Oceano undique circumdata, nisi qua Pyrenæis jugis Galliæ committitur. Hesperiam quoque dixerunt, propter situm occidentalem; et Iberiam, seu ob flumen Iberum, seu quod Iberi huc ex Asia migraverint, ut narrant aliqui, sive etiam, ut putat *De Brosses*, *Iberia* proprie sit *regio trans* Pyrenæum: verbum enim *iber*, quod agnoscitur in græco ὑπὲρ et in germanico *über*, significare *trans*. Idem putat Hispaniæ nomen, a Phœnicibus impositum, a radice *isp* (equus) deduci, propterea quod Bætica, cui primæ navigantes appulerunt, equorum præcipue ferax in omnibus ætatibus fuit. Et quidem plerique nummi antiqui Hispanarum urbium equum solutum, vel equitem præferunt. Alii ab Hispalo quodam rege aut ab Hispano, Herculis, ut aiunt, filio, aut etiam a deo Pane nomen Hispaniæ trahunt. Quæ res utcumque sit, imperium Hispaniæ diu penes Carthaginienses fuit; quibus expulsis, transiit ad Romanos. Hi totam regionem in duas partes diviserunt, quarum una *Hispania citerior*, quia propior erat Romanis, per Pyrenæum ingredientibus; altera *ulterior* vocata est. Bætica et Lusitania ulterioris fuere; reliqua omnia, citerioris. Post, nova provinciarum divisio facta est; sed hic de Sallustianis tantum temporibus agitur. — Hispania ulterior; p. 380.

Hister, seu Ister; p. 443. Nomen Danubii in inferiori parte. Hoc nomen arbitratur *d'Anville* incipere tantum in Mœsia, non longe ante Trajani pontem.

I.

Ichnusa (melius Ichnussa), p. 374. Nomen Sardiniæ.

Indigetes; p. 386. Nomen Hispanicæ gentis, n. 12. Haverc. legit Ilergetum. Ceterum vicini erant Ilergetes et Indigetes, in ea parte Hispaniæ, quæ vocatur hodie *Aragonia* et *Catalaunia*.

Italia; p. 30, 43, 92, 153, 190, 205, 333, 433, 436, 441. De magna illa regione, quæ ab Alpibus ad fretum Siculum protenditur, cingiturque hinc Adriatico et Ionio, illinc Tyrrheno mari, nihil aliud monebimus, nisi septentrionalem istius regionis partem, usque ad Rubi-

conem fluvium, Romanis dictam fuisse Galliam Cisalpinam. Reliqua duntaxat pars proprie Italia vocabatur; in qua etiam ingens ad meridiem tractus diutissime nomen magnæ Græciæ retinuit. Cetera aut nota, aut non hujus argumenti sunt.

Italici; p. 188, 211, 225, 255. Semel tantum (p. 211) Italicos distinguit a Latinis, de qua re totam Sigonii notam hic exscribere non inutile fuerit. « Inter cives Romanos, inquit, Latinos et Italicos erat differentia. Quippe Latinos, Latii incolas, populi romani fœderatos, *jure Latii* donatos ex antiquitate liquet; sic Italicos reliquæ ad Rubiconem Italiæ habitatores, populi romani fœderatos, *jure Italico* præditos commode definiri posse censemus. Italiæ enim domicilium eos secrevit a Gallis et provincialibus; fœderis communio, ab iis vel civibus romanis, vel peregrinis et exteris, qui quacumque de causa in Italiæ oppidis versarentur; jus italicum, ab iis Italis, qui, quum Italiam tenerent, non jure tamen italico fruebantur. Italicorum porro numerum expleverunt ad mare Tyrrhenum, trans Tiberim, Etrusci; post Latinos, ultra Lirim, Campani, Lucani; in Siculo, Bruttii; in Ionio, Messapii et Salentini; ad Adriaticum, Apuli, Frentani, Picentes et Senones; Mediterranei, Umbri, Sabini, Marsi, Vestini, Marrucini, Peligni et Samnites. » Quid vero sit Quiritium, quid Latinum, quid Italicum jus, perspicue docebit idem Sigonius; item *Adam*, *Antiq. rom.*, vol. 1. Sufficiat dicere deterius Latinum quam Quiritium, sed paulo commodius quam Italicum, fuisse.

K.

Κριοῦ μέτωπον; i. e. Frons arietis; p. 447. Nomen promontorii in Chersoneso Taurica; n. 94.

L.

Laletania; p. 386. Parva Hispaniæ regio inter Iberum et Pyrenæos montes. Haverc. legit *Lacetaniam*, dubitatque *De Brosses* utrum legi præstet. Hic exscribemus notam, cujus, pro sua humanitate, nobis copiam fecit doctiss. hispanus Anton. *a Llorente* : « Lacetaniam : Hodie tractus est *Cervera*, et locorum circumadjacentium in Catalaunia inter flumen Sicoris (*le Sègre*) et *Cardona*. Ptolemæus incolas vocavit Accetanos; Plinius, regiones describens, Lacetanos. Illius exemplaria impressa, dum populi ad conventum Cesaraugustanum (*Saragosse*) concurrentes citantur, inter eos *Lacetanos* numerant. Sed absque dubio librariorum ibi est error : *Iaccetani* scribi debuit et legi debet. Lacetani enim conventui Tarraconensi addicti erant. Aliquandiu Lacetania regio plus ampla fuit, Indigetes, Ausetanos, Castellanos, et Leetanos complectens. Livius, Strabo, et nunc Sallustius hoc sensu loquuti sunt. » Idem de Ilergetibus : Ilergetum : « Tractus satis amplus a flumine Sicori (*le Sègre*) in Catalaunia, ad flumen *Arva* in Aragonia, olim Vasconum orientalem terminum. In illo tractu sunt hodie civitates *Lerida*, *Fraga*, *Barbastro*, et burgi plurimi circumadjacentes. » Llorente.

Laris; p. 293. « Lares Cirtesiorum oppidum ponit Ptolemæus, ali-

quanto magis ad meridiem, quam Vaccam (ipse Vagam appellat) ad Juliam Cirtam. » Hæc Glarean., qui tamen observat hujus oppidi positionem prorsus incertam esse.

Latinum nomen, homines latini nominis; p. 210, 211, 216, 219. Homines qui Latii jure fruebantur, de quo dictum est supra in voce *Italici*.

Latium; p. 257, 274, 302. Illa pars Italiæ, ubi fuere Lavinium, Ardea, Alba-longa, Tusculum, Arpinum, Præneste, denique regina urbium Roma.

Leptis; p. 179, 266. A Sidoniis condita; p. 267. In Africa duæ sunt Leptes, una prope Hadrumetum, altera inter Syrtes, non procul ab ostio Cinyphi amnis. Illa in Ptolemæo Leptis parva; hæc in Plinio Leptis magna dicitur. Leptis autem nomen punicum, si recte conjecerunt *De Brosses* et alii, stationem navium denotat. Pauca tantum vestigia, nomenque *Lebida* nunc supersunt. Vid. *d'Anville*, Geogr. Antiq.

Lethe; p. 372. Nomen oppidi et fluminis in Lusitania, quæ *De Brosses* putat esse nunc, flumen *Lima*, et urbem *Ponte di Lima*. Ceterum nomen *Lethe* non a Græco sermone deducit; imo commune fuisse multis fluminibus probat, quorum unum in Bætica nunc quoque vocatur *Guada-lete*, i. e. fluvius Lete.

Libyes; p. 175, 178. Totam Africam Libyæ nomine Græci comprehendebant. Sed hic Sallustius Libyes vocat eos tantummodo, qui ad occidentem, inter Gætulos et mare, sedem habuerunt. Nec non scire attinet, Marmaricam Cyrenaïcamque provincias, Ægyptum inter et magnam Syrtim, peculiari Libyæ appellatione sub Ptolemæis, et deinde sub Romanis, designatam fuisse. Libyam nomen punicum esse arbitratur *De Brosses*, *Lheaba*, i. e. ardorem solis.

Ligures; p. 208, 267, 297, 311. Liguria, Italiæ regio, ab Alpibus ad Macram flumen pertinens, quo ab Italia proprie dicta dividebatur; (nunc *l'État de Gênes*). De his Florus II, 3 : « Ligures imis Alpium jugis adhærentes inter Varum et Macram flumen, implicitosque dumis silvestribus, major aliquanto labor erat invenire quam vincere. Tutum locis et fuga, durum atque velox genus, ex occasione magis latrocinia quam bella gerebat. » Ex Plutarch., vita Marii, Ligures constat prius vocatos fuisse Ambrones. De eorum positione et urbibus, quarum nomina Celticam originem indicant, vide Strabonem.

Lucanus ager; p. 383. Tractus Italiæ, inter sinum Tarentinum et Tyrrhenum mare, Bruttiis a meridie, Apuliæ, et Samnio a septentrione conterminus. Ibi fuere urbes Pæstum, Helea, Metapontum, Sibaris (quæ postea Thurium).

Lurda; p. 377. Flumen Ciliciæ, Isaurum alluens. *De Brosses*.

Lusitani; p. 371. Lusitania; p. 441. Magna Hispanicæ peninsulæ regio ad mare Atlanticum, inter fluvium Anam, a meridie, et Durium a septentrione. Huic fere provinciæ respondet regnum quod nunc vocatur *le Portugal*; quod tamen ultra Durium patet, nec usque ad Anam (*la Guadiana*) protenditur.

Lycaonia; p. 418. Asiæ minoris regio Cappadociæ Isauriæque vicina.

Lycia; p. 435. Asiæ regio, ad mare Ægæum, Cariæ, Pamphyliæ, et Pisidiæ confinis.

M.

Macedonia; p. 204, 425, 444. Celebris Europæ regio. Hanc a septentrione, a Dalmatia Mœsiaque montana sejungunt. Ab occasu, mari Adriatico; ab ortu, Ægæo alluitur. Meridianam oram Epiroticæ gentes et ipsa Græcia excipit. Emathia ante dicta fuit, Plinio et Trogo testibus. Pæoniam primo vocatam scribit Livius, xl, deinde Æmoniam. Item Edonia et Pieria, Solino. Etiam Bœotiam quondam dictam Trogus auctor est. Ejus partem Μακεδίαν Hesychius et Stephanus appellant, et inde totam regionem nomen accepisse refert Eustathius in Dionysium. Auctor primi libri Machabæorum putavit Macedones esse, qui in sacra scriptura vocantur *Citthim*. Quippe statim initio libri narrat Alexandrum Macedonem egressum esse ex terra *Cethim*, ἐκ τῆς γῆς Κεθιΐμ. Et cap. viii, vers. 5, Perseum illum Macedonem, de quo Romani triumpharunt, Κιτίων βασιλέα, regem Citieorum appellat. Et nomen ipsum Μακεδία, non procul abest a Κεθιΐμ, seu Cethim, seu Chittim, vel Citthim. (Ex notis Variorum). Idem arbitratur *De Brosses*.

Maronea; p. 434. Thraciæ urbs maritima, quæ prius Ortagurea, Plinio teste, appellata fuit; et ab Homero Ismarus, Ἴσμαρος, dicta, ut Hesychius et Suidas auctor est. Hodie *Marogna* vocatur. (Ex not. varior).

Marsicum (bellum); p. 432. Marsi erant Italiæ populi, in Samnio, ad lacum Fucinum. Alii fuere Marsi in Germania, de quibus hic non agitur. Bellum Marsicum idem est, quod et sociale.

Massilia; p. 56. Quæ et Μασσαλία Ptolemæo et Eustathio; perantiqua civitas, et hodie quoque una ex pulcherrimis ditissimisque Galliæ urbibus, ad mare Mediterraneum posita, origine Græca, a profugis ex Ionia Phocæensibus, dominatum Persarum aversantibus, inter barbaros Salyas condita, regnante Romæ Servio Tullio, anno ante Chr. 539, quum Cyrus rerum in Asia potiretur. Hanc ejecti patria Romani, ob regionis amœnitatem et humanos civium mores, exilii sedem plerumque eligebant.

Mauritania; Mauri; p. 39, 174, 178, 180, 248, 271, 306, 310, 313, 320, 323, 324, 381. Magna occidentalis Africæ regio; cujus incolæ, ut testatur Strabo, Maurusii a Græcis, a Latinis Mauri appellantur. Plurimi sic dictos volunt a Græco vocabulo μαῦρος, quod est *niger; Bochart*, a punico *Mauharim*, quod notat *ultimos;* denique putat *De Brosses* non aliud eorum nomen sonare quam *mercatores*. *Mauritania* sæpius nunc scribitur; in antiquis vero numismatibus, *Mauretania*. Eam regionem ad Atlanticum et Mediterraneum mare sitam Claudius in duas provincias divisit, Tingitanam et Cæsariensem. Nunc Cæsariensis pars est Algeriensis regni; Tingitana vero, regna comprehendit quæ dicuntur *Fez* et *Maroc*.

Medi; p. 176, 178. Media, celeberrima Asiæ regio, quæ ante Cyrum et Persas imperium Orientis tenuit. Inde profecti sunt pars Herculis Tyrii comitum; nisi vera sit conjectura viri doct. *Mignot*, qui arbitratur errorem esse in nomine, et de Madianitis, non de Medis agi, in Hiempsalis libris, quos interpretatus est Sallustius; vid. Jug. XVIII, n. 7.

Mesopotamia; p. 414, 448. Asiæ regio Babyloniæ confinis, inter Tigrim et Euphratem, ex qua positione nomen invenit.

Mulucha; p. 180, 296, 329. Amnis Africæ Numidiam Mauritaniamque dividens. Nonnullis vocatur *Molochath*, i. e. fluvius regalis; seu *Malva*, nunc *Malùca*, inter Algeriensem et Marocanum agrum.

Mulvius Pons (seu Milvius); p. 70. Pons ille tribus fere millibus ab urbe media distabat. Dicitur nunc *Ponte Mole*, in via quæ a Roma ducit in Etruriam.

Muthul; p. 226. Flumen in Africa, sola Metelli cum Jugurtha bellantis victoria nobile.

Mutina; p. 372. Urbs Galliæ cisalpinæ, nunc *Modène*.

Mysii; p. 446. Thraciæ populi, qui, transvecti in Asiam, eam regionem incoluere, quæ Propontide, Ægæo, Bithynia et Lydia cingitur.

N.

Narbo; p. 437. Narbo Marcius, urbs Galliæ, ad ostia Atacis fluminis (*l'Aude*); XII millia passuum a mari distans; nunc *Narbonne*. Huc coloniam Romani deduxere, consule Q. Marcio Rege, anno U. C. 636. Inde cognominis origo. Vell. 1, 15.

Nilus; p. 443. Magnus Ægypti fluvius, quem Asiæ Africæque terminum faciebant multi veterum.

Numantia; p. 157, 159, 172, 180, 314.

Numantinum bellum; p. 156, 158. Numantia civitas Hispaniæ nobilissima quondam, modice edito in tumulo sita, quam Durius (*le Duero*) præteribat. Numantini, quum Romanos per diuturnum bellum multis cladibus affecissent, tandem a Scipione Africano Æmiliano obsessi, quum fames urgeret, se ipsos in rabiem versi, ferro, veneno ignique peremerunt; Liv., Vell., Oros., Florus (ex notis Variorum).

Numidia; *passim*. Numidarum origo et situs; p. 177 et seqq. Eam regionem tenent hodie, quæ vocantur *les régences d'Alger, de Tunis, et une partie de celle de Tripoli*.

O.

Oceanus; p. 174, 177. Magnum illud mare, quo totus terrarum orbis cingitur, quodque Mediterraneo jungitur freto Gaditano. De hac tantum Oceani parte loquitur Sallustius, quam dicunt Atlanticum mare, non procul ab illo freto remotum.

Olympus; p. 372. Olympus atque Phaselis urbes sunt Lyciæ, maritimæ et maximæ, quæ piratarum domicilium ac receptaculum fuerunt,

et ea de causa bello piratico a Servilio expugnatæ et deletæ sunt. Strabo, XIV; Cic. in Verr. IV. CARRIO, et D'ANVILLE.

OTHUS; mons in Creta, p. 445, n. 88.

P.

PAMPHYLIA; p. 435. Asiæ minoris regio, inter mare et Pisidiam, Lyciæ vicina.

PANORMITANI; p. 428. Panormus, urbs Siciliæ, nunc *Palerme*. Alias urbes hujus nominis indicat *d'Anville*, in Epiro, Creta, Attica, Achaia, et Mysia, de quibus hic non agitur. Panormus ex græcis vocibus deducitur πᾶς et ὅρμος, quasi *portus universus; statio in quam undique conveniunt naves.*

PAPHLAGONIA; p. 447. Asiæ minoris regio, Euxino mari adjacens, ab amne Parthenio usque ad Halym fluvium, Tauricæque Chersonesi littoribus opposita. Conterminos a meridie Galatas habet. Ibi fuit celeberrima urbs Sinope, quam reges Ponti sedem elegerunt.

PARIUM; urbs Mysiæ ad Hellespontum; p. 412, n. 12.

PELIGNI; p. 321, n. 2. Italiæ gens in montibus sita, inter Samnites et Sabinos, cujus caput Corfinium, celebre quondam oppidum, nunc vicus nomine *San-Perino*, in provincia quæ dicitur *l'Abruzze ultérieure.*

PELORUM; promontorium Siciliæ; p. 443, n. 83.

PERSÆ; p. 176. Magna Asiæ gens quæ, imperante Cyro, Medos subegit, et postquam ducentos tricenos fere annos in toto Oriente dominata est, in Macedonum, deinde in Parthorum (p. 414) ditionem concessit. Sed hic de iis tantum agitur, qui Herculem Tyrium in Hispaniam sequuti, eo mortuo in Africam transierunt, mixtique Gætulis semet ipsi demum Numidas appellavere (Jug. XVIII). Hos Persas ait Sallustius *magis intra Oceanum* consedisse, quam Medos et Armenios. Quod ita exposuimus, p. 177, n. 8, ut *intra* idem valeat, quod *citra* (ut sæpe fieri probavimus), Medique, non Persæ, propiores oceano habeantur. Et quidem nemo unquam alibi Numidas, ex Persis genitos, habitasse audivit, quam ad orientem; Mauros vero, Medorum filios, ad occidentem, in Oceani littore. Atqui contraria prorsus positio fuerit, si Persæ propius Oceano sedem posuisse intelligerentur. Monet quidem Sallustius eos *alia, deinde alia, loca* petiisse; sed non dicit sedem permutasse cum Medis, Maurorum patribus. Nos igitur totum Sallustii locum ex ea opinione explanavimus, scilicet Medos ibi initio consedisse, ubi ex omni hominum memoria Mauri fuerunt; Persas autem, ubi Numidæ. Et sic quoque rem intelligit cl. *Barbié du Bocage*, in indice geographico. Sed nos monuit vir multæ doctrinæ, nec minoris humanitatis, quem jam sæpius honoris et auctoritatis causa nominavimus, *Letronne*, ex Instituto gallico, gravissima testimonia huic sententiæ refragari. Ipse enim, dum Strabonem interpretatur, eo deductus est argumento suo, ut, vol. V, p. 460, n. 4, Plinii locum afferret, qui, cum Strabone comparatus, Persarum positionem locis Oceano propinquis vindicat. Sic enim Plin. V, 8 : « *Pha-*

rusii, quondam Persæ, comites fuisse dicuntur Herculis ad Hesperidas tendentis. » Strabo autem ait *Pharusios* et Nigritas super Maurusios habitare; i. e. ultra Maurusios, meridiem versus. Inde apparet receptam fuisse apud veteres opinionem, Persas illos, Herculis comites, propius Oceano quam ipsos Mauros, initio consedisse. Sed si ita res est, non stricto sensu dixerit Sallustius, *proximos nostro mari locos occupavere.* Nam certe *nostrum* mare est Mediterraneum.

Phaselis; p. 372. Vide vocem *Olympus.*

Phœnices; p. 179. Populi in Syriæ littoribus habitantes, quorum præcipuæ urbes Tyrus et Sidon. Ii remotissimis temporibus imperium pelagi orbisque universi commercium tenuere, coloniasque in Hispania, Africa et Græcia condiderunt. Magnam Phœnicum vim sub Josue tempora, bello sacro profligatam, maritimam Africæ regionem occupasse testes sunt columnæ binæ, olim in Tingitana visendæ et Phœnicio sermone inscriptæ, verbis sic Græce sonantibus : ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναύη. Nos sumus, qui fugerunt a facie Josue prædonis, filii Nave (lege *filii Nun.*) Quod est idem ac si dixissent, nos Cananæi seu Phœnices sumus. Phœnices enim semet ipsi Cananæos vocabant; et testatur divus Augustinus, de Civitate Dei, etiam sua ætate agrestes Afros, interrogantibus qui sint, respondere : *sumus Khanani.* Phœnices a Græcis appellati esse Salmasio videntur ob repertam apud ipsos purpuræ tincturam ; nam, juxta Hesychium, φοινὸν significare πόῤῥον, ἐρυθρόν, i. e. rubrum. Alii dictos putant ab arbore *palma*, quæ multæ in ea regione gignuntur. Palma autem Græce est φοῖνιξ, et rubros fructus habet; ita ut hoc etymon eodem fere, quo prius, redeat. Ex vocabulo *Phœnices*, deducta est vox *Pœni*, detracta aspiratione. Ex *Pœni*, *punicus*, quasi *Pœnicus*. Est etiam in veteri inscriptione : Bello Poenicio. (Ex notis Varior. et *De Brosses.*)

Philænon aræ; p. 180, 270. Vide eo loco narrata. Non jam erant istæ aræ, Strabonis ætate; sed locus nomen servabat. Nunc ignoratur ubi fuerint.

Phrygia; p. 436, 445, 448. Magna Asiæ minoris regio, post Lydiam, orientem versus. Ea Phrygia major vocata fuit. Nam Phrygiam minorem dixere Mysiæ partem, ad Hellespontum, quem, Troja a Græcis deleta, Phryges occupavere. Hoc testatur Strabo, Virgiliusque temporum ordinem prævertit, quum Troas Phrygios vocat. Nam Troes in Mysia (cujus pars Dardania) fuere (ex *d'Anville*, Geogr. Antiq.).

Picenus ager; p. 45, 50, 66, 103. Umbris atque Sabinis continuantur Picentes, quorum regio dicebatur Picenum et ager Picenus. Plin. III, 12 : « Infra Sabinos Latium, a latere Picenum, a tergo Umbria. » Vide Strabonem, V; qui Sabinis oriundos tradit, pico sive ducis itinere. Festus : « Picena regio, in qua est Asculum, dicta, quod Sabini quum Asculum proficiscerentur, in vexillo eorum picus consederit. » Ad Picum, Latinorum regem, gentis originem fabulose deduxit Silius l. VIII. In hoc tractu sitæ olim urbes Ancona, Numana, Potentia, Ciceroni, Velleio Patereulo celebrata oppida. Vide Cluver. l. II, Ital. cap. 11, et

l. IV, cap. 6; ubi de Picentinis, quos a Picentibus originem traxisse docet. VARIOR.

PISIDIA; p. 435. Regio Asiæ minoris, Pamphyliam a meridie, Ciliciam ab oriente habens. Eam a mediter. mari Pamphylia sejungit. (*d'Anville*).

PISTORIENSIS AGER; p. 102; Catil. LVII, n. 1.

PONTUS; p. 419, 420. Regnum Asiæ, ad Pontum Euxinum, Paphlagoniam ab occidente, Cappadociam a meridie, Colchidem ab oriente habens. Regnum illud trecentis fere ante Christum annis conditum, primo pars Cappadociæ fuerat. Omnes vero circum regiones, regnante omnium Ponti regum celeberrimo Mithridate, vasta ditione complexum est. Nunc dicitur Amasia, ab antiqua urbe Amiso; Turcæ vocant *Roum*, quia in Romanorum ditione fuit.

PONTICUM MARE, vel Pontus Euxinus; p. 434, 447. Ingens ille mediterranei maris sinus, qui a Bosphoro Thracio ad Mæotidem paludem, inter Asiam et Europam, protenditur. Fertur initio dictus fuisse a Græcis ἄξεινος i. e. inhospitalis, quum propter cœli marisque asperitatem, tum quod prædonibus infestus erat. Deinde, postquam multas in ejus littora colonias deduxissent Ionii, εὔξεινον, i. e. hospitalem, mutato in contrarium nomine, dixerunt. Sed totum hoc in fabularum regionem amandat *De Brosses*, conjicitque, non sine aliqua veri specie, Pontum prius dictum fuisse lingua orientali *Asken*. Nam in Bithynia est lacus eo nomine, latine *Ascanius*; item *Ascania* regio. Quin Genesis, x, 3, *Askenem* nominat inter filios Gomer, qui has terras incoluerunt. Nil mirum a populi, et regionis, et vicini lacus nomine, mare etiam dictum fuisse *Askenum*; quod levi mutatione in ἄξεινον, seu ἄξεινον, deinde vero in εὔξεινον transiit.

PRÆNESTE; p. 372. Oppidum Latii; nunc *Palestrina*.

PROVINCIA; p. 164, 187, 210, 220, 246. In his omnibus locis agitur de provincia Romanorum in Africa, quæ omnia loca a Carthaginiensibus ante possessa complectebatur. Ibi fuere urbes Hippo, Hadrumetum, Tisidium, et Utica, quæ, post Carthaginem deletam, caput totius provinciæ fuit. Post, magnis auctibus crevit provincia romana peculiariterque Africa dicta est.

PUNICÆ URBES; p. 180. De vocabulis *Pœni* et *Punicus*, vid. supra PHŒNICES. Vide etiam vocem CARTHAGO; cujus urbis incolæ Pœni dicebantur, utpote a Phœnicibus oriundi.

PYRENÆUS; p. 386. PYRENÆA JUGA; p. 433. Mons est valde oblongus, a mari mediterraneo ad Oceanum usque procurrens, et Gallias ab Hispaniis dividens. Ad plagam orientalem incipit in promontorio *de Creus*, Catalauniæ parte, 20°, long., 42°, 12 lat.; Catalauniam ab Aragonia separat, medio fluvio *Noguera-Ribagorzana*, 17°, 20 long., 42°, 40 lat.; dein Aragoniam a Navarra per rivulum *Ezca*, et vallem *Roncal*, 15°, 50 long., 43°, 53 lat.; postea Navarram a *Guipuscoa*, in valle *de Oyarzun*, per rivulum et urbem Irun, 15° long., 43°, 20 lat.; postremo a mari Oceano in promontorio *Higuer*, prope urbem romanam Olarsonem, nunc

Fuenterrabia (*Fontarabie*), 14°, 55 long., 43°, 22 lat. *Pyrenæius* etiam audit inter historicos decimi, undecimi et duodecimi sæculi Hispanos, series quædam montium, orta e Pyrenæo in Roscida-valle (*Ronces Valles*) Navarræ parte, usque ad mare occidentale Gallæciæ 8° long., 43°, 10 lat. se protendens, aquas inter Oceanum septentrionalem Hispaniæ et fluvios Iberum et Durium dividens, provinciisque quibus nomen *Guipuscoa*, *Biscaya*, *Burgos*, *Palencia*, *Leon*, item Asturiis et parti Gallæciæ imminens. Llorente. Idem de Pompeianis tropæis : « Variorum scriptorum opinionibus posthabitis, hodie inter criticos geographiæ Hispanicæ investigatores convenit, tropæa Pompeii prope oppidum *Summo Pyrenæo* ad Indigetes populos pertinens, in conventu Tarraconensi extitisse, in monte nunc *Col-del-Turne* vocitato, 29°, 55 long., 42°, 37 lat., ubi Hispania secernitur a Gallia, in Catalaunia. » Llorente.

R.

Reatinus ager; p. 58. Tractus Sabinorum, ubi fuit oppidum Reate, nunc *Rieti*, ad Velinum amnem. Jam monuimus in eo verbo variare Sallustii editores; et legere alios *Arretino*, alios *Reatino*. Certe Massiliam se ire fingenti rectius, per Arretium, iter fuit. Sed omnino tamen fieri potest ut Roma profectus, Reate primum diverterit.

Rhegium; p. 191, 433. Urbs Italiæ, in agro Bruttio, ad fretum Siculum, nunc *Regio*. Vide p. 433, n. 45.

Rhenus; p. 346. Magnum illud flumen, quod ab Helvetiorum montibus ortum, Galliam a Germania dividit. De hujus nominis origine, vide p. 386, n. 12.

Rhodii; p. 81, 82. Rhodus, insula celeberrima in Ægæo mari, Asiæ vicina, navigatione commerciioque florentissima. Rhodiorum studium circa rem nauticam laudat Strabo, qui de Rhodo : « ἐθαλασσοκράτησεν, inquit, πολὺν χρόνον, καὶ τὰ λῃστήρια καθεῖλεν, domina maris diu fuit, sustulitque piratas. » Eorum leges nauticæ in Pandectas a Justiniano relatæ sunt, et vim in utroque imperio obtinere solebant. In insula Rhodo fuit nobilis ille solis colossus, qui inter mundi miracula habitus est. Is eversus fuit terræ motu, anno ante Chr. 224.

Roma; *passim*. De tanta urbe, ut de Carthagine profitetur ipse Sallustius, p. 179, *silere melius puto, quam parum dicere*. Vid. tantummodo de origine et initiis urbis Romæ, pag. 16 et seqq.

S.

Saguntini; p. 438. Saguntus, celebris Hispaniæ urbs, ultra Iberum, a Zacynthiis condita, ab Hannibale excisa, dein restituta a Romanis. Hujus vestigia supersunt in loco qui dicitur *Murviedro*, i. e. muri veteres.

Salentinum (promontorium); p. 436. Promontorium dictum quoque Græcis Iapygium, quo Italia longissime in mare excurrit, ultra sinum Tarentinum. In Salentina peninsula sunt urbes Tarentum, Brun-

dusium (Adriatici portus, nunc *Brindes*), Hydruntum (*Otrante*), Callipolis (*Gallipoli*). Eam regionem, Messapiam quoque dictam, incoluere veteres Calabri (jam, quæ nunc Calabria dicitur, Bruttium esse monuimus). Usque ad Salentinum promontorium nomen Apuliæ aliquando extenditur. Vide hoc verbum.

Samnites; p. 88. Italiæ gens, a Sabinis oriunda, ut docent Strabo, et Varro de L. L. vi, inter Picenum, Latium, Campaniam et Apuliam sita. Regio Samnitibus olim habitata, ea loca comprehendit quæ nunc vocant, *la principauté ultérieure, le comté de Molise, et une partie de la Capitanate*, in regno Neapolitano.

Samothracia; p. 408. Vide quæ ibi notavimus.

Sardinia; p. 374, 440, 444. Magna mediterranei maris insula, Italiam inter et Africam.

Scylla; p. 445. Saxum immane ad Italiæ littus, oppositum Charybdi; vid. p. 438, n. 65.

Seleucia. Plures sunt hujus nominis urbes in Oriente. Hic mentio est de Seleucia ad Tigrim; p. 414, n. 16.

Sicca; p. 240. Urbs Numidiæ, in qua celebre erat templum Veneris (teste Valer. Max. ii, 6), unde etiam Sicca Venerea Ptolemæo et aliis dicitur. Nomen hoc *De Brosses* et *Bochart* deducunt a punicis verbis *Succoth Benoth*, i. e. tabernacula puellarum: *Succoth* enim significare σκηνήν, seu tabernaculum; *Benoth* vero esse puellam, unde dicta Latinis Venus. Quare sic appellata sit ea urbs, docebit Val. Max. loco citato, quem Babyloniorum exemplo confirmat Herodot. lib. i, circa finem. Doctiss. *d'Anville* putat Siccam Veneream fuisse, ubi nunc *Urbs*, seu *Kef*, locus antiquitatis vestigiis notabilis. Aliud fuit in extrema Numidia oppidum, nomine Siga, Syphacis regia, de qua Strabo, Ptolemæus, Plin. v, 2; Mela, i, 5.

Sicilia; p. 191, 376, 418. Insula maris mediterranei celeberrima, ab Italia freto angustissimo divisa, quæ et Sicania et Trinacria, aut Triquetra, teste Plinio, dicebatur. Pars quædam Italiæ quoque, ea nempe quæ Trinacriæ obversa est, Sicilia subinde vocatur ab Ælliano, Eustathio, Suida, Theocriti scholiaste, aliisque. Neque mirum hoc. His omnibus enim vetustior Thucydides, lib. vi, scribit Siculos ex hac parte, nempe ab Opicis pulsos, in insulam delatos fuisse. Imo, si Servio Halicarnassæoque credimus, Sicula indigena gens, et omnium prima romanum agrum incoluit, aliaque Italiæ loca. Plinius eosdem Galliæ Togatæ partem occupasse tradit, lib. iii, 13 et 14, ante Gallorum nempe in eamdem adventum. Siculas urbes etiam in Campania habet Livius, xxv. (Ex not. Varior. — Vide et Cluver. de Sicilia.)

Sidonii; p. 267. Sidon, urbs Asiæ, ad mare mediterraneum, Phœniciæ ante Tyrum primaria, a qua distat fere ducentis stadiis. Vid. *Phœnices*.

Sila; Silva de qua diximus p. 429, n. 27. Inde pix extrahebatur.

Sucro; p. 387. Civitas Sucro (nunc *Sueca*), proxima flumini etiam Sucroni (hodie *Xucar*) nuncupato. *Sueca* vicus est regni Valentiæ, 16°

25 long., 33° 18 lat., mare mediterraneum ad orientem habens. Flumen Xucar in confinio regnorum Castellæ et Aragoniæ nascitur, prope vicum *Huelumo*, 15°, 15 long., 40°, 25 lat. et post multos circuitus in mediterraneum mergitur, prope urbem *Sueca*. Llorente.

Suthul; p. 207. Oppidum Numidiæ, de quo non alibi quam hic, et apud Priscianum, mentio est. Et Priscianus quidem de eo nihil dicit, nisi *Suthul*, sicut et *Muthul*, barbara nomina, Sallustio usurpari. Doctiss. *Barbié du Bocage* suspicatur hoc oppidum idem esse, quod in Itinerario Antonini vocatur Sufetala, nunc *Sbuitla*, quam urbem describit Anglus *Shaw*, vol. I, pag. 260 versionis Gallicæ.

Syracusani; p. 422. Syracusæ in Sicilia, maxima olim, et celeberrima urbium Græcarum, nunc nihil fere præter nomen, portus opportunitatem, et memoriam antiqui splendoris, retinent.

Syrtes; p. 180, 267. Duo sinus Cyrenem inter et Carthaginem. Propior Cyrene Syrtis major, nunc *le golfe de Sidra;* propior Carthagini Syrtis minor, nunc *le golfe de Cabes*.

T.

Tana; p. 293. Numidiæ flumen, inter Laris et Capsam oppida. De hujus amnis positione inter doctos non convenit.

Tanais; p. 435. Ingens fluvius, Europam ab Asia disjungens, et in Paludem Mæoticam decurrens; nunc, corrupto nomine, *le Don;* de quo vide p. 293, n. 3.

Tarentum seu Tarentus; p. 372. Calabriæ hæc, sive magnæ Græciæ urbs est. Suidas et Ælianus, in Militaribus, adscribit Tarentum Siciliæ. Ex quo patet hujus tempore hanc Italiæ partem (ut nunc quoque) Siciliam appellatam. In regum titulis enim utriusque Siciliæ memoria est. Taras appellatur Græcis. Eleganter hanc urbem describit Florus, 1, 18 : « Tarentus, Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam et Apuliæ totiusque Lucaniæ caput, quum magnitudine et muris portuque nobilis, tum mirabili situ : quippe in ipsis Adriatici maris faucibus posita, in omnes terras..... vela dimittit. » (Ex not. varior.)

Tartanius; p. 418. Amnis Bithyniæ.

Tartessus; p. 378. Ibi, n. 17, monuimus dubitare doctos an eadem sit urbs Tartessus et Gadir. En habes, erudite lector, de hac re notam J. A. *a Llorente* : « Sallustius hic in errorem lapsus, occasionem labendi Rufo Festo Avieno, et quibusdam Hispanis scriptoribus præbuit, ob tanti viri auctoritatem. Hodie vero inter geographiæ hispanicæ criticos investigatores certissimum habetur, civitatem *Cadiz* semper a primæva per Tyrios fundatione fuisse *Gadir* nuncupatam, nullo tempore Tartessum. *Tartessus* vero vox Celtica est, tribus constans syllabis, loci naturam celtice designantibus : *tar* significat propinquitatem, *te* fluvium, *so* cursum rapidum. Civitas ergo Tartessus erat proxima fluvio rapidi cursus, quod certe urbi *Cadiz* non convenit, quæ, sine flumine, mari

pene circumvallata est. Tartessus insula fuit; mare, et flumina Bætis Lethesque eam secabant. Hodie rivulus *Caulina* clam et subtus terram non vero palam Bæti jungitur. Alter rivulus *Valadeso*, qui ad fluvium Lethes (nunc *Guadalete*) pergit, etiam a *Caulina* est emancipatus. Continens est ergo vetus insula Tartessiorum, in quo tractu sunt *Trebujena*, *Chipiona*, *Rota*, *Xeres de la frontera*, *San-Lucar de Barameda*, *Puerto de Santa Maria*; non vero *Cadiz*. Inficias non ibo nonnunquam civitatem *Gadir* aliis nominibus designatam fuisse. *Cotynusam* appellavere indigenæ; *Gadeira* Græci; *Erytheam* Phereeydes, a Strabone citatus; *Gades-Juliam-Augustam* Romani; *Caliz*, Hispani usque ad sæculum XVI. Nomen vero proprium ab initio *Gadir* tantummodo fuit. » Llorente. Hæc vir doctissimus. Nos vero etymologiam et analysim verbi *Tartessus* nec probamus, nec rejicimus. Fides sit penes auctorem.

Tauri; p. 439. Populi barbari intra et extra Chersonesum Tauricam (*la Crimée*) habitantes.

Tauromenitana (littora); p. 438. Tauromenium est urbs Siciliæ, in orientali littore inter fretum Siculum et montem Ætnam. Diodorus nomen deducit ab urbis situ, quod in monte posita erat. Dicitur nunc *Taormina*.

Taurus; p. 377, 407. Maximus Asiaticorum montium, a Pamphiliæ littoribus exsurgens, et perpetua juga usque ad Indicum pelagus protendens. Hic ab utroque latere multos vertices in diversum agit, quorum varia, variis gentium linguis, nomina, ut Hæmodes, Imaus, Caucasus, Paropamisus, Niphates, Cragus, et alia, quæ videre licet apud Plinium, v, 27. Usque ad Mæoticum lacum et Riphæos montes, ad septentrionem evadit, unde *Tauri*, vel *Taurici* dicti sunt earum regionum populi. Ubi dehiscit, seque gentium inter se commercio aperit, portæ, vel græco vocabulo *pylæ*, vocantur, ut Caspiæ, Armeniæ, Ciliciæ. *De Brosses*, Diodori et aliorum auctoritate fretus, putat *Taurum*, orientali sermone, vocabulum esse quo significantur, in genere, mons vel magna quælibet moles.

Teia; vide p. 447, n. 95.

Termestini; vide p. 388, n. 18.

Terracinensis; p. 72. Terracina est urbs antiqua Latii, nunc quoque eodem nomine dicta, olim vero, dum Volscorum fuit, Anxur.

Thala; p. 263, 264, 266, 270, 292. Oppidum meridionalis Numidiæ, cujus vera positio nunc ignoratur. Eamdem putat *d'Anville*, quam Teleptam in itinerariis romanis memoratam. Sed hæc quoque ubi fuerit, frustra quæritur.

Thebæ; p. 444. Plures Thebæ fuerunt, scilicet in Ægypto, in Troade, in Phthiotide, denique in Bœotia, a Cadmo condita, de qua hic agitur. Hodie nuncupatur, parum mutato nomine, *Thiva*.

Thermyscirii (campi); p. 434. Tractus regni Pontici, inter Euxinum mare et montes unde defluit amnis Thermodon, sexaginta stadiis ab urbe Amiso distans.

Theræi; p. 180. Thera, quæ prius Calliste vocata fuit, una ex insu-

lis est, quæ Sporades, seu Cyclades dicuntur, distans a Creta (ut testatur Strabo) stadiis septingentis, de qua mentionem faciunt Mela, VII; Solinus, XXX; Plinius, II, 87, et IV, 12. Hanc tenuit colonia Lacedæmoniorum, ut scribunt Herodot. IV, et Strabo, X. Inde Battus, quem alii Aristæum, alii Aristotelem prius dictum volunt, cum multitudine profectus in Africam, Cyrenem condidit, quam rem scripserunt Herodotus, IV; Pausanias, III et X; Strabo X et XVII; Justin. XIII, 7. (Ex not. Varior.) Prope insulam Theram Plinius, et Justinus, XXX, 4, narrant duas insulas repente ex profundo, inter terræ motum emersisse (impellente scilicet igne Vulcanio); quod evenit Olympiadis CXXXIX anno I, urbis cond. 530, ante Chr. 224. Thera dicitur nunc *Santorin*.

THIRMIDA; p. 162. Oppidum Numidiæ, cujus ignoratur positio.

THRACES; p. 208. Thracia, Europæ regio, Macedoniæ, Ægæo, Propontidi, et Danubio contermina; nunc Bulgaria et pars Romaniæ, seu Romeliæ (*partem* dico; nam vulgare nomen *Roum-iili* toti Græciæ convenit). In hac Thraciæ descriptione Mœsiam comprehendimus, quæ proprie Bulgariæ respondet. Monet Ortelius (in edit. Varior.) Xenophontem, Cyropæd. VI, præter hanc Thraciam, aliam in Asia agnoscere. Herodotus scribit Thracas Bithynos dictos, postquam in Asiam transfretassent. Ammian. XXVII, sex Thraciæ provincias numerat, quæ sunt: Thracia speciali nomine, Mœsia secunda, Scythia, Europa, Rhodopa, et Hæmimontum. Vide *d'Anville*, Geogr. Antiq.

TIGRIS; p. 443, 447. Magnus Asiæ amnis in Armenia ortum habens, sed non, ut putat Sallustius, ex eodem fonte, quo Euphrates, cui demum jungitur, infra urbem, quæ hodie dicitur *Bagdad*.

TISIDIUM; p. 248. Tisidium oppidum putat Glareanus idem esse, quod Ptolemæus vocat Thisicam inter Thabracam civitatem et Bagrada flumen. Contra cl. *Barbié du B.* suspicatur esse Tysdrum (vel Tisdrum), magnam urbem in ea provinciæ romanæ parte, quæ vocabatur Emporia. Tisdri vero locum occupat nunc vicus nomine *El-jem*; ubi multa antiquitatis vestigia supersunt, in agro Tunetano.

TRANSPADANUS; p. 77. Gallia Cisalpina in duas partes amne Pado dividebatur; quarum quæ in dextra fluminis ripa, Cispadana vocabatur; in sinistra vero Transpadana.

TROJANI; p. 16. Troja, urbs antiquissima, ad Hellespontum in Asia minore. Qui fuerint Trojanorum errores et fata, Ænea duce, quæ fama obtinuerit de conditis urbibus Lavinio, Alba, denique Roma, magis notum, quam ut huic rei immoremur.

TURIA; p. 375. Hodie *Turiæ* nomen retinet inter doctos; *Guadalaviar* vero a vulgo nuncupatur. In confinio Castellæ Aragoniæque nascitur, 15°, 10 long., 40°, 40 lat., prope vicum *Fuente-Garcia*, de cujus amplissimo monte quatuor uberrima flumina oriuntur, cursus valde divergentes habentia, scil. Tagus, Sucro (*Xucar*), Cabriel et Turia (*Guadalaviar*) quod mari mediterraneo, secundo ab urbe Valentia lapide, tributum cursus et

nominis solvit, 16°, 32 long., 39°, 34 lat., in vico *Grao de Valencia* nuncupato. Llorente.

Tusci; p. 88. Etruriæ incolæ. Vide hoc verbum.

Tyrii; p. 378. Tyrus, urbs Phœniciæ diu primaria, nunc propriis vix agnoscenda ruinis, nomine *Sour*.

U.

Utica; p. 187, 249, 252, 289, 320. Magna Africæ urbs, in littore maris mediterranei, provinciæ romanæ caput, antequam e cineribus suis excitata Carthago fuerit. De hac urbe doctiss. *Bochart*: « Punicarum in Africa urbium, si Carthaginem demas, nulli cessit Utica. Sexaginta autem stadiis a Carthagine distabat, ut testatur Appianus, nempe versus occasum. Stephanus eam scribit Tyriorum coloniam fuisse; quod et Justinus affirmat, lib. xviii. » Idem citat Aristotel. lib. Mirabilium, qui Uticam, annis 286 ante Carthaginem, conditam memorat. Velleius circa Codri tempora (qui Saüli fuit æqualis) Tyrios, paucis annis post Gades, Uticam condidisse memorat. « Urbi tam vetustæ, subjicit *Bochart*, nomen fecit ipsa antiquitas. Utica enim vel Ityca punice, i. e. prisca vocabatur. » Quæ nominis origo si vera est, necesse est urbem alterum nomen initio habuisse, quod ignoratur.

V.

Vacca; p. 191, 224, 254, 255, 256. Oppidum insigne Numidarum, haud procul a provincia romana. Vagam appellat Sil. iii, 259:

Tunc Vaga, et antiquis dilectus regibus Hippo.

Eam in loco cui nomen *Vegja* (seu *Beja* aut *Bay-ja*), in agro Tunetano, agnoscunt *d'Anville* et *Barbié du B.* præeunte doctissimo viatore *Shaw*.

Valentia; p. 387. Civitas Edetanorum nomen hodie retinet. Unius ex regnis Mahometanis hispanicis, medio ævo, metropolis fuit; nunc caput provinciæ ejusdem nominis prope mare mediterraneum, ad dextram fluminis Turiæ ripam sita; 16°, 30 long.; 39°, 33 lat. Llorente.

Z.

Zama; p. 240, 241, 242, 244, 246. Africæ urbs, quinque dierum itinere a Carthagine distans, occidentem versus, ut ait Polybius. Regiam Jubæ dicunt Strabo et Hirtius, sicuti arcem regni Sallustius. Ea a Romanis diruta circa Cæsaris tempora, rursusque ædificata imperatoris Hadriani jussu: nunc nulla vestigia supersunt. Magna Scipionis de Hannibale victoria huic urbi nobilitatem peperit. Plin. xxi, 2, ibi esse ait fontem quo canoræ voces fluunt, unde existimant *De Broisses* et *Bochart* nomen ipsum urbis punice significare *canorum fontem*.

INDEX
HISTORICUS.

A.

Aborigines cum Trojanis Romam condidere, 16.
Adherbal, Micipsæ filius, 154; victus a Jugurtha Romam contendit et verba habet in senatu, 165; iterum victus a Jugurtha Cirtam profugit, 182; ejus litteræ in senatu recitatæ, 185; deditio et interitus; 188.
Ædes Concordiæ, 72, 78.
Æmilius Scaurus a Jugurthæ largitione se continet, 173; a Jugurthæ legatis corrumpitur, 191.
Sp. Albinus consul, 203 et seqq.
Allobroges ad conjurandum ab Umbreno sollicitati, 64; iisdem ob indicium præmia decreta, 78.
C. Annius, Leptitanorum præfectus, 267.
L. Annius et P. Lucullus tribuni plebis, magitratum continuare nituntur, 206.
Q. Annius, e sociis Catilinæ, 31.
Antiochus 1000 talent. a Philippo spoliatus, 407.
C. Antonius consul, 42; Catilinam cum exercitu persequitur, 103; pedibus æger prælio adesse nequit, 108.
App. Claudius interrex, 368.
Aquila Marii in Catilinæ castris, 108.
Archelaus Mithridatis incepta impedivit, 410.
Aristonicus, Antiochi filius, triumpho ductus, 409.
Asia a Romanis obsessa, 409.
Aspar, Numida, 325.
Athenæ suam celebritatem scriptoribus debent, 19; Atheniensium triginta tyranni, 86.
Attalus, ex rege miserrimus servorum factus, 409.
Aulus proprætor, 206; ejus castra a Jugurtha circumventa, 209.
Aurelia Orest. Catilinæ conjux, 28.
P. Autronius Catilinæ socius, 31; consul designatus, ambitus damnatur, 33.
Aventinus mons, 197.

B.

Bæbius a Jugurtha corruptus, 202.
L. Bellienus, præt., 320.
Bellum Cimbricum, 108; maritimum atque Mithridaticum, 62; servile Capuæ et in Apulia, 49.
L. Bestia, conjuratus, 32,
L. Bestia Calpurnius cos., 189; a Jugurtha corrumpitur, 191.
Bithynia direpta, 409.
Bocchus Maurorum rex, 180, 270, 331.
Bomilcar, 204, 246, 257.
D. Brutus, Semproniæ maritus, 65.

C.

Q. Cæpio male pugnat adversum Gallos, 332.

C. Cæsar, pontifex maximus, 77; ejus natura, mores, et comparatio cum Catone, 98.
Capitolium incensum vigesimo ante conjurationem anno, 73.
Capsa oppugnatur a Mario et incenditur, 294.
Carthago æmula imper. rom., 21; deleta discordiam Romæ peperit, 213.
Cassius Longinus conjuratus, 31.
L. Cassius præt. ad Jugurtham mittitur, 200.
Catilina; ejus mores et ingenium, 13, 14; filium necavit, 28; repetundarum reus prohibetur petere consulatum, 34; Ciceroni insidias machinatur, 46; ejus exercitus, 101; fortiter pugnans occiditur, 111.
Catonis oratio, 89 et seqq.
Catulus a Catilina litteras accepit, 56; ejus et Cæsaris inimicitiæ, 77.
Cethegus unus e conjuratis, 31.
Cicero fit consul, 42; homo novus, ibid.; de conjuratis in senatu refert, 79; luculentam habet orationem, 52.
Cinnæ in urbem reditu interiit decus ordinis senatorii, 367.
Cirta oppugnatur a Jugurtha, 182; eidem tradita, 188.
Civem rom. verberari nefas, 85.
Q. Cœparius, Terracinensis, 72.
Conjuratio Catil. ex quibus conflata, 26; prima, 33; secunda, 31; ejus pignus, sanguis humanus haustus, 40; causa, æs alienum, 30; patefacta, 66.
Conjuratorum catalogus, 31; in carcere necantur, 101.
Consul designatus sententiam primus rogatur, 79.
Consulatus petendi legitimi dies, 34; consulatus ante C. Marium novo homini nemini jamdudum mandatus, 250, 261.
Cornelii tres fato Romæ regnaturi, 73.
C. Cornelius Eq. Rom. conjuratus, 32; pollicetur Ciceronem confodere, 46.
Cornelius scriba, 353.
Q. Cornificio in custodiam traditus Cethegus, 74.
C. Cottæ cos. oratio ad populum, 422.
Crassus, Pompeio inimicus, 33; primæ conjurationis conscius judicatur, 33; non secundæ, 76.
Q. Curius, conjuratus, 32, 41.
Cyrenenses magni et opulenti, 268; eorum cum Pœnis de finibus conditiones, 268.
Cyrus in Asia bella gerere primus cœpit, 9.

D.

Dabar, interpres inter Bocchum et Syllam, 325, 328.
Damasippus jugulatus, 87.
L. Domitii mores, 477.
L. Drusus patronus nobilitatis, 472.

E.

Elephanti quadraginta a Romanis interfecti, 235.
Epistola Adherbalis, 185; Bomilcaris, 258; Catilinæ ad Catulum, 56. Lentuli ad Catilinam, 70; Mithridatis ad Arsacen, 405; Pompeii ad senatum, 385; Scipionis ad Micipsam, 158.
Equites Romani Cæsari gladio minitantur, 78.
Etruria dominatione Syllæ inops reddita, 47.
Eumenes, 408.
Exercitus rom. Syllæ indulgentia corruptus, 24.

F.

Fabii Maximi et P. Scipionis apophthegma, 151.
Q. Fabius Sanga, Allobrogum patronus, 66.
M. Favonius, 478.
Fufidius, 356.
Fulvia, Q. Curii scortum, 42.
A. Fulvius conjuratus a patre necari jussus, 64.

G.

Gabinius Capito, conjuratus, 32.
Gallica gens bellicosa, 64; infestissima nomini romano, 94.
Gauda, Masinissæ nepos, 252.
Gracchus ab Opimio consule occisus, 173; Gracchi, plebem in libertatem vindicare conantes, occiduntur, 217.
C. Gracchi lex de vocandis ex quinque classibus centuriis, 475.
Græci facundia, Galli gloria belli ante Romanos fuere, 97.
Gulussa et Manastabal fratres morbo absumpti, 154.

H.

Hannibal Romanos afflixit, 153.
Hercules in Hispania moritur, 176. Hercules Libys, 291.
C. Herennius a Pompeio cum exercitu deletur, 387.
Hiempsal Micipsæ filius, 154; occiditur, 163; ejus libri, 175.

I.

Italiæ vastitas ex bello civili, 153.

J.

Jugurtha Manastabalis filius ex concubina, 154; auxiliari exercitui præfectus, 156; a Scipione laudatur, adoptatur a Micipsa, 158; ejus ira et insidiæ in Hiempsalem, 162; pugna Adherbalem vincit, 164; Romam venit, Bæbium corrumpit, 201, 202; Italia decedere jussus, 205; a Metello vincitur, 234; Bocchum regem ad bellum compellit, 270; ejus exercitus a Mario funditur, 314; proditur Romanis a Boccho, 332.
C. Julius in Apuliam a Catilina mittitur, 45.

L.

Lacedæmonii in Græcia primi belligerant, 9.
M. Porcius Læca, 31, 46.
Lentulus, 31, 54, 64, 67, 69, 72, 100.
M. Æmilii Lepidi cos. oratio contra Sullam, 349.
Lex frumentaria, 398; Gabinia, 419; Mamilia, 211; Plautia, 51; Porcia, 85; pro debitoribus adversus fœneratores, 54.
Licinii Macri trib. pleb. oratio ad plebem, 390.
Liguris cujusdam ope castellum capitur, 297, 300.
P. Lucullus tribunus plebis, 206.

M.

Mamilii trib. pl. quæstio in eos, qui fuerant a Jugurtha corrupti, 211.
Manastabal et Gulussa fratres, morbo absumpti, 154.
Manilius Mancinus trib. pleb. de imperatore contra Jugurtham ad populum refert, 261.
A. Manlius, Marii legatus, 288.
C. Manlius, conjurat. particeps, 45.
M. Manlius male pugnat adversum Gallos, 332.
T. Manlii Torquati in filium severitas, 95.
Mapalia, Numidarum ædificia, 178.
Q. Marcius imperator ad urbem, triumphum petens, 49.

Marius Metelli legatus, 224; ei haruspex felicia omnia portendit, 249; patria, natura, mores, 250; Gaudam adversus Metellum incendit, 253; a Metello dimittitur, 261; ipsi consulatus mandatur, 274; ejus ad populum oratio, 276; ejus in Africam expeditio, 289; castella Jugurthæ vi præmiisque tentat, 291; Capsam capit, 294; ejus et Sullæ pugna cum Jugurtha et Boccho, 309; de Jugurtha triumphavit, 333.
Masinissa, 153; Massiva, 203; Massugradas, 325.
Mauri dicti qui antea Medi; eorum origo, 178.
C. Memmius trib. pl., 189; ejus facundia, oratio ad populum, 193; rogatio, 201.
Q. Metellus consul, 218; in Numidiam ingressus exercitum romanum licentia corruptum ad militarem disciplinam revocat, 220; legatos Jugurthæ corrumpit, 223, ejus innocentia, 222; pugna cum Jugurtha, 227; Numidiæ oppida capit, 237; Zamam oppugnat, 241; et relinquit, 246; ejus superbia, 251; Gaudæ regios honores negat, 252; ejus stratagemata; Thalam capit, 263; mollities animi, 272; conspectum Marii fugit, 289; Romæ lætissimis animis excipitur, 290.
Metellus Celer, prætor, 50.
Metellus Creticus imperator ad urbem, triumphum petens, 49.
Micipsa, Masinissæ filius, ejus genus, filii, mors, 154, 161; oratio, 158 et seqq.
Mithridates, 348, 405, 431, 436.
C. Murena Galliæ ulteriori præfectus, 67.

N.

Nabdalsa, Jugurthæ struit insidias, 257 et seqq.
Tib. Neronis sententia de conjuratis, 80.
Numantia deleta, 157.
Numidarum origo, situs, incrementum, 177, 178; eorum ingenium, 241; cibus et abstinentia, 292; fusi fugatique a Romanis, 263.
Numidiæ pars speciosior Adherbali traditur, 174.
Nusa, Nicodemis uxor, 409.

O.

L. Opimius a Jug. corruptus, 174.
C. Graccho et M. Fulvio Flacco interfectis, consul acerrime victoriam nobilitatis in plebem exercet, 173, 195.
Orbis divisio, 174.

P.

L. Paullus Catilinam lege Plautia interrogat, 51.
Perses, Philippi filius, insomniis occisus, 408.
Petreius, Antonii legatus, 108.
Philæni vivi terra obruti pro rep. Pœnorum, 270.
Philippi orat. contra Lepidum, 359.
Phœnices oppida multa in Africa condidere, 179.
Cn. Piso ab Hispanis occisus, 35.
C. Piso inimicus Cæsaris, 77.
Pompeius Crasso invisus, 33, ejus potentia formidolosa, 35; ipse et Crassus consules tribuniciam potestatem restituere, 61.
Q. Pompeius Rufus, prætor, 50.
C. Pomtinus prætor, 70.
Pons Mulvius, 70.
L. Postumius, 478.

Ptolemæus pretio diem prælii prolatat, 411.
Publipor, 383.
Punica fides, 326; Punicum bellum Romanos in officio retinuit, 213, 347; Punici libri regis Hiempsalis, 175.

Q.

Quæsitores, 212.

R.

Romæ urbis origo et incrementa, 16; ibi omnia venalia, 157; venalis si emptorem invenerit, 206.
Romanorum antiquorum mores et instituta, 16 et seqq.; eorum in ædificando luxuries, 25; quam a majoribus desciverint, 93; eis omnia regna adversa, 271, 413; Romani exercitus prima corruptio, 24; romano imperio ad occasum ab ortu solis omnia parebant, 59.
Cn. Octavius Rufus, quæstor, 320.
P. Rutilius, Metelli legatus, 231.

S.

Sacer mons, 347.
L. Sænius senator, 48.
M. Scaurus in senatu princeps, 187; qualis, 172.
P. Scipio, 151, 156, 157.
P. Scipioni Nasicæ consuli Italia provincia obvenit, 190.
Scyrrus, servorum pessumus, 356.
Sempronia conjurationis particeps, 43; D. Bruti uxor, 65.
Septimius Camers in agrum Picenum a Catilina mittitur, 45.
Sextius quæstor, 191.
M. Silanus consul, 79.
L. Sisenna historicus, 302.
P. Sittius Nucerinus, 39.
Spintheri Lentulo in custodiam traditus Lentulus, 74.
L. Statilius, 32, 74.
L. Sulla, quo pacto sibi exercitum fidum fecerit, 24; quum esset Marii quæstor, mores, ingenium, natura, 303; eloquentia, 315; magnanimitas, 322; colloquium habet cum Boccho, 327.
P. Sulla consul designatus, condemnatus ambitus, 33.
Syphax, 153, 167.

T.

Tarquinius conjurationis index, 75.
Tarrula, servorum pessumus, 356.
Cn. Terentius, senator, 74.
L. Torquatus, consul, 34.
Tribuniciæ seditiones remp. agitabant, 206.
Triginta Atheniensium tyranni, 86.
Triumviri capitales, 100.
Trojani Romam condidere, 16.
Tullianum, locus in carcere, 100.
Picta toga, 381. Pictas tabulas, 24.

Pietate delubra decorabant, 25.

Piget illa dicere, 193; — me civitatis morum, 152; — recte facere, 364. Pigeat magis an pudeat, 304.

Pila omittunt, 109; — mittere, 242. Primi pili centurio, 208.

Pium, tutum, gloriosum, 406.

Placere sibi illa et alia, 211; — illi res suas satis, 251; — ait, 364. Placet ita vobis, 329; — quocumque ire, 104; — igitur? 89. Placent (quibus illa), 364; — libertas et vera, 367. Placebat parum eas discere, 284. Placebant sua cuique, 9; — satis res novæ, 255. Placuit cetera parari, 258; — (non) reticere, 282. Placuere ea plerisque, 320. Placuerat dividi thesauros, 162. Si placeat, 318. Utinam hoc placuisset, 316. Locum placitum ambobus, 271.

Placide verba facit, 317. Placidius plebem tractarent, 63.

Planities (uti) erat, 107; — limosa, 207. Planitiem inter ceteram, 296; — castelli perscr., 298.

Planum (in) aciem deducit, 231.

Plebes cuncta, 59; — urbana, 60; infesta regi, 202; — oppressa, 347; — expulsa agris, 357; — pro victis est, 401. Plebis opes imminutæ, 62; — tribunis, 393. Plebem sollicitare, 47; — exagitare, 62; — salutare, 150; — exercere servili imperio, 347; — insolentia ceperat, 212.

Plena hostium Macedonia, 425. Pleno gradu, 309. Pleni bonæ spei, 331. Plena flagitii facta, 209; — hominum tuguria, 223.

Plerumque noctis processit, 182. 327. Pleraq. nobilitas, 42; — pars, 179; — mortalium, 16. (Frequenter, *plerique*, — *rosque*, etc.)

Plerumque (*adverb.*), 48, 218.

Plurimum audaciæ, 31; — debe-

retur, 329; — posse ingenium, 9. (Freq., *Plurima, -mi, -mos, -mis.*)
Plus timoris quam potentiæ, 217. Pluris pretii, 285; — est resp., 277. Multo plura, 316.
Pluvia magis usi milites, 264.
Pœna (quæ) mortuo, 424. Pœnæ novum genus, 84; — cuncta civitas fuit, 256. De pœna dicere, 85. Pœnas dedit, 87, 95; — impietatis reddet, 170; — petat contumeliarum, 253; — caperent, 256; — domi metuunt, 269; — solvunt, 411.
Pœnitet neque eos, aut pudet, 196. Num id pœnitendum sit, 283.
Pollere auctoritatem, 187. Pollebat factione nobilitas, 214. Pollens viribus, 154; – satis res eorum, 16; — potensq., 146; — facundia, 193.
Pollicere tabulas novas, 39; — maria montesque, 42; — deditionem, 206; – pacem, 226. Pollicetur se venturum, 70; — se ducem, 298. Polliceantur bene, 66. Pollicitus operam, 46. Pollicito omnia Sulla, 319. Pollicendo multa, 44, 223.
Pollicitando accendebant, 157.
Pollicitationibus aggreditur, 246.
Polluere sacra profanaque, 24; — omnia, 215. Pollui consulatum, 42. Polluta licentia, 173. Pollutus haberetur (homo novus), 251.
Ponderis gratia, 299. Argenti pondo ducenta millia imperat, 248.
Ponere vigilias, 222. Posuit præmia, 38. Posuistis imperatorem, 186. Posuere in partem tertiam, 174. Ponerent neu verba ante facta, 172. Poni bellum posse, 330. Positum est bellum, 347. Positis castris, 294.
Pontificatus petitione, 77.
Populares sceleris, 40; — conjurationis, 42. Popularibus acceptum hominem, 156; — suis carum, 257. Popularium virtuti crederet, 262; — animos advorteret, 329; — partium, 213. Populares res indicabat, 243.
Populus romanus, 19, 321, 346. Populi sine jussu, 48; — romani imperium, 58; — jura, 62. Cum populo agat, 89. Populi ingentes, nationes feræ, 21.
Porrigit aciem, 234. Porrectum transvorso itinere collem, 228.
Portæ (*urbis*), 255. Portarum (*domus*), 163. Portas (*castrorum*), 311.
Portare pecuniam, 43; — patriam in dextris, 104; — commeatum, 223. Portabant auxilia, 17. Portaverat stipendium, 320. Portaret copias, 210; — cibum miles, 222. Portarent quam plurimum aquæ, 263. Portari arma, 49; — utres, 263.
Portationibus armorum, 67.
Portendant cædem, 149. Portendi regnum, 73; — cuncta, 295.
Portenta nunciabant, 49.
Portuosior pars Numidiæ, 174.
Poscunt frumentum, 425. Poscant Marium imperatorem, 253. Res uti posceret, 258.
Posse ingenium plurimum, 9; — servitia sollicitare, 43; — versus facere, 44; — amplius ira, quam... 256. Potest (quia plus), 160; — (quam maxumas copias), 226. Poterat minus in multitudine, 214; — urbem tueri, 47. Potuistis alienas opes exspectare, 105. Potuere (quantum), 19. Possem memorare etc., 19; — quantum ingenio, 98. Qui plus posset, 64. Quibus rebus possent, 54.
Possessiones, 353; — nibus, 57.
Possidere loca, 178. Possidet lubido, 81; — ambitio præmia, 93. Possederat partem Numidiæ, 226.

Possessa Africæ pars, 179.
Post dominationem Sullæ, 14; — magnitudinem nominis rom., 153; — paucos dies, 293; — eas locat, 109; — eos, Æthiopas esse, 180; — gloriam, invidiam sequi, 239. Post (*deinde*), 17, 43, et al. Post paullo, 87, 259, et al.; — id locorum, 260. Paucis diebus post, 161. Post diem quint., quam, 315.
Postea quam, 9; — loci, 315.
Postera die, 255. Postero die, 209.
Posteris gloria majorum lumen est, 282. Posteriores aliquanto, 269. Posterius gerere quam fieri, 279.
Postfuere invidia et superbia, 42.
Postquam, 40, 45, 327, 333 et al.
Postremo, 46, 52, 331, et alibi.
Postremus flagitiosorum, 360; — servorum, 410. Postremam aciem, 313. Ad postremum usque, 360. Postremos cædere, 232. Postrema meminere plerique, 84.
Postulare voce supplici, 52; — videtur res, 174. Postulant jusjurandum, 69; — uti referatur, 76. Postulabat (quæ) supplicium, 100. Quid postulent tuæ rationes, 70. Postulabantur induciæ, 320. Contra postulata Bocchi, 273. Postulatum mittit legatos, 273.
Potare insuevit, 24. Potent, 286.
Potens pollensq., 146; — rex, 167; — in senatu, 173. Potentes domi, 157; — pauci, 347; — inter potentium inimicitias, 401. Potentiori confinis, 215.
Potentia sequebatur divitias, 25; — formidolosa, 35; — paucorum crevit, 63; — illius tegeret reliquos, 76; — summa, 75; — pro sua certabant, 62. Potentiæ injustæ anteponerent gloriam, 215. Potentiam quærenti opportunissumus, 289; — crescere (contra), 33.
Potestas maxuma permittitur, 48; — tribunicia restituta, 61; — cogendi, 188; — vitæ necisq., 171. Nec potestatem amplius faciundam, 76. In potestate hostium, 294, 330; — ejusdem non initium et finem esse, 273. In potestatibus, 250; — temperare, 278.
Potior bello (amicitia), 273. Potiorem specie quam usu, 174. Potiores bono divitiæ, 157. Potiora omnia fide, 188; — omnia bello duceret, 249. Potissumus, 300.
Potius, 322. Potissumum, 167, 169.
Potiri urbis, 73. Potiretur imperii, 157; — Adherbalis, 188; — agro, 238. Potitus oppidi, 263; — multis locis, 296. Potiti (*cum duplici casu*), 262. Potiundi ejus cupido, 292.
Præ se inermos mittere, 300.
Præacutas sudes portabant, 101.
Præalta sunt proxuma terræ, 267.
Præbere scorta, 27; — otium, 90. Præbeo spectaculum, 171; — exemplum, 407. Vos præbetis habendos, 391. Quæ locus præbebat, 255. Ne præbeatis sanguinem vestrum, 397. Præbita affatim, 238.
Præceps luxuria abierat, 44; — agor, 53; — ierat, 60; — natura ad..., 155; — ambitione datus est, 250; — mons, 296; — (editus et), 308. Præcipitem casurum, 158. Præcipites eant, 194.
Præcepto (ex), 66. Præcepta agitarem, 165; — militaria legere, 279. His præceptis hortabor, 284.
Præcipit legatis, 66. Præcepit ut..., 165. Præceptum uti erat, 327.
Præcipitavit semetipsa avaritia, 215. Præcipitarentur super vallum, 243. Præcipitatus ex regno, 171. Præcipitati mores, 348.
Præcisum utrimque iter, 296.

Præclarus sceleribus, 170. Præclara facies, 147. Præclaram memoriam, 285. Præclari bello, 210. Præclaros viros, 151. Præclarior vita, 282. Præclarius (quod) est, 282.
Præda castrorum, 209; — ipse hostium, 220; — civilis acerbissuma, 357; — corrupta, 265; — neque quemquam morari, 302. Prædæ magis quam detrimento, 75; — fuerat, 293; — habeant, 196; — loco æstumantur, 361. Prædam sceleris fecit regnum, 168; — esse jubet, 237; — (peteris ad), 413; — Cimbricam, 354. Præda onustum agrum, 289; — fore labores (pro), 237. Prædas agere, 181; — — bellicas diripiebant, 215.
Prædari sinere, 294. Se prædabundum eo venturum dicit, 293.
Prædator ex sociis exercitus, 220.
Prædatoria cum manu, 181.
Prædicet vera necesse est, 283. Prædicantem audivi, 76.
Prædicit diem locumque, 263. Invito et prædicunte me, 388.
Præditi imperio magno, 83.
Prædocti ab duce, 299.
Præerat provinciæ, 67; — militibus, 252. Præerant centuriis, 299. Præessent vigiliis, 51.
Præfecit Numidis Jugurtham, 156; — elephantis Bomilcarem, 228.
Præfectus, 109. Præfectum oppidi, 254. Præfectis cohortium, 224.
Prægrediens Ligus, 300.
Præliantur (dum) equites, 313. Præliantibus aderant, 298.
Prælium committi posset, 109; — non inceptum, 182; — incipitur, 262. Prælii faciundi tempus, 305. Prælio adesse, 108. Prælium renovare, 233; — facere, 239; — in manibus facere, 241; — inibitis, 104. Prælio excesserant, 21; — primo superior, 63; — confecto, 110; — strenuus, 156; — incerto, 232; — certaturos, 272; — deterrentur, 309. In prælio, 111, 106, 287. Prælia levia, 289; — dilata, 411.
Præmisit legatum, 231. Præmissus, 325. Præmissis exploratum, 322.
Præmium servo decrevere, 50. Præmio inductus, 59; — illectus, 305. Præmia ea victoribus posuit, 38; — quæ armis peterent, 39; — certa, 66; — virtutis, 93, 281; — sceleris, 180; — ostentando, 254; — bonorum, 286; — turbarum, 353; — penes paucos, 356; — tribuistis, 360; — malos sequuntur, 363.
Præpediebat avaritia, 190.
Præposteri homines, 279.
Prærupti montis extremo, 207.
Præsens an absens, 224. In præsens, 29, 414. Præsenti diligentia, 84; — consilio, 191; — ignavia, 400. Eo præsente, 65. Præsentia defendebat, 348. Ex præsentibus, 298.
Præsentiam ejus timens, 52.
Præsertim (quum), 148, 101.
Præsidebat in agro Piceno, 267.
Præsides olim, nunc dominos, 392.
Præsidii caussa, 78; — spes, 103; — satis in amicis, 204. Præsidio adsunt, 277; — sit urbi, 58; — missum, 322; — satis quæsitum, 357. Præsidium legis restituatis, 55; — imposuerat, 254; — mitteret, 266. Præsidio montem occupat, 232; — erant (in), 242; — missus (cum), 321. Præsidia parabantur, 51; — sint in armis, 85; — opperior, 104; — regni non sunt thesauri, 160; — generis exstincta, 169; — fore in amicitia, 170; — arcessere, 219; — agitare, 284; — deducta, 366; —

habebatis, 400. Præsidiis dispositis, 79, 100; — additis, 80; — firmat, 184; — nudatum, 290.
Præstabilius neq. quidquam, 145.
Præstare animalibus, 7; — pacem, 359; — vicem ærarii, 386. Præstat emori..., 37; — multo, 200. Maxume præstabant probro, 60. Præstitit (quod in familia nostra fuit), 169.
Præsto forent (locum ubi), 263.
Præter fugam, 210; — rerum capitalium condemnatis, 58.
Præterea, 47, 60, 328, 329; — (pro *aliis temporibus*), 36.
Præteregressum agmen, 232.
Præterire silentio, 98. Præterit neque me, 391. Prætereundum, puto, 150.
Prætor, 109. Prætoris iniquitas, 55. Pro prætore in castris relictum, 206. Per prætores fit idem, 100.
Prætoria cohors disjecerat, 110.
Prætorium (abduxit in), 157.
Prætulerant otium labori, 61. Prælatus in magistratibus, 356.
Præventa quæ paravisset, 259.
Prava ambitio, 305. Pravum consilium, 187; — abstractus (in), 191. Pravo ingenio, 13. Prava ne inciperet, 251.
Pravitas eorum admiranda, 148.
Precibus (neque), neque pretio, 77.
Premunt me (ærumnæ), 171.
Pretium (operæ) est, 25; — mihi fuerit, 328; — grave fructibus, 388; — servitii, 398. Pluris pretii coquum, quam villicum, 285. Pretium vero anteferebant, 173. Pretio (neque) potuere, 77; — rempublic. vexare soliti, 79; — aliquid effecturum, 191; — insidiatores parare, 204; — bellum prolatans, 411; — cui omnia honesta videntur (cum), 289.
Primordio (a) urbis, 346.
Primus rogatus sententiam, 79; — loqui ausus, 393. Primo prælio, 63. Prima vigilia, 323; — ab adolescentia, 424. Primæ dissensiones evenere, 346. Primos suos, 232; — agebat (apud), 314. Prima quæ ducunt mortales, 213; — habere, 274; — quæ ducuntur, 266. In primis pugnantes cadunt, 110; — fore auctorem, 399.
Primo commotus, 187; — negitare, 329; — rati..., post, etc. 235.
Primum insuevit, 24; — omnium, 60; — (ubi) spes oblata, 63; — (jam), 28; — (tum), 152.
Princeps belli faciundi, 43; — legationis, 173; — in senatu, 187. Principem apud illos fore, 33; — exspectantes, 354. Principes conjurationis, 46, 67; — in agmine facti, 231. Principibus civitatum notus, 64.
Principio (a), 44, 315, 316, 413. Post principia, 231. Principiis transvorsis, 231.
Prior ætate, 160. Nec priorem pati consilio, 305. In priore pugna, 313. Priores numero, 232. Prius re atque usu, 280.
Pristinæ virtutis memores, 105, 109; — dignitatis memor, 110.
Privata amicitia, 170. Privatæ gratiæ, 424. Privato homini, 328; — consilio, 47, 368. Privatas opes, 357. Privatis largitionibus, 61; — negotiis, 75.
Privatim ære alieno oppressos, 64; — habemus opulentiam, 93; — fidem interponit, 201.
Privatus fructu laboris, 57.
Privignum adulta ætate, 28.
Pro sua magnitudine, 62; — suis civibus, 256; — gloria imperii dolere, 210; — honore... accen-

derat, 252. Pro falsis ducit, 11; — maxumis celebrantur, 19. Pro amicitia nostra, 158; — bono (neque) facturum, 184; — meo casu, 57. Pro labore, desidia, 10; — mortalibus æterni, 147; — tuguris habuere, 177; — armis uti perfidia eorum, 246. Pro prætore, 206. Pro castris, 235, 243; — tectis ædificiorum, 255; — opere consistere, 296; — concione, 157; — consilio, 192.

Pro deum atq. hominum fidem, 37.

Probare partim, 274. Probat sero mea dicta, 411. Probabat incepta, 59. Probarent flagitium, 193. Probate turbamenta maxuma, 357. Probaretur ab optumo, 183. Probata res, 324; — conditione, 270.

Probi multi, 352. Probos (i. e. *castæ*), 43. Probos se simulavere, 278. Proba instituta, 87.

Probitas parum per se tuta, 166; Probitatem subvertit avaritia, 21; — nec dare potest fortuna, 146.

Probri gratia, 41. Probro haberi paupertas, 25; — qui præstabant, 60. Probra ignaviæ luxuriæque, 221; — objectantur, 280.

Procaci sermone uti, 44.

Procedere paullatim, 231; — tempus, 274; — cuncta Mario, 253; — contactu, 363. Procedit nihil multa agitanti, 46; — illud secus, 188; — in Numidiam, 223; — ad castra, 234; — in tumulum, 332. Procedunt tardius, 162; — obviam, 235; — reip. benefacta, 277. Bellum armis parum procedebat, 246. Procedebant insidiæ consuli, 53. Processi liberius, 152. Processit eo vecordiæ, 153. Processerat multum diei, 233. Processerant ad mare, 179; — visum, 301. Sin parum procedat, 204, 223. Procederet vi corporis, 8. Processum eo, 182.

Procul a republica, 150; — (haud) ab oppido, 290; — abesse, 322; inter se erant, 236; — errant, 285.

Prodegerint aliena, 353.

Prodidere remp., 197. Prodiderat sæpe fidem, 44. Ut proderet consilia, 44. Prodita auctoritas, proditum imperium, 199. Prodito exercitu, 410. Se proditos cred., 323.

Proditionem timebat, 264.

Proditor nostri, 365.

Prodigia, 49. Ex prodigiis, 73.

Producto Jugurtha, 202.

Profecto fortuna dominatur, 19; — magna clades, 63, etc.

Proficisci ad exercitum, 46; — in exsilium, 56. Proficiscitur ex urbe, 70; — ad Thalam, 264. Proficiscuntur ad hiberna, 319. Profectus est in castra, 54. Profecti sunt eversum, etc. 356. Proficiscantur Romam supplices, 55. Proficiscens in expeditionem, 319. Proficiscentem in hiberna, 305. Profectum auxilio regibus, 414; — ad hoc bellum, 386. (Sæpe alibi, id verbum per omnia tempora).

Profiteri intra legitimos dies, 34. Profitetur indicium, 205.

Profligatis Mauris, 314.

Profuerunt (nil) doctoribus, 284. Profutura nihil petunt, 147.

Profugit ex prælio, 164; — Cirtam, 182; — noctu, 264. Profugerant ex urbe, 72. Profugerant ad Romanos, 262. Profugeret in Galliam, 102; — noctu, 322.

Profugus, 203. Profugos, 267.

Profunda avaritia, 271; — cupido imperii, 407.

Profundant divitias, 38.

Profusus sui, appetens alieni, 14.

Progressum nusquam Lepid., 361.

Prohibere injuriam, 167. Prohibet

Maurum ab injuria, 323. Prohibent angustiæ loci ne..., 106. Prohibebat commercia, 177; — prospectum, 235; — mari hiems, 412. Prohibebant fugam portæ, 255. Prohibuit mœnibus insequentes, 182. Prohibuere pugna multitudinem, 412. Prohibuerint sese ab jure gentium, 184. Prohibendo ita a delictis, 222. Prohibentur data civitate, 353. Prohibitus erat petere, 34. Prohibiti janua, 47.

Proinde ageret, 249; — quasi, 152.

Projectus sum in miserias, 170.

Prolatare perniciem, 415. Prolatans bellum, 411. Prolatando dies, 69. Non prolatandum, 351. Prolatandis consultationibus, 189; — seditionibus, 365.

Proles præclara Brutorum etc., 350.

Promiscua divina, humana, 25.

Promittit se facturum, 330. Hæc promisit, 331. Promissa legatorum expectare, 226; — cognitum misit, 298. Promissis onerat ministrum, 163; — majoribus perducit, 270.

Promtus manu, 69, 156. Promtam audaciam, 54. Promtum habere in lingua, 22. Promtior lingua quam manu, 220. A promtissumo defendi, 359. Promtissumos belli, 377.

Promtu (in) habere, 18; – esse, 329.

Promulgat rogationem, 211.

Prona pecora, 8; — modo ilex, 298. Omnia prona suæ virtuti, 333. Fuit id pronius, 270.

Propatulo (in) habere, 26.

Prope summa ceperant, 246.

Propediem sese accessurum, 54.

Properare alio, 179; — alia, 207; — se simulabat, 264. Properabat conspici, 19. Properabant abuti, 26. Properantes arma capiunt, 235. Properandi itineris, 321; — avidior, 417. Properato itinere, 330. Properatis auctum licentiam, 396. Properandum, 96.

Properantia ex tanta, 206.

Properantius pergeret, 158; — quam æs mutuum reddere, 305.

Propere, 47, 71, 103, et alibi.

Propinqua foro domus, 65. Propinqui genere, 160. Propinqua thesauris loca, 162; — oppido (præter), 291. Propinquos ceteros oppressit, 169; — inter se colles, 308.

Propior mors ætati, 425; — montem, 228. Propius virtutem, 22; — mare, 178; — accessissent, 242.

Proponere satisfactionem, 56. Proponeret quæ conditio belli, 39.

Propter magnitudinem æris alieni, 55; — aquilam adsistit, 108.

Propulerant pericula virtute, 17.

Propulsare, 233. Propulsarent 224.

Procsus multus lepos inerat, 44; — neque dicere, neque facere, 42.

Proripuit se ex curia domum, 53.

Prosapiæ veteris hominem, 279.

Proscripti (quorum) parentes, 61. Ex proscriptorum bonis, 354.

Proscriptiones innoxiorum, 353.

Prospectabant (prælium), 245.

Prospectus quo facilius foret, 299.

Prospera satis res..., 16; — eventura, 249; — omnia cedunt, 95.

Prospere neq. cessere insidiæ, 45.

Provenere ibi magna ingenia, 19.

Providere omnia, 110; — ne..., 160; — consilio satis non poterat, 292. Providet verum animus, 81. Provideris ne accidat, 90. Provideat sibi, etc., 274. Providens satis, 190. Providendum est vobis, 82. Provisa suis omnia, 228.

Providenter (satis) exornat, 293.

Provincia Numidia ipsi evenerat, 204; — Gallia decreta, 333. Provinciæ pactione, 44; — præerat,

67. Provinciam Numidiam jussit ei populus, 274. Provincias hi tenere, 63; — inter se partiverant, 218; — occupavere, 391; — dono dantur (in), 401.

Proxumus lictor Jug. 162; — muro, 301. Proxumum hostes latus, 230; — diem, 299, 322; — collem, 209. Proxumam aquam oppido, 263. Proxuma nocte, 294. Proxumi Catilinæ, 27. Proxuma terræ præalta, 267. Proxumos nostro mari locos, 177; — ejus corrumpit, 305. Proxumis annis, 161; — diebus decem, 190.

Prudens omnium, 369. Prudentes cum imperitis, 228, Prudentibus belli militibus, 413. Prudentissumus quisque, 19.

Prudenter res attendere, 290.

Psallere elegantius quam..., 43.

Puberes interfici jubet, 237.

Publicandas pecunias censuit, 92.

Publica fides data, 75; — fide dicere, 73. Publicum malum, 61, 364; — bonum, 62. Publicam caussam miserorum suscepi, 57. Publica negotia, 251. Publicis largitionibus, 61.

Publice (privatim ac), 24; — privatimq., 64; — egestatem, privatim opulentiam habemus, 93.

Pudet recte facere, 364; — te neq. deorum, neq. hominum, 365; — neq. eos, 196, 399. Pudeat magis an pigeat disserere, 304.

Pudicitiæ pepercit, 95. Pudicitiam in propatulo habere, 26; — parum honeste habuisse, 27.

Pudorem, pudicitiam... promiscua habere, 25; — attriverat, 29; — tyrannidis (per), 351. Pudore cum modesto certabat, 99; — exercitum coercebat, 312.

Pueri (mulieres et), 301, 255.

Pueritia (ita a) fui, 278. Pueritiam omnem Arpini altus, 250.

Pugna latrocinio similis, 307. Pugnam facit in porta, 240; — ex insidiis facere, 246; — post malam, 240. Pugna prohibuere, 412.

Pugnare pro potentia paucorum, 105; — multum, 110; — lapidibus.., 241; — frustra, 314. Pugnaverant male, 315; — in hostem, 21. Pugnantes more virorum, 106; — cadunt, 110. Pugnandi occasionem dare, 102; — copiam fieri, 239. Pugnando quas urbes ceperit, 19; — quem ceperat locum, 110. Pugnatur paucis, 401. Pugnatum male prælium, 238; — male ab ducibus nostris, 332; — bene advorsum multitudinem, 323.

Pulchrum est bene facere, 11. Pulcherrumam remp. haberemus, 93. Pulcherruma (ex) pessuma, 15; — classe, 411. Pulcherrumum facinus, 36.

Pulsum (juxta) solis æstivi, 445.

Pulverem relinquant nobis, 286.

Punica fide Rom. attinuisse, 326.

Putare maxumam gloriam in maxumo imperio, 9. Puto prætereundum, 150; — casum lætandum, 171; — melius, 179; — dictum abunde, 288. Putant quæ prima mortales, 59; — sese clariores, 282. Putabat bonum maxumum in celeritate, 69; — vitare posse celeritate proditionem, 264. Putabant eas divitias, eam bonam famam, 19; — in eo præsidium, 35. Putaveris nunq. redditam gratiam, 328. Putabatur nemo mun., 319.

Q.

Qua nox coegerat, 176. Omnia, qua visus erat, 315.

Quadrato agmine incedere, 310.

Quærere gloriam, 8; — odium se fatigando, 150; — conviviis gratiam, 150; — diversi regem, 163; — tempus pugnæ, 239; — locum invadendi, 278; — dolum, 267. Quæris concordiam bello, 365. Quærit famam, 10. Quæritis pacis opulentiam, 426. Quærebant quid fieri posset, 82; — neque salem, 292. Quæsivi quæ laboribus, 283. Quæsiverat salutem dedecore, 210. Quærat sibi imperatorem, 279. Quæramus quonam modo, etc., 55. Quærant triumphos, 397. Quærenti potentiam, 289. Quærendo sibi opes, 361. Quæri gloriam, 289; — si posset ex..., 281. Quæreretur in eos, 211. Quæsita quæ nisi erunt, 199; — vobis est salus, 385. Nil quæsitum est, præter tyrannum, 356. Satis quæsitum erat nomini majorum, 357. Quæsitum se venisse ab eo, an..., 327.

Quæsitissumæ epulæ, 381.

Quæsitores tres rogarentur, 212.

Quæstio (quos illa) exagitabat, 203; — exercita aspere, 212. Quæstiones habitæ sunt in plebem, 195; — injustas fecisse, 197. Quæstionibus et indicio Jugurthæ vindicandum, 198.

Quæstor pro prætore, 35.

Quæstui deditus, 26, — modum fecerat ætas, 43; — sunt honesta atque inhonesta, 197.

Quam fœde, quamque inulti perierint, 194. Post dies XL quam eo ventum erat, 265. Specie, quam usu, potiorem, 174. Esse, quam videri, bonus malebat, 99, Gerere, quam fieri, posterius, 279. Tam... quam..., 312. Melius... quam..., 316 (*conf. Notam*). Quam plures (pro *complures*), 35. Quam optumos, 281. Quam primum, 103. Quam verissume potero, 33.

Quamobrem, 56, 85, 287, 330.

Quamquam eadem æstumabat, 323.

Quando placet, 323; — licet, 317.

Quanta...tanta, 103. Quantam cladem, 104. Quanti fecerit, 186. Quanto...tanto..., 92, 323. Tanta cura...quanto studio, 147. Quantum potuere verbis extollere, 19; — importunitatis habent, 199; — brevi creverit, 18.

Quapropter vos moneo, 104.

Quare vanum hoc consilium, 92.

Quasi vero..., 92; — honoris causa, 332. Quasi duum millium, 232.

Quatriduo moratus in castris, 236.

Querat (ne), 106. Quiverunt (neq. depelli), 242. Quivissent (neque resistere), 244.

Queri de avaritia, 65; — quod injuriam facere nequivisset, 172. Queror præmia turbarum, 353. Querebatur de ignavia, 69. Questus sum de luxuria civium, 91; — sum illa in senatu, 186. Quereretur de actionibus, 68. Questum de injuriis misit legatos, 181.

Qui (*quomodo*) convenit, 85.

Quia provenere magna ingenia, 19. Eo facilius, quia..., 292.

Quicumque rempub. agitavere, 62. Quoscumq. idoneos credebat, 64.

Quidam Numida, 325; — Ligus, 297.

Quidnam esset (incerti), 229.

Quidquid animo lubet utere, 328.

Quies diuturna, 51; — cum libertate, 352; — in seditionibus, 362. Quietem pati, 315. Quietibus sedari animus, 28.

Quiescebat (in lecto), 259. Si omnino quiessetis, 395.

Quietus (neque interea) 44, 233. Quieta resp., 56; numquamne erit familia, 167; — neque dies aut nox ulla fuere, 260. Quietam rem

nunciant, 322; — vellem remp., 359. Quieto servitio, 357. Quieta movere, 39.
Quin igitur expergiscimini, 38; — ergo id faciant, 286. Quin... extorqueret, 64; — aperirem, 98 (utroq. loc. *ita ut non*). Nemo tam clarus, quin... indignus haberetur, 251. Non quin solvere possem, 57.
Quinquennii decreta, 162.
Quippe qui... invaserat, 181; — quis hostis nullus, 168; — cui, 75, 190; — etiam, 292, — properabant, 26; — nobis major copia sociorum, civium, etc., 92.
Quis (post *si* et *ne*, pro *aliquis*), 50, et alibi; — (pro *queis* vel *quibus*), 321, et sæpe alibi.
Quispiam (ne ordine egreder.), 222.
Quisquam (haud sane), 97; — omnium, 59; — hominum, 262 (in utroque loco, præposito *neque*, et similiter passim).
Quisque prudentissumus maxume negotiosus erat, 19; — sibi talia sperabant, 60; — pro sua potentia certabant, 62. Ut quisque, 101, 188, et alibi.
Quoad semetipsa præcipitavit, 215; — vives, 328.
Quo minus victoria uterentur, 209. Quo minus ... eo magis, 99. Quo pauca monerem, 104. Quo audacius aggredimini, 105; — licentius res gereretur, 326. Non quo sibi conscius esset, 56. Quoque modo res actæ, 193. Quo præsidium imposuerat, 318.
Quoniam Jug. copiam haberet, 329; — armis parum procedebat, 246.
Quoquo modo potuere, 246.
Quotidiano usu, 27, 75.
Quousque tandem patiemini, 37.
Quovis modo, 162, 204, 218.
Quum dissentirem, 12; — vos considero, 106. Quum...tum..., 158, 247, 252.

R.

Rabiem contactu procedere, 362. Rabie contracta toleravimus, 354.
Radices (si quæ) eminebant, 300. Sub radicibus montium, 103.
Rapere omnes, 23; — privatim ac publice, 24; — trahere, 214. Rapiebat ad inceptum scelus, 187. Rapi virgines, 83. Quasi rapta ab externis, 351.
Rapinarum memores, 30; — spes, 102. Rapinas polliceri, 39. Ex magnis rapinis, 47.
Ratio reddenda fortunæ, 426. Rationem ostendam, 65. Rationes belli et pacis dubium trahere, 305. Rationibus suis alienum, 102.
Ratus, 156, 219, et sæpe alibi. Ratam pacem si vellet, 330. Rata efficitis imperia consulum, 396.
Rebatur omnia potiora, 188.
Recentis belli ira, 406.
Receptui (ne) adversariis foret, 232; — uti suis locus esset, 308.
Recipiebant sese in unum, 232. Recepi Asiam, 410. Recepit eum accuratissume, 174; — se in loca munita, 243. Si receperitis vestra, 392. Recipi mœnibus legatos, 190. Receptus in amicitiam, 153. Recepta armis republica, 23; — oppida quid emunerem, 387. Ad recipiundam libertatem, 358.
Recitavit literas in senatu, 48, 56.
Rector generis hum. animus, 148.
Recuperandæ pacis, 191.
Recusare servitutem, 198.
Reddet pœnas, 170. Quasi reddideris primum consulatum, 365. Reddi sua cuique, 364. Redditam gratiam, 328. Pro quis redditis egestatem, 387. Reddenda ratio, 426.

Redimebat belli moram, 191. Redimeret flagitium aut facinus, 27.
Redire post decimum diem, 327. Redeo ad inceptum, 152. Redeunt ad regem, 320. Rediturum victorem domum, 275. Rediens Numantia, 159. Redeuntes div., 313.
Reditu Cinnæ in urbem, 367.
Refert rem ad senatum, 48; — quid placeat fieri, 79; — eo magis nobis timere, 92. Referunt caput ejus ad Jug., 163. Retulerant dicta contumeliosa, 181. Retulisse illorum magis quam sua, 329. Uti referatur de ea re, 76. Referundum censuerat, 80.
Reficere arma, tela, 254. Reficit cum cura saucios, 236. Quo reficeret animos, 75.
Refutant vitam post reges, 436.
Regere vi patriam, 149; — fors omnia, 233. Regit fortuna pleraq., 317. Regitis hanc urbem, 359. Regebantur moribus, 176. Regatur virtute, 145. Neq. regerentur magis quam regerent casus, 147.
Regiam domum, 266. Regio victu, 60; — more, 347. Regiæ superbiæ homo, 252; — voluntates, 331.
Reginam appellaverant, 409.
Regio hostibus ignara, 234. Regionum scientissumi, 311. Regiones abditas, 207; — in has, 268.
Regnum portendi, 73; — sibi pararet, 14; — illi venturum, 158; — sperare, 185; — armis tenet, 186; — patrium petiverat, 409; — intactum bello, 412. In regnum pervenisse adoptatione, 162; — patrium regredi, 412. Regno patrio expulit me, 186; — Tigranis integro, 413. Regna fessa bellis, 426; — quis omnia advorsa sunt, 271; — omnia subvertundi, 412; — maxume hostilia ducant, 413. Regnis et tetrarchiis disjunctum, 410.
Regredi in colles, 239. Regreditur eadem, 298. Regressus eodem, 13.
Reguli convenere, 161. A regulis factum conventum, 162.
Relegati in paludes, 356.
Religione, pluvia usi, 264.
Religiosissumi mortales, 25.
Relinquere signa, 21; — si hæc voltis, 105. Reliquit pater nos duos fratres, 169. Reliquere repulsas, 37; — majores illis quæ licebat, 285. Reliquerat privatum, 154; — quos incorruptos, 318; — pro prætore, 319. Relinquemus rem in medio, 36. Relinquatis cruentam victoriam hostibus, 106. Quantam reliquerint rempub., 15. Relictus erat Romæ, 302. Relictum iri in hostium potestate, 330. Relinquendum esset regnum, 182, — tantum scelus inultum, 323. Relicta quibus anima, 169. Relictum se videt cum paucis, 110; — jus a majoribus, 390. Relicto aditu perang., 296. Omnib. relictis, 324.
Reliquiæ belli arrectæ, 362.
Reliquum nihil fieri, 265; — est hortari, 390. Reliqui nihil fecere, 24; — quid habemus, 38; — nihil fit victis, 90; — estne aliud, 353. Reliquæ dignitatis, 57. Reliquum laborem, 256. Reliqui vos estis, 388. In reliquum, 217. Reliquos abducit, 102. Reliqua transigit, 192; — ne... quidem habet, 352.
Remanebit æterna sollicitudo, 199.
Remedium miseriis, 65.
Remittere tela eminus missa, 242; — injuriam, 399; — nihil barbari, 308. Neque remittit explorare, 234. Remiserant pugnam, 245. Remissum nihil pati, 290. Remissis qui in præsidio erant, 242. Missis remissisque nunciis, 274.

Remorata sunt hostes nox atq. præda, 209; — voluptas ab negotiis, 303. Remoraturos iter suum, 231.
Removistis omnia, 286. Remoto metu Punico, 347; — te procul, 411. Remotis omnium equis, 306; — amicis, 331.
Renovare prælium, 233. Renovatum nom., 159. Renov. bello, 206.
Repente glorians, 42; — accurrit, 322; — gaudium exortum, 236.
Repentina lege frumentaria, 398.
Repentes cochleas inter saxa, 297.
Reperit (ubi neq.) epistolam, 259. Reperiebant amicum, hospitem, 111. Reperitur si digna pœna, 82; — Hiempsal, 163. Repertus inter hostium cadavera, 111. Ubi reperti sunt ex nobilitate, 215.
Repertores perfidiæ, 408.
Repetere ipse ab nullo, 305. Repeto res, 397; — jura pacis, 353. Repetit honores quasi debitos, 285. Repetam pauca supra, 153. Quam repetiveritis libertatem, 401. A repetunda libertate, 351. Repetundarum pecuniarum reus, 34; — in judicio, 77.
Reprehenderis (quæ) delicta, 11.
Repudiabat servitia, 102.
Repugnantibus Numidis, 295.
Repuli partim auxiliis deorum, 422. Haud repulsus abibis, 329. Repulsum ab amicitia, 318.
Repulsas nobis reliquere, 37.
Reputo mecum sententias, 90. Reputate etiam atq. etiam, 283; — cum animis, 278. Reputaret cum animo suo, 258; — secum ipse, 249. Reputans cum animo facinus, 164. Reputando, 145.
Requiescere noctu, 260, — humi, 284. Requievit ubi animus ex miseriis, 12.
Requietis paullul. militibus, 441.
Requiem ærumnarum, 85; — cupiatis, 369. Requie (*genitiv.*) 370.
Requirere cœpit, 65. Requirat legatos, 64.
Res eorum moribus, agris aucta, 16. Mala res, 38. Res tam atrox, 83. Res monet cavere, 90; — est aspera, 94; — quoniam obtulerat, 98; — geritur gladiis, 109; — postulare videtur, 174; — erat in invidia, 187. Ea res multum animis addidit, 264. Res ita se habet, 282; — tanti viri admonuit, 302. Res romana, 346; — una permansit, 394; — id cogit, 425. Id quod res habet, 85. Res communis, 326. Rei cujuslibet simulator, 14; — militaris facinora, 153. Rem ad senatum refert, 48; — tantam mentitus esset, 76. Uti rem sese habere putant, 175. Rem gereret acerrume, 243; — quietam nunciant, 322. Nunc ad rem redeo, 270. In rem fore, 36. Frustra an ob rem, 194. Re in omni dominatur fortuna, 19. Ex re æstumare, 22; — cognita fides, 56. In re tali, 103. Pro re atq. loco, 231. Qua re intelligitur, 313. Res humanæ, 9; — gestæ Atheniensium, 19; — bellicæ, 210; — familiares, 252; — secundæ amant (quæ), 213; — erant advorsæ, 262. Quo in loco res nostræ sint, 104. Res plus valent quam verba, 387; — parum prosperæ, 406. Rerum in magna copia, 10; — novarum, 47, 59, 102, 179; — earum nulli, 48; — capitalium condemnatis, 58; — suarum odio, 60; — ex difficultate, 103; — bonarum cura, 147; — publicarum cura, 148; — mutationes, 149; — gestarum memoria, 150; — honestarum egens, 169; — humanarum, 170, 209; — bel-

licarum, 210; — venalium forum, 225; — nomina mutantes, 395. Ex copia rerum, 211. Rebus novis, 64; — suis, 174. Res gestas perscribere, 13; — dubias atq. asperas, 21; — atque pericula, 90; — — inter alias jacit, 162; — repeto, 397. Rebus omnibus exploratis, 109; — in adversis, 214; — multis ereptis, 407; — de communibus disseruit, 329. Quis rebus cognitis, 321.

Rescindi decreta oportere, 162, — jura belli, 364.

Resistere factioni, 56; — rogationi, 211; — ibi, 233; — diutius, 243. Resistunt haud timidi, 109. Resistentes interficit, 110. Resistentibus collegis, 206. Ad resistendum firmiorem, 412. Neque resisti posse, 255.

Respiciens eo tacitus, 206.

Respondere (si jam) velint, 282. Respondent paucis, 172. Respondit benigne, 161. Respondissent haruspices, 73. Quid responsurós creditis, 281. Hoc modo respondetur, 321.

Respublica ne quid detrimenti caperet, 48; — quieta foret, 56; — adolevit, 88; — vastaretur, 197; — venalis fuit, 199. Reipublicæ partibus, 13; — augendæ, 17; — magnitudine, 51; — malo creverant, 87; — bene facere, 11; — juxta ac sibi consuluisse, 61; — addiderant multum, 216; — se vitamq. condonavere, 270. Remp. conturbari, 61; — agitavere, 62; — tractare, 86; — exagitaverant, 87; — armis magnam fecisse, 93; — occupavere, 196; — prodidere, 197. Rep. impeditissuma, 425.

Restinguam incendium ruina, 53.

Restituere sua plebi, 195. Restituit ordines, 233; — jura tribunis, 393. Restituatis legis præsidium, 55. Restituta est tribunicia potestas, 61. Restituto exercitu, 412.

Reticere, 42, 282. Reticeat, 202.

Retinere quæ amplexamini, 90; — conjunctos sanguine, 160; — victoriam adeptam 314; — hostem ab incepto, 239; — solet tempestas, 268. Vos retinet inermos, 366. Bene parta vix retinemus, 89. Retinebat nostros loci asperitas, 233; — reliqua gloriosus, 432. Retineas arma, 365. Retinuerint dominationem, 401. Retinens in voltu ferociam, 111. Retinetur imperium, 9. Retinendum armis regnum, 182. Retinendæ dominationis, 352. Retinendum in vinculis, 76. Retinendam per manus libertatem, 199.

Retractantes et mussantes, 360.

Retractus ex fuga, 74. Retractum ex itinere, 64.

Reus repetundarum pecuniarum, 34. Fit reus, 205.

Revocati prælio excesserant, 21.

Revorterat id malum in civitatem, 61. Revorti domum decrevit, 157. In castra revortitur, 243.

Rex maxumus in hac terra, 328. Regis Antiochi spolium, 410. Regem armis quam munificentia vinci, minus flagitiosum, 329; — id est esse, impune quælibet facere, 199. Ex rege miserrumum servorum effecere, 409. Reges (id nomen imperii primum fuit), 9. Regibus boni sunt suspectiores, 18; — cum opulentis b. gesta, 97; — exactis, 347.

Rogat uti meminerint, 109. Rogarentur tres quæsitores, 212. Rogatus per liberos, 57; — sententiam a consule, 80; — populus a tribuno, 261. Rogatum amicitiam

miserant, 267. Ad rogandos magistratus, 192.
Rogationi impedimenta parabant, 211. Rogationem ad populum promulgat, 211; — jusserit, 211. Rogatione perlata, 201.
Rogitare (*absolute positum*), 51.
Romanus si auxilio suis venisset, 272. Romanos communes omnium hostes, 271.
Rudis antea et ignarus, 304. Rudes cum melioribus bello, 228.
Ruina incendium restinguam, 53.
Rumor clemens erat, 183. Ex rumore et lubidine plebis, 212. Rumoribus volgi rem exagitatam, 48.
Rupes aspera, 107.
Rursum, 256. Rursus, 46 et alibi.

S.

Sacerdotia polliceri, 39.
Sacra profanaq. polluere, 24.
Sacrilegi, parricidæ, etc., 27.
Sæpe antea, 323. Sæpius, 44, 329. Quam sæpissume, 249. Sæpe numero, 97.
Sævire fortuna, 21; — cœpit ventis mare, 267.
Sævitia prætoris, 54; — belli, 83; — temporis, 207; — hostium, 156. Sævitiis oppressa, 347.
Sævus iste Romulus, 351. Sævum mare, 175. Sæva imperia perpessos, 36; — omnia patiebamur, 168. Sævior ortus est, 393. Ad bellum sævissumum, 386. Sævissumos inter hostes, 387.
Sagittarii, 321. Sagittarios, 230.
Sallerent ad diuturnitatem usus, 384. Salita cadavera, 405.
Saltuosa (per) loca, 207.
Saltare elegantius, etc., 43.
Salubri corpore genus hom., 175.
Salus vobis quæsita, 385. Salutem in fuga sperare, 105; — dedecore quæsiverat, 210. De salute obtestatus, 71. Pro salute cum Gallis certare, 333.
Salutare plebem, 150.
Salvi non aliter eritis, 353.
Sanctus vir, 328. Nihil sancti habere, 215. Apud sanctos viros, 381.
Sanguinis sui mercede, 357. Sanguinem vino permixtum, 40; — nostrum ulti, 55; — vestrum ne præbeatis, 397. Sanguine civili alebat, 27; — versabimur (in), 167; — oblitum gladium, 314; — infecta humus, 315; — supplicium fœdarentur aræ, 373; — conjunctos, 160.
Sapientia ingenium validum, 17.
Sapientium animos fatigant, 24.
Sarcinis levari jubet jumenta, 263.
Satellites (Sullæ), 350; — pauci, 353; — præter commaculatos, 355.
Satias facta (ex inopia), 388.
Satietas dominationis tenet, 198.
Satis loquentiæ, 14; — armorum et virorum, 296; — credere virtuti, 322; — mature, 251; — providens, 190; — superque, 264.
Satisfactionem proponere, 56.
Satius (bono more vinci), 217.
Saturam (quasi per), 192.
Sauciare alteri alteros, 244. Sauciari optumus quisque, 297. Sauciabantur eminus, 232.
Sauciis (pro) integr. arcessere, 110.
Saxa ingentia fluctus trahunt, 267; — inter, 297; — volvere in proxumos, 242. Saxis modo eminentibus, 298.
Saxeus (erat) mons, 296.
Scalis aggredi, 241; — egressi, 246.
Scleratissumus homo, 165. Sceleratissumi hostes, 406. Sceleratissumis hominibus ignoscere, 199.
Scelestum servitium, 393. Scelestos hom., 87. Scelestis nuptiis, 28.

Scelus, 82; — tantum, 323. Sceleris novitate memorabile facinus, 13; — sui populares, 40; — per immanitatem, 351. Sceleri obstat vita cetera, 95. Per scelus summum, 25. Ob scelus cæsum, 426. Scelere pro alieno, 172; — quorum cuncta gesserat, 201; — meo vici supplicia, 424. In scelere deprehensis, 71; — spes omnis, 350. Scelerum conscientia, 15; — finis sit, 354; — licentiam, 362. Scelera in patrem ostendit, 202; — paucorum patefacere, 216; — invidia urgeat (ob), 203; — suamet occultare, 42. Sceleribus ferox, 170; — præmia tribuistis, 360.
Scenis fabricatis, 380.
Scilicet (*ironice*), 83; — non ceram illam..., 151; — (cui) placuit, 317; — patefecisse, 331.
Scire (nihil amplius), 73. Scio (certo), 158; — ego plerosque..., 276. Tute scis, 317. Sciebam contendisse, 97. Quæ sciret edicere, 75. Sciens locorum exercitus, 286. Me sciente, 328. Scientes locorum erant, 306; — belli, 307. Scientissumi regionum, 311.
Scorta præbere, 27.
Scribere res gestas arduum, 11; — supplementum exercitui, 210; — milites, 288. Scripsere facta aliorum, 11. Scripserat heredem, 252. Scribant aspere in Metellum, 253. Scripturus sum bellum, 152. Scribitur exercitus, 190. Scriberentur legiones, 53. Scriptum erat in literis, 48; — infra exemplum, 56, 70. Scriptam oration. edidit, 52.
Scrinium cum literis, 72.
Scriptorem rerum, 11. Scriptorum magna ingenia, 19; — per invidiam celata, 432.
Scrutari loca abdita, 163.
Secedit in abditam partem, 36. Secessit plebes a patribus, 56.
Secessionem (per) Aventinum occupavere, 197; — (non arma, neq.), 397. Secessione nihil opus, 194.
Secordia horum flagitiosior, 282; Lentuli, 104. Secordiæ atque ignaviæ te tradideris, 95. Per secordiam ubi vires defluxere, 146. Secordia atq. incultu torpescere, 148; — vestra abutitur, 363.
Secors (nec) victoria factus, 310.
Secreta transigit reliqua, 192.
Secundum heredem, 252. Secundo mari, 179. Secunda oratione, 253. Secundæ res, 24, 423; — mire sunt vitiis obtentui, 357. Secunda sunt omnia, 170. Secundis ex rebus feroces, 301.
Secundum ea (oppos. *maxume*), 166.
Secus procedit, 188; — neque his atque aliis armis, 321; — difficilem (haud), 296.
Secus (virile ac muliebre), 380.
Sed (*pro transitione*), 17, 43 et pass.
Sedare motus, 202. Sedari animus, 28; — eam flammam, 151.
Sedes suæ cuique, 351; — habebant, 176; — patrias plebis, 353. Sedibus incertis, 16.
Seditio (neve) oriretur, 56. Seditionibus aluntur, 60; — remp. exagitaverant, 87; — turbata sunt omnia, 359; — prolatandis, 365.
Seditiosus ego, 353. Seditiosum volgus, 254. Seditiosi magistratus volgum exagitare, 261.
Segnior fit bonus ubi neglegas, 200.
Segnius nihilo bellum parare, 264.
Sellam juxta poneret, 252.
Semisomnos fugant, 182.
Semper, 18, 55, 328, et alibi.
Senator in senatu, etc., 48. Senatores ex militibus gregariis, 60.
Senatus decrevit, 48; — frequens,

76; — atq. P. R. jussu fœdus fieret, 330. Senati decreto missi, 49; — — specie, 62; — auctoritas prodita, 199; — decreta, 211; — factiones, 213; — auctoritate, 217; — partium, 61. Senatum ea fuisse mansuetudine ut, etc. 55; — obtestamur, 55; — criminando, 62; — de fœdere consulebat, 210; Per senatum, 48. Senatu moverant, 41; — petere (ab), 55; — literas recitavit (in), 48, 56.

Senectus plerosque dissolvit, 175; — per se gravis, 423. Senectutem agant, ubi habuere adolesc., 286.

Senescere omnia, 204. Senescunt omnia aucta, 148; — vires, 398. Senecto corpore, 405.

Sententia literarum hæc erat, 158; — crudelis, 84. Sententiam laudant, 96; — rogatus, 80; — regis sui exquireret, 330; — iturum (in), 80; — Catonis discessit (in), 100. Ex sententia instruxit, 208; — animi, 283; — (ex ejus), 331; — (maneas in), 365. Vir ex sententia ambobus, 328. Sententias dixerunt, 83; — nonnullorum mecum reputo, 90. Sententiis exquisitis, 192.

Sentiebam me alienatum, 57. Ne sentiret contra remp., 45.

Sentinam (in) confluxerant, 60.

Seorsum ab rege, 257.

Separatim consilium capitis, 93.

Septis (vel) ferro, 353.

Sepulcra infecta sanguine, 353.

Sequi, fugere, etc., 314; — per colles, 239; — signa, 270; — ipse intentus, 294; — hæc decrevistis, 105; — invidiam post gloriam, 239. Sequitur fortuna meliores, 368. Sequimur inertiam, 93. Sequimini consulem ducem, 358. Sequuntur animi naturam alia studia, 147; — malos præmia, 363. Sequebatur potentia, 25; — gloria, 99. Sequutus sum spes satis honestas, 57; — consilia, 361. Sequetur te illa fama, 414. Expeditos sequeretur, 103. Ne sequerentur exercitum lixæ, 221. Sequuti morem imperatoris, 201; — Romani non me sed morem suum, 412.

Seria et joca agere, 305.

Sermoni inesset auctoritas, 65. Sermone uti modesto, 44. Sermonibus quos habere solitus, 73.

Serunt tumultum ex tumultu, 362. Serendo bella ex bellis, 414.

Servaverat rempubl., 95. Servaret quum eam civis inquilinus, 53.

Servile bellum, 49. Servili imperio, 347. Ne servilia quid. alimenta, 352. Servilibus offic. intentum, 13.

Servire magis parati quam imperare, 39. Servitis pecuniæ aut gratiæ, 94. Serviendum esse intelligetis, 199; — aut imperitandum, 352.

Servitium a Sulla paratum, 390. Servitii gravioris metu, 351; — insolitum, 349; — pretium, 398. Servitium minari militibus, 301; — scelestum imposuerat, 393; — grave demsi, 410. Servitio corporis, 8; — quieto potior periculosa libertas, 357; — otium accipite (cum), 357. Servitia urbana sollicitare, 43; — repudiet, 70; — Romanorum allicere, 254; — ad concitanda, 72.

Servitutem toleratis, 196; — recusare, 198. Servitute erepta (ex), 74; — oppressa, 87.

Servum miles ne haberet, 222. Servi ære parati, 196. Servo præmium decrevere, si etc., 50. Servorum pessumis, 356; — postremus, 410. Cum servis fugitivis, 102.

Sestertia centum decrevere, 50.

Severitas, 98. Severitatis, 99.

Severior paullo fuit (pœna), 84.
Si modo, 65. Quod si, 63, 106, 197. Si ... sin, 82, 104, 158. Sin (non anteced. *si*), 204, 223, 242.
Sic..., ut, 44; — existumabam, 168; — habuere Rom., 333. Sicuti possent, 245.
Sicariis cum paucis, 361.
Signatores falsos, 29.
Signatum (jusjurandum), 69.
Significare manu, 245. Significabant idem omnes, 313.
Signum dare, 35. Eo signo, 68. Signo dato, 182, 232. Signa, tabulas pictas mirari, 24; — quum cognovissent, 74; — canere jubet, 106; — canere a tergo, 301; — reliqua in subsidio collocat, 107; — relinquere, 21; — observare, 233; — sequi, 270. Cum signis infestis concurrunt, 109. Sine s. permixti, 307.
Silentium ubi cœpit, 202; — maxumum jubet haberi, 309. Silentio vitam ne transeant, 7; — præterire, 98; — egredi, 323.
Silere de Carthagine melius puto, 179. Siletur de utraque, 10.
Silvas (in) relegati, 356.
Similis pugna latrocinio, 307.
Similitudine curæ patres, 17.
Simplici (nec) morte morieb., 429.
Simul, alienum existumans, 102; — certior factus, 222; — orare, etc., 233; — (moliri multa), 46. Simul cum moribus, 10. Cum anima simul, 55. Simul et invisum, et offensum, 260. Simul tentandi gratia, et..., 225. Simul, quod æs alienum..., 30; — confisum..., 33; — quia boni..., 35. Simul (pro *ubi primum*), 18.
Simulacrum victoriæ, 380.
Simulare fugam, 170; — metum, 206. Simulabat se properare, 264. Simulavere se probos, 278. Simulent studium conjur., 66. Id simulaveritne..., 290. Simulantem hæc videam, 170. Simulantes bonum publicum, 62; — amicitiam, 407. Simulandi gratia, 207. Ad simulandam pacem, 330. Ad simulanda negotia, 304. Simulato testamento, 409.
Simulator ac dissimulator, 14.
